ACTA

SANCTAE SEDIS

IN COMPENDIUM OPPORTUNE REDACTA ET ILLUSTRATA

STUDIO ET CURA

IOSEPHI PENNACCHI ET VICTORII PIAZZESI

SEU

Acta iuridica et solemniora ex Supremo Romano Pontifice immediate dimanantia; acta inter ea quae publici fieri possunt iuris, sive sint Decreta, sive Instructiones, sive Responsa et alia huiusmodi; praesertim vero Causarum expositiones et resolutiones ex variis EE. Cardinalium Sacris Congregationibus, ad ecclesiastici iuris accuratam intelligentiam et observantiam conferentes, in compendium diligenti studio redactae: alia denique iuridica, quibus opportune illustrantur quae in expositis actis vel difficultatem parere possint, vel ad vigentis iuris notitiam ulterius conducant: in utilitatem eorum qui in Ecclesiae legibus studiose dignoscendis et in regimine christiani gregis vel in colenda Domini vinea sedulo adlaborant.

Volumen XI

ROMAE

EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA VATICANA

MCMXVI

Reprinted with the permission of Libreria Editrice Vaticana

JOHNSON REPRINT CORPORATION
Ili Fifth Avenue, New York, N. Y. 10003

JOHNSON REPRINT COMPANY LTD.
Berkeley Square House, London, W. 1

t
r

Î



IUS PROPRIETATIS VINDICATUR

First reprinting, 1968, Johnson Reprint Corporation
Printed in the United States of America

SS.MI IN CHRISTO PATRIS ET DOMINI NOSTRI DOMINI

LEONIS DIVINA PROVIDENTIA PAPAE XIII

LITTERAE APOSTOLICAE

quibus Hierarchia Episcopalis in Scotia restituitur

LEO EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Ex supremo Apostolatus apice, ad quem, nullo meritorum nostrorum suffragio, sed divina sic disponente Bonitate, nuper evecti sumus, Romani Pontifices praedecessores Nostri universas Dominici Agri partes, quasi de montis vertice speculari nunquam destiterunt, ut quid Ecclesiarum omnium conditioni, decori et firmamento labentibus annis magis conveniret, dignoscerent; ac proinde, quantum quidem Ipsis ex alto datum fuit, quemadmodum novas ubique gentium erigere Episcopales sedes, ita eas quae temporum iniuria perierant, ad novam vitam revocare solliciti in primis fuerunt. Cum enim Spiritus Sanctus posuerit Episcopos regere Ecclesiam Dei, ubi primum in aliqua regione is est Sanctissimae religionis status, ut ordinarium episcopale regimen inibi aut constitui, aut restaurari sinat, illico eidem ea conferre beneficia decet, quae ex huiusmodi divinitus stabilita ordinatione suapte natura dimanant. Quocirca Decessor Noster sa. me. Pius IX, quem paucis abhinc diebus omnium desiderio sublatum dolemus vel ab initio sui Pontificatus, cum Missiones in nobilissimo florentissimoque Angliae regno ita profecisse innotuisset, ut regiminis Ecclesiastici forma in eum modum restitui posset, in quo extat penes alias catholicas gentes, suos Anglis Ordinarios Episcopos reddere curavit Uteris Apostolicis Kal. octobris anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo quinquagesimo datis, quarum initium *Universalis Ecclesiae.* Et, quoniam haud multo post iisdem salutaribus dispositionibus illustres Hollandiae ac Brabantiae regiones frui posse perspexerat, haud immoratus est Episcopalem Hierarchiam ibi quoque instaurare, quod aliis Apostolicis uteris iv Non. martii anno millesimo octingentesimo quinquagesimo tertio

datis, incipien. *Ex qua die* praestitit. Quae quidem, ut de restituto Patriarchatu Hierosolimitano sileamus, provido sane consilio facta fuisse ex eo liquet, quod, auspice divina gratia, huius S. Sedis expectationi plane respondit eventus ; quantum enim emolumenti Ecclesia Catholica ex restaurata Episcopali Hierarchia utrobique perceperit, omnibus notum exploratumque est.

At aegre ferebat pientissimi Pontificis animus, quod eadem sors Scotiae quoque communis nondum esse potuisset. Quae paterni Eius animi aegritudo vel inde augebatur, quod compertum esset, quam uberes progressus in Scotia olim Ecclesia Catholica fecerat. Profecto quicumque in Ecclesiastica historia vel parum versatus fuerit, probe novit Evangelii lumen Scotis mature illuxisse; siquidem, ut silentio praetereamus quae de antiquioribus in illud regnum Apostolicis missionibus fert traditio, narrantur S. Ninianus saeculo iv exeunte, qui, teste ven. Beda, Romae fidem, et mysteria veritatis edoctus fuerat, et saeculo v. S. Palladius, Ecclesiae Romanae Diaconus, sacra infula decorati, ibi Christi fidem praedicasse; nec non S. Columba Ab., qui saeculo vi eo appulit, Monasterium construxisse, ex quo plura alia prodierunt. Et, quamquam a medio saeculo VIII ad xi de ecclesiastico Scotiae statu historica documenta ferme deficiant, memoriae tamen proditum est, plures ibi Episcopos, quamvis aliquos sine certis sedibus, extitisse. Postquam vero summa rerum Malcolmus III anno MLVII potitus est, eius opera, hortante Sancta Coniuge Margarita, Christiana Religio, quae sive ob exterorum populorum incursiones, sive ob varias politicas vicissitudines haud levia damna subierat, restitui, et amplificari coepit; et quae extant adhuc sacrarum aedium, Monasteriorum, aliorumque religiosorum monumentorum reliquiae, splendidum pietatis veterum Scotorum praebent testimonium. Sed, ut quae ad rem nostram potius faciunt, strictim persequantur, constat saeculo xv sedes Episcopales adeo iam excrevisse, ut tresdecim numerarentur, nempe S. Andreae, Glasguensis, Dunkeldensis, Aberdonensis, nec non Moraviensis, Brechinensis, Dumblanensis, Rossensis et Katanensis, Candidae Casae, et Lismorensis et Sodorensis, sive insulana, atque Orcadensis ; quae quidem omnes huic Apostolicae Sedi immediate subiectae erant. Constat etiam, de quo Scoti merito gloriantur, Romanos Pontifices sub peculiari protectione Scotiae regnum suscipientes, singulari memoratas Ecclesias benevolentia fuisse prosecutos; quare dum ipsi Metropolitanos se Scotiae gerebant, illarum privilegia ac immunitates, ab Ecclesia Romana omnium Matre et Magistra iamdiu concessas, integras servandas esse haud semel decreverunt, ita ut quemadmodum ab Honorio III s. m. statutum fuit Scotiae Ecclesia Sedi Apostolicae, sicut filia specialis, nullo medio esset subiecta.

Cum vero antea Scotia Metropolitano caruisset, Sixtus IV, prae oculis habens dispendia et difficultates Scotis subeundas, ut Roma-

nam adirent Metropolim, Apostolicis Uteris xvi Kal. septembris anni millesimi quadringentesimi septuagesimi secundi incip. *Triumphans Pastor aeternus,* Sedem S. Andreae, quae tum originis vetustate, tum veneratione erga Apostolorum Regni patronum, principem facile obtinuerat locum in Metropolitanam et Archiepiscopalem totius Regni sedem erexit, reliquis sedibus eidem tamquam suffraganeis subiectis. Quod pariter factum est cum Glasguensi sede anno MCDXCI, quae ab ecclesiastica Provincia S. Andreae distracta, ad Metropolitanae dignitatem ab Innocentio VIII elata est, suasque habuit ex supradictis suffraganeas sedes.

Cum ita constituta Scotorum Ecclesia floreret, haeresi erumpente saeculo xvi, ad extremam ruinam misere adducta est; nunquam tamen Scotis defuit Summorum Pontificum, Decessorum Nostrorum, impensa cura, sollicitudo ac providentia, ut fortes in Fide perseverarent, quod ex pluribus sane documentis liquido apparet. Nam prospicientes grassantem late tempestatem, erga illum populum commiseratione commoti, qua iteratis Missionariorum ex variis Regularium familiis expeditionibus, qua Apostolicis Legationibus, aliisque omne genus collatis subsidiis in id indefesse adlaborarunt, ut collapsae Religioni auxiliarentur. Eorum opera in hac Catholici Orbis arce selecti ex Scotica gente adolescentibus praeter Urbanianum, peculiare patuit Collegium, in quo sacris disciplinis imbui, et Sacerdotio initiari possent ad sacrum ministerium deinde in patria exercendum, et spiritualem opem popularibus suis ferendam. Et quoniam dilecta illa Dominici gregis pars suis fuerat viduata pastoribus, s. m. Gregorius XV, cuVn primum ei licuit, Willelmum Chalcedoniae Episcopum ordinatum amplisque munitum facultatibus, etiam illis quae Ordinariorum propriae sunt, ad Angliam simul et Scotiam misit, ut dispersarum illarum ovium pastoralem curam assumeret, ceu videre est in Apostolicis Uteris incipien. *Ecclesia Romana* x kal. aprilis anno millesimo sexcentésimo vigesimo tertio datis. Ad restituendam in utroque regno orthodoxam fidem, et Anglorum, atque Scotorum salutem procurandam, Francisco S. R. E. Card. Barberinio eorum Protectori magnam facultatum copiam ab Urbano VIII attributam fuisse eius literae *Inter gravissimas* in forma Brevis die xviii maii anno a Nativitate MDCXXX datae ostendunt. Huc spectant etiam aliae eiusdem Pontificis literae *Multa sunt* ad Galliarum Reginam die xii febr. anno MDCXXXIII scriptae ut illius benevolentiae Christifideles et Ecclesiam illam squalore confectam commendaret.

Verum ut meliori qua fieri posset ratione, spirituali Scotorum regimini consuleret, Innocentius PP. XII in Vicarium suum Apostolicum Thomam Nicholson, Episcopali Peristachii titulo ac caractère insignitum, anno MDCXCIV deputavit, integre regno ac insulis adiacentibus ipsius curae commissis. Et haud multo post, cum unus dumtaxat Apostolicus Vicarius illi Vineae Domini excolendae par

amplius non esset, Benedictus XIII socium praedicto Episcopo adiungere properavit, quod anno MDCCXXVII executioni feliciter mandari potuit. Ita factum est, ut universum Scotiae regnum in duos fuerit Vicariatus Apostolicos divisum, quorum alter inferiorem, superiorem partem alter complectebatur. Sed quae divisio Catholicis, quot tunc temporis erant, gubernandis satis idonea visa fuerat, cum in dies eorum numerus augeretur, opportuna amplius esse non poterat; proinde tertii Vicariatus institutione novum praesidium Religioni in Scotia tuendae ac dilatandae Apostolica haec Sedes suppeditari oportere animadvertit. Ea de causa fel. rec. Leo XII, Uteris Apostolicis datis Idibus februarii anno millesimo octingentesimo vigesimo septimo, quarum initium *Quanta laetitia affecti simus,* Scotiam in tres districtus, seu Vicariatus Apostolicos, Orientalem nempe, Occidentalem, et Septentrionalem partitus est. Nemo ignorat, quam uberes fructus zelo novorum Praesulum, ac studio Nostrae de Propaganda Fide Congregationis, Catholica Ecclesia inibi collegerit; ex quo satis elucet, nihil unquam intentatum Sanctam hanc Sedem pro ea, quam gerit, Ecclesiarum omnium sollicitudine, reliquisse, ad Scotiae gentem ex lugendis veteribus calamitatibus reficiendam in dies, recreandamque.

At profecto sa. me. Pio PP. IX, id cordi apprime erat, ut illustrem Scotiae Ecclesiam ad pristinum decus, et formam iterum excitare datum esset, praeclara enim Praedecessorum Suorum exempla illum urgebant, cui ad huiusmodi opus viam ipsi veluti sternere voluisse videbantur. Et sane ex una parte perspiciens universum Religionis Catholicae in Scotia statum, ac succrescentem in dies Christifidelium, sacrorum Operariorum, Ecclesiarum, Missionum, Religiosarum Domorum, aliarumque huiusmodi institutionum, ac temporalium etiam adiumentorum copiam, ex alia vero animadvertens per eam, quam inclytum Gubernium Brittanicum Catholicis impertitur, libertatem, in dies removeri quidquid impedimento fuerat, quominus penes Scotos ordinarium SS. Antistitum regimen restitueretur, facile sibi ille Pontifex persuaserat, Episcopalis Hierarchiae restaurationem ad aliud tempus minime esse differendam. Interea ipsi Vicarii Apostolici, et permulti sive ex Clericis, sive ex laicis generis nobilitate, ac virtutum laude spectati viri enixe ab Eo flagitarunt, ut hac in re eorum votis satisfacere haud diutius immorantur. Quae quidem supplicationes iterum Ei porrectae sunt, cum dilecti cuiusvis Ordinis Filii illarum regionum, duce Ven. Fr. Ioanne Strain, Episcopo Abilae in partibus infidelium et Districtus Orientalis Vicario Apostolico, huc advenere, ut de die quinquagesimum annum ab Episcopali Eius consecratione claudente cum Ipso gratularentur. Cum ita se res haberent, praelaudatum Pontifex negotium hoc, prout eius gravitas postulabat, VV. FF. NN. Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus Fidei Propagandae praepositis, undequaque

discutiendum commiserat; atque eorum sententiam in suscepto consilio Eum magis magisque confirmaverat. Dum vero Ipse ad opus diu multumque optatum absolvendum se pervenisse laetabatur, ad coronam iustitiae recipiendam a Iusto Iudice advocatum fuit.

Quod itaque Praedecessor Noster morte interceptus perficere non potuit, copiosus in misericordia Deus et in cunctis suis gloriosus operibus largitus est Nobis, ut ita Supremum Pontificatum, quem in tanta temporum calamitate trepidantes suscepimus, fausto quodam veluti omine auspicaremur. Quapropter sine mora, cum totius huiusce negotii plenam nobis notitiam comparaverimus, quod a r. m. Pio PP. IX decretum fuerat, executioni man dan dum esse ultro existimavimus. Erectis itaque oculis ad Patrem luminum, a quo omne datum optimum, et donum perfectum, divinae gratiae praesidium invocavimus, exorata simul ope B. M. V. sine labe conceptae, B. Iosephi eius Sponsi atque universae Ecclesiae Patroni, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, Sancti Andreae, aliorumque Coelitum, quos Scoti veluti Protectores venerantur, ut suis Nos apud Deum suffragiis ad idem negotium prospere maturandum iuvarent. Hisce itaque praehabitis, motu proprio, certa scientia, ac de Apostolica, qua in universam Ecclesiam pollemus, auctoritate, ad maiorem Dei omnipotentis gloriam et Catholicae Fidei exaltationem constituimus, atque decernimus, ut in Scotiae regno iuxta canonicarum legum praescripta reviviscat Hierarchia Ordinariorum Episcoporum, qui a Sedibus nuncupabuntur, quas hac Nostra Constitutione erigimus, atque in Ecclesiasticam provinciam constituimus. Porro sex numero Sedes in praesens erigendas easque ex nunc erectas esse volumus, nimirum S. Andreae cum adiuncto titulo Edimburgi, Glasguensem, Aberdonensem, Dunkeldensem, Candidae Casae seu Gallo vidianam, nec non Ergadiensem atque Insularum.

Recolentes autem illustria veteris Sancti Andreae Ecclesiae monumenta, habitaque ratione hodiernae illius Regni principis Civitatis, aliisque rationibus perpensis, non possumus, quin celebrem illam Sedem veluti e sepulcro excitantes, ad Metropolitanae seu Archiepiscopalis dignitatis gradum, adiecto Edimburgi titulo, evehamus, vel restituamus, quo antea a ve. me. Sixto IV Decessore Nostro decorata fuerat, eidemque suffraganeas quatuor ex praenuntiatus Sedibus, nempe Aberdonensem, Dunkeldensem, Candidae Casae seu Gallovidianam, Ergodiensem atque Insularum adsignemus, quemadmodum tenore praesentium, auctoritate Nostra Apostolica, adsignandus, addicimus, attribuimus. Quod vero ad Glasguensem Sedem attinet, considerata illius civitatis vetustate, amplitudine, et nobilitate, ac praesertim prae oculis habito florentissimo in ea Religionis statu, et Archiepiscopalibus praeeminentiis eidem ab Innocentio VIII collatis, decere omnino duximus ipsius Sacrorum Antistiti Archiepiscopi nomen et insignia tribuere, prout tenore praesentium pariter

tribuimus, quin tamen, donec aliter a Nobis vel Successoribus Nostris definitum fuerit, praeter nominis et honoris praerogativam ullum consequatur ius proprium veri Archiepiscopi et Metropolitam. Volumus autem atque mandamus, ut Glasguensis Archiepiscopus, quoadusque sine suffraganeis permanebit, in Provincialem Scotiae Synodum una cum aliis conveniat.

In praedicta vero S. Andreae atque Edimburgi Archiepiscopali seu Metropolitica Sede comprehendantur comitatus Edimburgensis, Limnuchensis, Hadintonanus, Bervicensis, Selkirkensis, Peblianus, Roxburgensis et pars meridionalis Fifae quae est ad dexteram fluminis Eden; comitatus quoque Sterlinensis, demptis tamen territoriis de Baldernock et Kilpatrick orientali nuncupatis.

In Archidioecesi Glasguensi comprehendantur comitatus Lanarcensis, Renfroanus Britannodunensis, territoria de Baildenock et Kilpatrick orientali nuncupata in comitatu Sterlinensi sita, parborealis comitatus Aèrensis, quae ab australi eiusdem regione, rivulo Lugton in Garnok fluvium defluente, separatur: insulae quoque Cumbra maior et minor.

In Dioecesi Aberdonensi contineantur comitatus Aberdonensis, Kincardinensis, Bamfiensis, Elginensis seu Moraviensis, Narniensis, Rossiensis (praeter Leogum in Aebutis), Cromartiensis, Sutherlandiensis, Cathanesiensis, insulae Orcades et Herthlandicae: denique ea pars comitatus Ennernessensis quae sita est ad septentrionem lineae rectae ductae ab extremitate septentrionali lacus Luing ad fines Orientales eiusdem comitatus Ennernessensis, ubi sibi occurrunt comitatus Aberdonensis et Bamfiensis.

In Dioecesi Dunkeldensi comprehendantur comitatus Perthensis, Forfarensis, Clacmananus, Kinrossianus, et pars septentrionalis Fifae quae est ad laevam fluminis Eden, eae quoque partes comitatus Sterlinensis, quae disiunctae iacent atque a comitatibus Perthensi et Clacmanano sunt circumseptae.

Dioecesis Candidae Casae seu Gallovidiana contineat comitatus Dumfrisiensem, Kircudberecbtensem, Victoriensem et Aëresis partem, quae ad laevam rivuli Lugton in flumen Garnok defluentis ad Austrum extenditur.

Dioecesis denique Ergadiensis et Insularum complectatur comitatus Argatheliensem, Botam et Araniam insulas, Aebudas et partem australem comitatus Ennernessensis, quae a lacu Luinge ad fines comitatus eiusdem orientales iuxta lineam rectam supra descriptam, protenditur.

Ita igitur in Scotiae regno praeter Glasguensem Archiepiscopatum honoris, unica erit provincia Ecclesiastica ex uno Archiepiscopo seu Metropolitano Antistite et quatuor suffraganeis Episcopis constans.

Neque dubitamus, quin novi Praesules Praedecessorum suorum, qui propria virtute veterem Scotiae Ecclesiam illustrarunt, vestigiis

inhaerentes, omnem daturi sint operam, ut Catholicae Religionis nomen in eorum regionibus splendidius augescat et animarum profectus, divinique cultus augmentum meliori qua fieri poterit ratione promoveatur. Ea propter Nobis, Nostrisque in Apostolica Sede Successoribus iam nunc reservatum declaramus, ut praedictas Dioeceses in alias, ubi opus erit, partiamur, earumque numerum augeamus, limites immutemus, ut quidquid aliud ad orthodoxae fidei propagationem ibi magis conferre in Domino visum fuerit, libere perficiam us.

Quod vero iisdem Ecclesiis valde profuturum perspicimus volumus ac iubemus, ut earumdem Praesules relationem sedium atque ovium eorum curae creditarum statu ad Nostram de Propaganda Fide Congregationem, quae hactenus peculiarem sedulamque de regionibus ipsis sollicitudinem gessit, transmittere numquam omittant; Nosque per eamdem Congregationem certiores faciant de iis omnibus, quae pro pastorali munere adimplendo et suarum Ecclesiarum incremento procurando nunciare se necessarium aut utile iudicaverint. Meminerint autem, se hanc relationem exhibere, sicut et SS. Apostolorum limina adire, quarto redeunte anno teneri, prout in Const. s. m. Sixti V diei XIII Kal. ianuarii anni millesimi quingentesimi octogesimi quinti data, quae incip. *Romanus Pontifex,* sancitum est. In ceteris pariter, quae eiusdem pastoralis officii sunt, Archiepiscopi et Episcopi supramemorati omnibus fruuntur iuribus et facultatibus, quibus alii aliarum gentium Catholici Antistites ex communi Sacrorum Canonum, et Apostolicarum Constitutionum vi fruuntur, ac frui possunt ac poterunt, iisdemque adstringatur obligationibus, quibus alii Archiepiscopi et Episcopi ex eadem communi et generali Catholicae Ecclesiae disciplina devincti sunt. Quaecumque idcirco sive ex antiqua Ecclesiarum Scotiae ratione, sive in subsequenti Missionum conditione ex peculiaribus Constitutionibus, aut privilegiis vel consuetudinibus particularibus viguerint, mutatis nunc circumstantiis, nullum posthac sive ius, sive obligationem inducant. Atque eum in finem, ut nulla hac super re in posterum suboriri valeat dubitatio, Nos iisdem illis peculiaribus statutis, ordinationibus et privilegiis cuiuscumque generis et consuetudinibus a quocumque etiam vetustissimo et immemorabili tempore invectis, ac vigentibus, omnem prorsus obligandi, et iuris afferendi vim ex plenitudine Apostolicae auctoritatis adimimus. Quocirca Scotiae Praesulibus integrum erit ea decernere, quae ad communis iuris executionem pertinent, quae ex generali ipsa Ecclesiae disciplina Episcoporum auctoritati permissa sunt. Pro certo autem teneant, Nos eis Apostolica Nostra auctoritate libenter fore adfuturos, atque in omnibus Nostram eis opem laturos, quae ad divini nominis gloriam amplificandam, et animarum spirituale bonum fovendum conducere visa fuerint. Cuius quidem propensae voluntatis Nostrae erga dilectam

S. Sedis Filiam, Scotiae Ecclesiam, ut pignus exhibeamus, volumus, et declaramus, Antistites ipsos, cum Ordinariorum Episcoporum nomine et iuribus fuerint insigniti, iis haudquaquam privari debere commodis, et amplioribus facultatibus, quibus in antecessum una cum titulo Nostrorum et Apostolicae Sedis Vicariorum fruebantur. Neque enim fas est, ut in eorum vertant detrimentum, quoad a Nobis ex Catholicorum Scotorum voto in maius sacrae apud ipsos rei bonum decreta sunt. Et, quoniam ea est Scotiae conditio, ut Christi Ministris, et variis cuiusque Ecclesiae necessitatibus temporalia subsidia haud congrua suppetant, certa spe futurum substentamur, ut dilecti ipsi filii Nostri Christifideles, quorum impensissimis postulationibus pro Episcopali Hierarchia restituenda libenti animo obsecundavimus, Pastoribus, quos eis praeficiemus, eleemosynis ac oblationibus suis largius etiam succurrere pergant, quibus Episcopalium sedium instaurationi, templorum, ac divini cultus splendori, Cleri pauperumque substentationi aliisque Ecclesiae necessitatibus valeant consulere.

Sed iam al Illum humillimas preces nostras convertimus in quo placuit Deo Patri in dispositione plenitudinis temporum instaurare omnia, ut qui cepit opus bonum, ipse perficiat, confirmet, solidetque, ac illis omnibus, ad quos res a Nobis decretas exequi pertinet, coelestis gratiae lumen et robur adiiciat, quo restituta a Nobis in Scotiae Regno Episcopalis Hierarchia Religioni Catholicae omnino benevertat. Ad quem etiam finem deprecatores apud Reparatorem Nostrum Iesum Christum adhibemus Sanctissimam eius Matrem, B. Iosephum ipsius putativum patrem, Beatos Apostolos Petrum et Paulum, nec non S. Andream, quem'Scotia peculiari cultu prosequitur, aliosque Sanctos, ac praesertim Beatam Margaritam Scotorum Reginam eiusdemque Regni decus et columen ut renascentem illam Ecclesiam benigno favore prosequi velint.

Decernimus tandem has Nostras litteras nullo unquam tempore de subreptionis aut obreptionis vitio, sive intentionis Nostrae alioque quovis defectu notari vel impugnari posse, et semper validas et firmas fore, suosque effectus in omnibus obtinere atque inviolabiliter observari debere. Non obstantibus Apostolicis, atque in synodalibus, provincialibus et universalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus sanctionibus nec non veterum Scotiae sedium et missionum ac Vicariatuum Apostolicorum inibi postea constitutorum, et quarumcumque Ecclesiarum ac piorum locorum iuribus aut privilegiis, iuramento etiam, confirmatione Apostolica aut alia quacumque firmitate roboratis, ceterisque contrariis quibuscumque. His enim omnibus, tametsi pro illorum derogatione specialis mentio facienda esset, aut alia quantumvis exquisita forma servanda, quatenus supradictis obstant, expresse derogamus. Irritum quoque et inane decernimus, si secus super his, a quoquam, quavis auctori-

tate, scienter vel ignoranter contingerit attentari. Volumus autem ut harum Literarum exemplis etiam impressis, manuque publici Notarii subscriptis, et per constitutum in Ecclesiastica dignitate virum suo sigillo munitis eadem habeatur fides, quae Nostrae voluntatis significatam ipso hoc diplomate ostenso haberetur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae Erectionis, Constitutionis, Restitutionis, institutionis, Adsignationis, Adiectionis, Attributionis, Decreti, Mandati, ac Voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum Eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo septuagesimo octavo, iv nonas martias, Pontificatus Nostri anno primo.

C. Card. SACCONI, *Pro-Datarius.* F. Card. ASQUINIUS.

VISA :

DE CURIA 1. DE AQUILA E VICECOMITIBUS.

L. $ S.

I. CUGNONIUS.

Reg. in Secretaria Brevium.

De Hierarchia Episcopali in Scotia restituenda notiones[1] et rationes variae.

REGIMEN ECCLESIASTICUM ANTE REFORMATIONEM. Etsi traditio vetustissima memoriae prodat a S. Victore 1[2] missos fuisse quosdam Marchum et Dionisium, qui Donaldum Scotorum Regem ad Christi religionem convertissent, explicita tamen mentio fit de S. Niniano, qui, a Papa Siricio[3] ad Episcopalem dignitatem evectus, fidem praedicavit populis Scotiae meridionalibus. Qui dum in Provincia Gallovi-

[1] **Facilioris intelligentiae gratia nonnullas addimus notiones historicas, nonnullaque rationum momenta, quibus freta S. Sedes Ecclesiasticam Hierarchiam in Scotia restituit ; pro qua supra relatam edidit Constitutionem** *Ex supremo.*

[2] **Ann. 193-203.**

3 **An. 394.**

diana Ecclesiam a fundamentis excitasset, eamdem S. Martino dica vit. Instar Apostoli quoque habent Scoti S. Palladium Ecclesiae Romanae diaconum; qui evectus ad episcopalem dignitatem in Scotiam sese contulit anno 431. Nobilis etiam S. Columba Ab. in annalibus Scotorum censetur, qui in Scotiam venit anno 565; ibique Monasterium fundavit a quo alia multa originem duxerunt. A medio tamen saeculo VIII usque ad aetatem [1] S. Margaritae, quae Malcholmo III nupsit, historia huius regionis Ecclesiae in obscuritate delitescit. Scimus tamen huius sanctae uxoris consilio regem Malcholmum Episcopos residentiales et capitula illic instituisse, revocatis Episcopis monasticis, et Capitulis religiosorum.

Ex Romanorum Pontificum studiosis curis et ex Ecclesiarum reliquiis, quae adhuc manent, colligi potest catholicam Religionem mature Scotiam" pervasisse.

SEDES EPISCOPALES ANTE REFORMATIONEM EXISTENTES. I. S. ANDREAE, quae parum distat ab Edimburgo: quaeque Caput Scotorum fuit dum regnaret Malcholmus III. Ibi reliquiae S. Apostoli, quae ex Achaia translatae dicuntur, maxima coluntur veneratione. Eius Cathedralis inter Gothicae structurae clariora monumenta recensetur ab historia. Saeculo iv S. Andreae Sedes ad Metropolitanae et Primatialis decus evecta est: ultimusque eius titularis Ioannes Hamilton martyrii palma coronatus est.

II. CANDIDAE CASAE. A S. Niniano haec fundata fuit, cuius successores Episcopi a Beda recensentur, et anno 1558 series explicit.

III. ABERDONENSIS. Malcholmus III istam fundavit; et ultimus istius Episcopus Guillelmus Gordon supremum obiit diem anno 1577.

IV. DUNKELDENSIS. Huius pervetusta origo haud nota est. Innotescit tamen quod in pristinum restituta fuerit a rege David I, filio S. Margaritae. Opera et livore Protestantium eius Cathedralis Ecclesia diruta anno 1559 eiusque Episcopus ultimus Robertus Cricton ab haereticis expulsus est.

V. GLASGUENSIS. Ad honorem Metropolitanae dein evecta est; civitas haec inter praecipuas Scotiae civitates merito cooptatur. Origo seu incrementum eius & S. Kentigerno repeti debet; qui Episcopali recepta consecratione, hanc Dioecesim moderatus est ab ineunte saeculo vi. Supremus eius Archiepiscopus exui in Gallia ad coelites migravit anno 1603.

VI. MORAVIENSIS. Erecta a Malcholmo III, adhuc illius Cathedralis ecclesiae vestigia conspiciuntur. Patritius Hepbur ultimus eius Pastor e vivis excessit anno 1573.

VII. CATHANENSIS. Ab eodem Malcholmo III saeculo xi fundata est. Eius ultimus Episcopus Andrea Stewart mortalitatem exuit anno 1542.

* An. 1093.

VIII. **RossENsis.** Erectam fuisse anno 1120, aut 1130 creditur; quamvis adsit qui retineat regem David haud novam instituisse Sedem, sed antiquam a saeculo VII existentem ad pristinum revocasse decus. Ioannes Lesley ultimus Episcopus Bruxellis 1596 obdormivit in Domino.

IX. BRECHINENSIS. Monasterii Sedes erat; fuitque a David I in Dioecesim erecta anno 1150 cum Capitulo Religiosorum Monasterii eiusdem. Eius Ordinariorum series in Ioanne Sinclar finem habet; qui anno 1566 ad coelum ivit.

X. DUMBLANENSIS. Sedes haec in antiquo Monasterio constituta erat; quo diruto, David I Sedem Episcopalem ad vitam revocavit. Censent alii eiusmodi Sedem restitutam fuisse a Comite Stratherne anno 1200. Ultimus Episcopus Guillelmus Chisholm II exui in Gallia animam efflavit.

XI. **LiSMORENsis** SEU ERGADIENSIS. Iuxta nonnullos scriptores sedes eiusmodi erecta a papa Clemente III, iuxta alios ab Alexandro III fuit anno 1200. Iacobus Hamilton ultimus Episcopus huius Dioecesis ad Protestantes transiit.

XII. **SopoRENsis** SIVE INSULANUS. Episcopi Sodorenses dicti sunt etiam Insularum; quorum ultimus fuit Rodericus Maclene electus anno 1550.

XIII. ORKADENSIS. Huius Dioecesis origo S. Servano tribuitur, S. Palladii discipulo. Sedis istius ultimus Episcopus fuit Adamus Bothvell electus anno 1559, qui cum haeresiae adhaesisset, e vivis excessit anno 1559. Quamquam ante Protestantium epocham undecim Episcopos duosque Archiepiscopos Scotia possideret, nullus tamen aderat Metropolita, ideoque omnes immediate S. Romanae Sedi subiiciebantur. [1] Et quamvis Angliae Episcopi pluries conati fuissent sibi Scotiae Episcopos subiicere, inutile opus fuit. Nam Alexander III, Epistola ad Episcopum S. Andreae anno 1170 data, confirmat hanc Ecclesiae Scotiae libertatem. Honorius Papa III sub directa S. Sedis protectione posuit Scotiae regnum anno 1218. Eugenius vero Papa IV Iacobo Scotiae regi scribens, *Metropolitanum se Scotiae gerebat.* Paulus Papa II libertatem asseruit Praelatorum Scotiae a Metropolitis Angliae, cum quaestio inter illos exorta esset.

Quamquam Scotiae ecclesia vere Primate et Metropolita careret usque ad saeculum xv, verumtamen Episcopus S. Andreae tum ex antiquitate propria, tum quia fuerat regni caput, appellabatur

[1] THOMASSIN, *Vetus et nova Ecclesiae disciplina, p. 1, lib. 1, cap. 45, n. 11 scribit:* « Nec mirum si tandiu Metropolitano caruit Scotia cum advertat Campdemus perdiu eius Episcopos nullas certas sedes habuisse. Scotorum Episcopi munia Episcopalia, quocumque fuerant loco, sine discrimine obierunt, usque ad Malcholmi III tempora (Campdeni Britannia an. 683). Eadem sors et conditio fuit omnium Ecclesiarum, dum inter canabula sua reptarent».

Primus Episcopus, Summus Episcopus, Episcopus Scotorum. Episcopus iste, qui etiam *Legatus a latere* fuit, privilegio Scotorum reges coronandi gaudebat.

Ut omnes Angliae Episcoporum conatus elideret Sixtus Papa IV a rege Scotiae rogatus Bullam edidit, cuius initium *Triumphans Pastor Aeternus* diei 17 augusti 1472. In ea enim Summus iste Pontifex *perpendens dispendia, taediaque Scotis subeunda, dum Romana adeatur Metropolis* erexit S. Andreae Sedem *in Metropolitanam et Sedem Archiepiscopalem totius regni.*

Quum inter Archiepiscopum S. Andreae et Robertum Episcopum Glasguensem nonnullae exarserint quaestiones, Innocentius Papa VIII exemit secundum a iurisdictione Primatus S. Andreae, statuitque ut S. Sedi directe subiiceretur. Idem Pontifex Bulla diei 9 ianuarii 1491 separavit a provincia S. Andreae *Ecclesias Glasguen. et Dunkelden. ac Dumblanen nec non Candidae Casae et Lismoren.*, et in Metropolitanam erexit ecclesiam Glasguensem *cum Archiepiscopali dignitate, iurisdictione, ac superior itale,* constituens alias quatuor ecclesias eiusdem suffraganeas.

INITIUM HAERESIAE APUD SCOTOS. Sub dominatione Iacobi V inielicis Mariae Stuardae patris, Patricius Hamilton haeresim in Scotia disseminare coepit, quae tamen zelo et virtute Regis Cardinalisque David Beatón Archiepiscopi S. Andreae repressa fuit. Demortuo autem Iacobo V et necato, ope sicarii, illo Cardinali, error irrepere valuit fraudibus et calumniis suffultus. Iacobus VI adhuc puer in hostium suae matris potestate decidit ; deindeque in Angliam transiens, Iacobi I nomen assumpsit; sub cuius dominatione Presbyterianismum declaratus fuit Religio Status.

DE MISSIONIBUS IN SCOTIA USQUE AD ERECTIONEM VICARIATUUM. Superfluum videtur aliquid innuere de cura studioque, quibus S. Sedes operam navavit ut extremum praepediret Religionis discrimen saeculo xvi. Omissis aliis, praetermitti nequit quod Paulus IV anno 1559 miserit Nicolaum Pellevé titulo et iurisdictione Nuntii ad Reginam Mariam Stuardam, quae adhuc in Gallia morabatur. Nuntius ille in unum collectis Edimburgi regni Praelatis, enixis viribus curavit ut omnes adlaborarent ad religionem in Scotia sustinendam. Litterae Apostolicae Gregorii XV *Ecclesia Romana,* die 23 martii 1623, evincunt consecratum Guillelmum Episcopum Calcedoniae, missumque fuisse, amplissimis auctum facultatibus, eo consilio ut Angliae et Scotiae Catholicos protueretur. Urbanus VIII *ad restituendam in eisdem regnis Catholicam fidem et Anglorum et Scotorum salutem procurandam* concedebat Cardinali Francisco Barberini Profecturi amplissimas facultates, ceu ex Brevi colligitur *Inter gravissimas* diei 18 maii 1630. Quum autem acrius persecutio saeviret idem Pontifex Brevi *Multa sunt* diei 12 februarii 1633 Scotiae Catholicos Reginae Galliae commendavit.

Ab anno 1622 ad annum 1694 variis Scotorum missionibus praesidebant Apostolici Praefecti. A medio saeculo xvi ad annum 1694 omni Episcopo caruerunt Scotiae Catholici. Hoc anno Innocentius XII primum nominavit Vicarium Apostolicum Thomam Nicholson, cui totius Scotiae et Insularum cura concredita est.

Benedictus XIII anno 1727 totum Regnum efformans unum Vicariatum in duo tribuit *Districta* quorum alteri praefuit Iacobus Gordon, alteri vero Alexander Ioannes Grant.

DE MODERNO REGIMINE ECCLESIASTICO IN SCOTIA. Magnum retulerunt fructum duo dicti Vicariatus Apostolici; ita ut numerus catholicam fidem profitentium spatio quadraginta annorum attigerit 99,800. Proinde Leo XII per Vicarios enixe rogatus, Brevi *Quanta laetitia affecti simus* diei 13 februarii 1827, Scotiam triplici Vicariatu distribuit; nempe instituit Vicariatum septemtrionalem, orientalem, atque occidentalem.

Cui divisioni sese opposuerunt viri ecclesiastici et saeculares nimis addicti anteriori divisioni. Verum perpensis oppositionis momentis, S. C. de Propaganda Fide litteras ad Vicarios misit, quibus iussit ut Breve *Quanta laetitia* exequerentur. Oppositores restiterunt et divisio triplex locum feliciter habuit; quae reapse multa peperit commoda. Insequenti etenim anno 1829 Georgius IV quum desideratam decrevisset catholicorum Britanniae emancipationem, maior fuit Vicariis Apostolicis libertas ad magis provehendam Religionem in Scotia. Et ope pinguis haereditatis ad id a pio testatore relicta magnum extractum fuit Seminarium, a quo uberiores semper promanarunt fructus favore Religionis. Alia seminaria, aliaeque Ecclesiae successu temporis extructae sunt; et Catholici illius regionis, qui anno 1777 nondum erant 13,000, nunc pertingunt ad 360,000.

Res Vicariatuum Apostolicorum Scotiae orientalis, atque occidentalis non ita regulariter procedebant ob aliquas intestinas discordias regionis illius, ex quibus damnum caperet fidelium grex. Ideoque factum est ut consilium in omnium animum subierit de ecclesiastica Hierarchia in Scotia restituenda.

CONATUS AD HIERARCHIAM REVOCANDAM. Variis ex Scotiae partibus ad S. Sedem supplices interdum mittebantur libelli, eo consilio ut illico normale regimen ecclesiasticum iterum induceretur, ad mala non pauca praecavenda, quae praevidebantur, quaeque obstaculum ponerent maximo profectui religionis Christi. Sacra Congregatio de Fide Propaganda sententiam super id Emi Cardinalis Wiseman, Archiepiscopi Wetsmonasteriensis et Vicariorum Apostolicorum expoposcit.

Mandatis morem gessit Emus Wiseman respondens: «Haud censeo quod quis dubitare possit de necessitate immutandi ecclesiasticum Scotiae regimen; et utilius esset augere Sedium Episcopa-

lium numerum. Quod vero si fieri deberet, prudens esset ut eodem tempore Episcopi Ordinarii nominarentur ».

Vicarii Apostolici Orientalis et Septemtrionalis contrariam retulerunt sententiam. Et proinde S. Congr. de Propaganda Fide rescripsit: *Nihil innovandum.*

Tristior tamen in die fiebat Vicariatus occidentalis conditio; ita ut Eñius Manning Archiepiscopus Wetsmonasteriensis ceu Visitator Apostolicus illuc missus fuerit. Relatio visitationis Erui Viri sic claudebatur: unicum gravissimis malis temporis praesentis, et futuri remedium in hoc positum esse, ut Scotia per Dioeceses dividatur, et ecclesiastica Hierarchia instauretur. Idque pro certo habere omnes Scotiae catholicos.

Quapropter Sacra Congr. de Propaganda Fide die 27 ianuarii 1868 dubio: "« An dici posset venisse tempus opportunum, ita ut procedi queat ad restituendam ecclesiasticam Hierarchiam in Scotia » : respondit : *Affirmative iuxta modum in sequentibus exponendum.*

Interdum vero R. P. D. Errington electus Vicarius Apostolicus retulit minus opportunum esse tempus pro Hierarchia revocanda in Scotia propter legem, quae tunc in Anglia proposita fuit quoad Sedium Episcopalium titulos. Consilium excepit SSmus Pater remque adhuc distulit. Et R. P. D. Eyre concredita fuit Delegatio Apostolica *pro ordinandis et componendis ecclesiasticis negotiis Scotiae,* et ut asperas vias in planas converteret pro Hierarchia faciliori modo restituenda.

PROTESTANTISMUS IN SCOTIA. Septarum protestantium historia vere appellari potest *variationum* historia; eo quod ad 110 attingit numerus harum societatum. Catholici decimam constituunt partem variarum *confessionum* omnium, quae nunc in illa regione repe, riuntur; nunc ad 3,600,000 ascendit numerus omnium incolarum; quorum 360,000 Religionem profitentur catholicam.

DE OPPORTUNITATE HIERARCHIAE RESTITUENDAE. Argumentis, quibus usi sunt Emi Archiepiscopi Wiseman et Manning et exortationibus plurium catholicorum, adiiciendum quod Hierarchiae restitutio utilis fiet clero, qui ampliori auctoritate uteretur in quaestionibus religiosis; populo catholico, qui aptius sustineri posset in periculo quo eius fides versatur in contactu protestantium; atque Protestantibus ipsis, qui facilius fidem catholicam agnoscere et sequi poterunt.

Neque protestantes ipsi obstaculum parabunt; quoniam quidquid factum est in oppositionem anno 1850 ab Episcopis Anglicanis originem habuit, minime a Scotis, qui numquam sese opposuerunt, quique nunc indifferenter id prospicerent; quia presbyteriani concedunt unicuique *conscientiae libertatem.* Neque civile Gubernium contradiceret, quoniam vi legum, quibus nunc regitur, impedire nequiret,

quominus S. Sedes ecclesiasticam restitueret Hierarchiam in toto Angliae Regno.

Omnibus loci illius notum est quod S. Sedes restituere Hierarchiam in Scotia meditatur, tamen publica opinio haud curare id videtur, ceu innuunt ephemerides, quae de hac re loquutae sunt.

Non defuerunt fanatici protestantes qui operam sedulam navarent ad agitandam plebem ; sed opera eorum in vanum cessit. Quinimo ephemerides illius regionis asseruerunt multa protestantes relaturos esse commoda ex hoc facto, qui facilius et aptius novum instituere possent examen super Catholicismo, ad eundem *rationabilius* respuendum. Et prima Angliae ephemeridis, cui nomen *Times,* refutando nonnullas litteras virulentas Directori missas adversus Hierarchiae restitutionem, concludebat : pro Scotiae catholicis instauratur illa quae unica est forma regiminis in catholica ecclesia ; religiosaque libertas plena erit. Et inutiliter leges invocarentur; quoniam Romanus Pontifex in subiecta re agere potest quidquid eidem libeat. Nova Hierarchia novos faciet prosélytes inter eos qui iam pro medietate catholici sunt; caeterum nihil est extimescendum.

QUOAD TITULOS CONCEDENDOS NOVIS SEDIBUS EPISCOPALIBUS. Quaestio haec cum alia ligatur quae respicit Sedem constituendam ceu Metropolim Provinciae ecclesiasticae Scotorum. Quoniam vero agitur de restituenda, minime vero de instituenda Hierarchia Ecclesiastica in Scotia, sic conferri possent novis Episcopis antiqui tituli. Quod apprime conveniret S. Sedis praxi, quae confert titulos *in partibus infidelium* eo consilio ut antiquarum Ecclesiarum memoria servetur, quae actu Episcopis carent, quos olim habuerant. Etsi vero ordinarie antiqui tituli praeferendi sint, adiuncta tamen locorum et temporum exigere etiam possent ut novi assumantur, semper in animarum bonum. Quapropter inter sex Dioeceses, quas Vicarii Apostolici proponunt, tres tantum antiquos retinent titulos.

Superata quoque fuit difficultas qua dubitabatur an in unaquaque eiusmodi Dioecesium una comprehendi posset ex antiquis sedibus, a qua nomen acciperet, quamvis Episcopus vitam degere cogeretur in alia civitate ab antiqua Sede diversa.

DE METROPOLI CONSTITUENDA PRO ECCLESIASTICA SCOTIAE PROVINCIA. Per aliquod tempus disceptatum est an in Civitate Glasguensi, vel Edimburgi Metropolis ecclesiastica esset instituenda. Censebat alius quod praeferenda esset Civitas Edimburgi utpote quae intra sui territorii limites comprehendere posset antiquam S. Andreae Sedem, et in qua Episcopus residentiam haberet. Alius ex adverso retinebat Civitatem Glasguensem esse praeferendam; eo quod ista tum numero habitantium, qui ad 500,000 sese elevat, tum suis praerogativis omnes Scotiae supereminet civitates.

Hisce in oppositis sententiis adesse modum, quo conciliarentur opiniones duarum partium, visum est, quatenus ad dignitatem Àrchie-

piscopi ambae elevarentur Sedes, distribuens inter duas Dioeceses ecclesias suffraganeas; vel assignans uni Archiepiscopo S. Andreae quatuor alias Dioeceses. « Novum non est, ait Bened. XIV *de Synod.* « *Dioec, I. 2, cap. IV, n. 3, 5* ut quispiam ex privilegio, exornetur « titulo Archiepiscopi et Metropolitam, quin tamen, praeter nominis « atque honoris praerogativam, ullum consequatur ius proprii veri « Archiepiscopi et Metropolitam ». Ut alios praetereamus talis fuit Episcopus Ierusalem, cui in obsequium Sedis Patres Niceni « *contulerunt quoddam ius Metropoliticum, sed meri honoris* eo quod *licet* ille *subiectus remaneret Episcopo Caesareae,* voluerunt Patres Niceni, *ut locum haberet caeteris Provinciae Episcopis superiorem* ». Ideoque concludit Lambertinius: «Vetusta haec exempla sectantes Rom. « Pontifices, aliquibus Episcopis, Archiepiscopi nomen et insignia « tribuerunt, sine^.ullo tamen veri Archiepiscopi iure; quin imo ne «ab eorum Metropolitam quidem subiectione eiusmodi honorarios « Archiepiscopos quandoque subtraxerunt ».

Quatenus unus eligeretur Archiepiscopus sine suffraganeis, opportunum videretur Archiepiscopo honorario imponere onus interveniendi Synodo Provinciali. Ex *Trid., Sess. 24, de ref., cap. II,* habetur quod Episcopi immediate S. Sedi subiecti eligere tenentur Metropolitanum, *in cuius Synodo Provinciali cum aliis interesse debent.* Attamen particularis Congregatio relata a Bened. XIV, De Syn., dioec. 1. 13, cap. VIII, n.. 13, 15 resolvit: *Archiepiscopos, qui non habent suffraganeos, non teneri eligere Metropolitanum ad effectum conveniendi in eius Concilio provinciali.*

DE ELECTIONE EPISCOPORUM. Rationes eligendi Episcopos in Provinciis S. Congregationi de Propaganda Fide subiectis, ad tres cohibentur. Prima ratio illa est quae constituta fuit pro Anglia atque Hollandia, in qua Capitula partem habent ; secunda pro Hibernia ; in qua etiam Parochi interveniunt; tertia pro statibus Americae foedere iunctis, et pro nova Scotia; in qua Praelati comprovinciales adesse possunt.

Prima ratio pro Anglia sanctionem recepit *Instructione circa commendandos ad Episcopatum diei 21 aprilis 1852* cum posterioribus accidentalibus modificationibus. Quae ratio, absque dictis modificationibus sancita est pro Hollandia *Instructione diei 18 iulii1858.* Iuxta hanc Instructionem Canonici Sedis vacantis *ternam* scrutinio efformant; quam mittere Archiepiscopo, aut Seniori Suffraganeorum tenentur; qui *collatis consiliis* quoad personas commendatas, ternam ad S. Sedem mittunt: cum suis votis.

Secunda ratio pro Hibernia edita est decreto diei 17 octobris 1829. In ista ordinatur quod Parochi cum Capitulis si adsint commendare debent tres, *in quos maior suffragiorum numerus convenerit.* Et confecto processu verbali in duplici exemplari, Secretarius Dioecesis alterum ad S. Congregationem de Propaganda Fide,

alterum ad Metropolitanum sive ad Suffraganeorum Seniorem mittit. Qui Senior tandem mittet ad S. Sedem *Ternam* cum suo voto.

Tertia ratio primum sancita fuit pro Statibus Americae foedere iunctis, dein applicata fuit Provinciae Canadensi et Australiae. Ob hanc rationem debent Episcopi quolibet triennio ad S, Congr. et ad Metropolitanum nomina transmittere eorum qui digni videri possint Episcopali honore. Quum autem aliqua Sedes vacaverit omnes Episcopi comprovinciales in unum collecti examinare debent candidatorum qualitates et de his certiorem facere S. Sedem.

Ratio eligendi Episcopos in Provincia Halifaxiensi Novae Scotiae iubet ut Archiepiscopus, quum aliqua Sedes vacaverit, per litteras circulares alios Episcopos Provinciae apud se appellet. Omnes autem in unum collecti tres commendare debent S. Sedi, sive *Ternam* facere. Cum Archidioecesis vacat, tunc Senior Episcoporum omnes alios convocat.

Rationes istae quibus Episcopi eliguntur, minime S. Sedis libertatem minuunt. Nam quoties eadem S. Sedes rationem aliquam ex praedictis approbavit, adiecit : *nihil inveniri debere quod electionem, nominationem,postulationem innuat, sed tantum proprie dictam commendationem, ita ut etiam ex litterarum forma pateat, nullam in S. Sedem inferri obligationem eligendi aliquem ex commendatis; salva enim manere debet et Maesa Sedis Ap. libertas in eligendis Episcopis; commendationes vero lumen tantum et cognitionem S. Congregationi, non autem obligationem afferent.*

DE CAPITULIS CANONICORUM ET DE PAROCHIS. Congruum est ut restituta Hierarchia Ecclesiastica, praescriptaque observantia Iuris communis, provideat S. Sedes, ceu semper fecit, etiam ad hoc ut Canonicorum Capitula, et Parochiae in eisdem Dioecesibus restituantur.

Hisce omnibus perpensis, Emi Cardinales Fidei Propagandae praepositi SSmum Patrem in suscepto consilio de Hierarchia restituenda confirmarunt autumantes temporis opportunitatem ad id peragendum venisse. Quapropter Romanus Pontifex per Litteras Apostolicas superallatas ex tresdecim, quae ante reformationem existebant Sedibus, sex tantum erexit, nimirum S. Andreae cum adiuncto Edimburgi, Glasguensem, Aberdonensem, Dunkeldensem, Candidae Casae seu Gallovidianam, nec non Ergadiensem atque Insularum.

SSmus Pater Sedem S. Andreae ad dignitatem Metropolitanae seu Archiepiscopalis erexit assignans eidem quatuor Suffraganeas Ecclesias.

Glasguensi Ordinario nomen et praerogativam Archiepiscopi contulit, sed tantum honoris: iussitque ut in Provincialem Scotiae Syodum una cum aliis conveniat, donec sine Suffraganeis permaneat. Sedes istae quasi a sepulchro excitatae unam constituunt ecclesiasticam provinciam.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII TRIDENTINI

BENEFICII,

Die 28 iulii 1877.

Compendium facti. Quamquam tenebris involuta origo sit, in Ecclesia tamen S. Viti Dioeceseos P. est Beneficium Sacristae, cuius reditus anno 1789 aucti fuerunt opera et studio Sacerdotis Mariani Tarisciotti tunc temporis Rectoris ; cui S. C. Concilii indulsit ut ipsum beneficium iuspatronatus tam activo, quam passivo favore suimetipsius et descendentium ex propria familia subiectum perpetuo maneret alternativa vice cum Episcopo.

Cum anno 1873 Archipresbyter S. Viti sese invisum plebi sibi commissae prospiceret, habita a patronis nominatione, Ordinario pandidit, sese Archipresbyterali muneri nuncium missurum, dummodo provideretur de vacante beneficio Sacristae ; quod ille consecutus est. Verumtamen sub die 25 iunii 1873, obtenta huius beneficii canonica institutione, resignationem Archipresbyteratus haud implevit.

Tunc Antistes ut malo medelam afferret contulit eidem Archipresbytero alium beneficium in alio pago vacans cum onere coadiuvandi Parochum illius loci. Ex quo conditio Archipresbyteri melior evasit, tum propter fructus uberiores, tum propter minora officia.

Ut novo vacaret officio in alium pagum sese contulit Archipresbyter die 6 augusti 1874, postquam eumdem pluries adhortatus esset Ordinarius ut Beneficii Sacristae possessionem dimitteret; idque eo magis quia patroni rem postularent. Quod in irritum cessum Sacram Concilii Congregatio-

nera adiverunt iidem patroni petentes ut in possessione Beneficii Sacristae immitteretur filius Francisci, qui unus erat ex patronis iisdem.

Disceptatio synoptica.

ARCHIPRESBYTERI DEFENSIO. **Enixis viribus contendit ille Beneficium Sacristae haud incompatibile esse, ita ut, alio consequuto beneficio, illud dimitti oporteat. Duo enim adesse debent in beneficio ut incompatibile sit et habeatur: ut nempe requirat personalem residentiam et personale servitium. Duplici isthoc charactere expers esse beneficium in casu facile erui ex decreto in S, Visitatione edito anno 1764 ab Ordinario illius temporis « ibi » Adest in hac Ecclesia Beneficium « Sacristae ... quod personalem residentiam non requirit, ita « beneficiatus non per seipsum, sed per alium officium Sacri- « stae exercere valeat ».**

Ex oneribus quae beneficio ipsi inhaerent colligi etiam potest quod huius beneficii rector a lege residentiae sit solutus. Eiusmodi onera sunt pulsare campanas, Missis inservire, everrere, idque omne peragere quod ab Ecclesiarum inservientibus fieri consuevit. Ast si beneficium istud foret residentiale, beneficiatus per se implere descripta onera deberet, quia beneficium censetur et est. Nemo tamen non videt quantum viro ecclesiastico dissona haec munera sint; proinde residentiae vinculis subiici rector nequit, atque per alium onera illa explere valet.

Neque dici potest, ait ille, quod Beneficiatus iste Sacristiae praeesse debeat; qui magis gravaretur quam sit in fundatione et quia Ecclesia illa neque Cathedralis, neque Collegiata cum sit eiusmodi servitium non exigit. Insuper supellectilia necessaria ad Ecclesiae servitium traduntur illi personae quam Beneficiatus designat et ob id rémunérât.

Consuetudo etiam tollit omnem dubitationem hac super re. Maximam habere vim consuetudinem nemo ignorat, tum

ex iure civili tum ex iure canonico. *Cap.* **p,** *de consuetud,* **et quemadmodum praesumptionem inducit cuiuscumque melioris tituli de mundo, ita praesumere facit confirmationem apostolicam Card. De Luca,** *de Iudic, disc 35, num. 63;* **Rota,** *decis. 656, n. 8 et* **p,** *part. iç.* **Atqui observatum fuit ultra centum annorum spatio beneficii possessores per se numquam munus aeditui obiisse.**

Quamquam beneficiati, qui eiusdem loci erant, resederint, tamen a residentia éxcusantur a tenuitate redituum, qui vitae ducendae impares sunt, Card. Petra, *ad Constit. 7 Innocent. III, num. ^28,* **et monet S. Congr. Concilii** *in Fulden., 21 novembris* ***i****/6y* **§** *Quod.* **Atqui reditus huius beneficii vix excedit libellarum 180 summam ; a qua expungenda est summa libellarum 60 rependenda inferiori aeditui. Igitur cum beneficium haud residentiale sit, cum altero compatibile est, et consequenter primum beneficium non vacat. Proindeque si beneficium vacavit immerito patroni iudicio sistunt petentes huius beneficii collationem.**

PATRONORUM DEFENSIO. **Videtur ex adverso Beneficium Sacristae vacavisse, ex quo Beneficiatum alterum beneficium obtinuit in alio oppido. Ad inducendam enim, ipso iure, Beneficii vacationem requiritur 1. Beneficiorum incompatibilitas ex** *Cap. de multa 28 de praeben.* **Concil. Trid.** *Sess. 7, cap. 4, de ref.* **Lambertin.** *de iurepat, art. 16 qu. 6 n. 2.* **2. Assecuti© secundi beneficii** *cum effectu;* **ad quam verificandam necessaria est captura possessionis, quia sicut possessio est illa quae effectum inducit provisionis de incompatibili, ita numquam oritur vacatio, nisi possessio obtineatur, qua solum concurrente, verificatur assecutio incompatibilis, aliud enim est assecutio, aliud vero collatio beneficii, quia assecutio intelligitur per possessionem, non per collationem tituli, ut est textus in hac materia vulgatus in** *cap. de multa, de praeben.* **in illis verbis** *post receptionem alterius,* **quae iuxta communem sensum canonistarum intelliguntur de receptione corporali, mediante captura possessionis, alias sine possessione non dicitur facta assecutio incompatibilis, nec per**

consequens orta vacatio Beneficii prioris, ut explicat Gloss, *in dicto capite de multa in verba post receptionem,* **ibique Fagnan.** *n. p* **Panormit.** *n. 16 et ly,* **Ancharan,** *n. j,* **« ibi » Nota quod per « adeptionem secundi beneficii vacet primum ipso iure, et « pondera verbum** *recipiens* **et verbum** *habeat* **et sic inducitur** <*k* **vacatio ipso iure, postquam habuerit possessionem secundi ». Hinc quod sola possessio secundi sit illa quae primum facit vacare beneficium ponderavit** *Gloss, in Ciernen, si plures in verb. vacare de praeben.* **« ibi » Si vero possessionem ipsius « ultimi apprehendit; haec possessio facit prima beneficia « vacare ». Vitalin,** *ibidem n. 20.* **« Vacationem non inducit « collatio sed assecutio possessionis ».** 3. **Requiritur quod possessio sit plena cum perceptione fructuum, vel saltem eorum maioris partis iuxta dispositionem textus in** *cap.* **si tibi concesso** *de praeben. in 6.* **« Aequum est ut quamdiu fructus non perceperis primum non debeat reputari vacare ea ratione quod mediante possessione inutili, seu sterili non dicitur quis plene recepisse beneficium secundum, quia plena assecutio beneficii et possessionis verificatur in perceptione fructuum ut bene animadvertit Gloss, in dicto** *cap. 4, tibi concesso in verbo vacare* **« ibi » quia non est adhuc adeptus plene, quia licet beneficium habeat, fructus non habet, et sic non videtur plene translatus, nam licet res data sit, vacua possessio tradita non est, et sic ad plenum recepisse non videtur;** 4. **exigitur ut possessio sit pacifica, nam alias ubi supervenient molestiae tam de iure quam de facto iudiciales seu extraiudiciales, non dicitur facta assecutio incompatibilis, nec primum beneficium, durantibus molestus super secundo, interim vacare censetur, et quod requiratur haec possessio pacifica disponunt omnes posteriores decretales, quae emanarunt ad explicationem textus in dicto** *cap. de multa,* **ceu recognosci potest ex** *cap.* **commissa** *de élection, in 6, «* **ibi » Et possessionem pacificam habuisti et in dicto** *cap. licet Episcopus de praeben. in 6 «* **ibi » Episcopus beneficium, postquam aliud consimile, ac illius possessionem pacificam habuisti, possit alteri de iure conferre. Et in dicta**

Clement, si plures **eodem tit. « ibi** » *Bius possessione adepta pacifice, Dignitates, quas prius habebat ipso facto vacare censemus, si dignitatem unicam obtinenti alia similis conferatur eius pacifica possessione habita, prima de iure vacar et* **». Proinde sacri canones iubent post duos menses a possessione secundi beneficii, dimittendum esse primum: quia infra hoc spatium experiri potest an veniant molestiae de iure vel de facto, ne casus verificetur, quo provisus utroque carere deberet beneficio. Et ideo, ut auctores retinent, primum beneficium vacare non potest nisi elapsi fuerint duo menses ad illud dimittendum concessi,** *Lotter. de re benef. lib. 3, qu. 23, n. iç,* **Rota coram** *Merlin, dec. 6 n. io et in recent, decis. 1 3 1 n. 7 et seq.* **et coram Buratto** *dec. 202 num. i et 2 « ibi » Oportet quod quis pacifice possederti secundum beneficium per duos menses, ut inducatur vacatio primi.* **Concinit** *Colonien. Pastoratus 13 ianuarii 168/* **§** *Nec in sola coram bo. me. Motines et Derthonen. Beneficii 2j Iunii 1703* **§** *Solumque coram Omana.*

Haud dubitare licet quod hi characteres atque istae notae adfuerint in themate ; nam nulla lis est inter Archipresbyterum et patronos quoad assecutionem secund ibeneficii cum effectu, quoad possessionem plenam cum perceptione fructuum, quoad pacificam possessionem et quoad lapsum duorum mensium. Omnis quaestio ergo est de beneficii Sacristae incompatibilitate cum beneficio sito in alio oppido, cui adnexa est obligatio coadiuvandi parochum.

Quod haec duo beneficia sint incompatibilia clare ex eo patet quod utrumque residentiale dici debeat : tale enim esse beneficium cum onere coadiuvandi Parochum nemo dubitat; quod autem tale sit etiam beneficium Sacristae ex verbis Ordinarii erui potest. « Unum modo in quo omnis controversia sita est superest inquirendum. Utrum videlicet Benefido praedicto onus residentiae inhaereat nec ne : Quod ut < assequamur, deficientibus fundationis tabulis, acta SS. Visitationum consulamus oportet. Iamvero in visitatione Emi * Cardinalis Columna anno 1 7 8 9 pag. 6 8 6 , haec ad rem

« leguntur. De collatione ordinaria adest denique beneficium *« residentiale* **Sacristae, qui** *choro interest,* **ac per seipsum vel « per alium** *minora* **Sacristae** *officia* **praestat ».**

Emus Antonius Barberini in Sacra Visitatione loquens de isto beneficiato ait: « Habet onus personaliter residendi « et sacristam faciendi, licet sub die 20 Maii a S. Congre- « gatione Concilii Tridentini obtinuerit posse per alium ab « Ordinario approbatum inservire. Modo residet et inservit « per seipsum ».

Visitatio tandem Emi Ordinarii de Alteriis anno 1637 loquens de personis clericorum pag. 532 refert: •« Adest « etiam alius Clericus, qui habet onus inserviendi Sacristiae « et minoribus officiis, qui tenetur inservire vel per seipsum « vel per substitutum in habitu clericali incedentem et parti- « cipat tertiam partem ex incertis cum ipso Archipresbytero ».

« Habemus itaque, prosequebatur Erñus Ordinarius, seriem « Emorum Episcoporum per duo circiter saecula decurren- « tem concorditer testantium Beneficium Sacristae esse *resi- « dentiate,* **habere onus** *personalis residentiae,* **interesse choro,** *« intervenire choro. . . .* **.Quibus perpensis, mihi videtur serio « dubitari non posse de obligatione residendi in casu ». Et re quidem vera praeceptum choro interveniendi exercendique munera, quae numerata sunt, indicant utique praesentiam et residentiam personalem, quia verba** *interveniat, intersit* **idem sunt atque resideat et aequiparantur, Fagnanus,** *m cap. Conque- rente n, 16 de Cleric. non resid.* **Navar.** *cons. 6 n. 3 eodem tit. Rota in Cracovien, seu Neukoricen. Concionaturae 2 maii lyoi § Et sane cor. bo. me. Muto.*

Ex eo quod S. C. Concilii concesserit Beneficiato pote- statem implendi munus per substitutum erui potest studium quo ducta fuit s. Congregatio ne servitia choralia desererentur si Beneficiatus impeditus esset; minime vero quod cessato aut secluso impedimento, possessor beneficii inserviendo per alium dispensatus extaret a chorali obligatione. Emus Praesul affabre hac super re observat « Etsi vero concedamus postea

« usum invaluisse inserviendi per alium, tenendum tamen est « id semper limitatu^i fuisse ad minora officia prout perspicere « declarat in sua visitatione Emus Columna, qui de beneficiato « Sacrista asserit, quod vel per seipsum *vel per alium minora « Sacristiae officia praestat ».*

Insuper apocrifam esse relationem s. Visitationis, quam Archipresbyter in exordio suae defensionis citavit, Ordinarius evinxit.

Neque ex consuetudine onus residentiae personalis exulat ; quia ex monumentis SS. Visitationum constat tantum beneficiatum potuisse- per alium adimplere officia minora ; non vero divinarum laudum pensum. Nam, et Hieronymus Vitalis, de quo loquitur Emus Barberini in S. Visitatione opus habuit Apostolico indulto ut abesset a residentia et per alium inserviret. Proinde constat quod Beneficium Sacristae residentiale sit, et incompatibile cum alio beneficio, cui adnexum est onus coadiuvandi parochum ; et ideo ex dispositione iuris primum vacavisse ad *Text. in Clement. Gratiae 4 de resùript. late patent,* **Paris,** *de résignât. I. i quaest, i n. Q et seqq. Card. de Luca de Benefic. disc. 92 n. 38.*

Facta etiam hypothesi quod beneficium Sacristae residentiale haud foret, retineri tamen ab Archipresbytero nequit. Nemo enim potest plura retinere beneficia, etiam simplicia et residentiam non requirentia, quorum unum sit sufficiens pro honesta vitae substentatione Barbosa *in tract, de offic, et potest. Episcop. Allegat. 62 n. 2.* **Quod probatur per textum** *quia nonnulli de cleric. non resident, et in cap. cum iamdudum de praebend.* **et per Tridentinum** *Sess. 24 cap. ij de reformat.* **« ibi >** *Cum Ecclesiasticus ordo pervertatur quando unus plurium officia obtinet Clericorum, sancte sacris Canonibus visum fuit ?ieminem oportere in duabus Ecclesiis conscribi verum quia multi improbae cupiditatis affectu seipsos non Deum decipuntes. . . . >.*

Excusari ergo a lethali non posse videtur plura retinere beneficia, cum unum sufficiat; eosque a radice cupiditatis et

avaritiae id procedat, Deus ipse cultu suo privatur et iniuria dignis Sacerdotibus fit, qui beneficio destituuntur. Quapropter S. Gregorius Magnus ait : « Singula ecclesiastici iuris ofiicia « singulis quibuscumque personis singillatim committi iube- « mus : sicut enim in uno corpore multa membra sunt secun- « dum veridicam Beati Pauli sententiam, in uno eodemque « spirituali corpore conferendum est hoc officium uni, alii « committendum est aliud, neque enim quantumlibet exerci- « tatae uni personae, uno tempore, duarum rerum officia « committenda sunt, quia si totum corpus est oculus, ubi « auditus? Sicut enim varietas membrorum per diversa officia « et robur corporis servat, et pulchritudinem repraesentat, ita « varietas personarum, per diversa nihilominus distributa offi- « cia, et fortitudinem et venustatem Sanctae Ecclesiae Dei « manifestat. Et sicut indecorum est in corpore humano, quod « alterum membrum alterius fungatur officio ; ita nimium « noxium, simulque turpissimum est, si singula rerum mini- « steria personis totidem non fuerint distributa ».

Atqui, ex iudicio Emi Ordinarii, Archipresbyter ex novo beneficio habet unde commode vivat: ergo alterum dimittere tenetur.

Hisce enarratis, dirimendum fuit propositum

Dubium.

An constet de vacatione Beneficii Sacristae, ita ut deveniendum sit ad novam nominationem in casu.

RESOLUTIO. **S. C. Concilii, re cognita, sub die 28 Iulii 1877 respondere censuit:**

Affirmative in omnibus.

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Ipso iure vacare primum beneficium ob alterius beneficii incompatibilis [1] assecutionem, dum etiam Tridentina Synodus beneficio pluralitatem improbet.

[1] Ceu incompatibilia proprie habentur beneficia illa, quae personalem exigunt residentiam.

II. Attamen requiri plenam et pacificam possessionem beneficii secundi cum effectu: idest cum perceptione fructuum, ut ipso iure inducatur vacatio prioris beneficii, ob assecutionem alterius incompatibilis ; eo quod sola collatio non inducit vacationem, sed opus est possessionis assecutione.

III. Quinimo concedere sacros canones bimestre a capta secundi beneficii possessione, ad hoc ut provisus primum dimittat beneficium et experiatur an superveniant molestiae sive de iure sive de facto ; nam, molestiis exstantibus, primum non vacasse censetur, ne provisus utroque careat.

IV. Quapropter nullam esse impetrationem secundi beneficii infra bimestre factam, etsi vacatio primi postea contigerit; quia beneficium alteri conferri nequeat, nisi post secutam vacationem primi beneficii.

V. Non solum beneficia personalem residentiam exposcentia haberi uti incompatibilia, sed etiam beneficia simplicia dici debere incompatibilia, quorum unum sufficiens sit pro honesta vitae sustentatione.

VI. In themate adesse provisum de duobus beneficiis personalem residentiam exposcentibus ; et ideo necesse fuisse ut beneficium sacristae vacaret ipso iure, postquam Archipresbyter obtinuerit alium beneficium, cui annexum erat onus coadiuvandi parochum in.alio oppido morantem.

ORDINATIONIS.

PER SUMMARIA PRECUM.

Die 25 martii 1878.

Compendium facti. In Dioecesi A. Regni Gallici adest inter alias rite Romae revisas, dispositio synodalis quae sequitur. « Alumni ecclesiastici per duos annos iuxta methodum « ecclesiasticam et summa quidem animi applicatione philo- « sophiae studeant ».

Autumat Ordinarius quod hanc legem violaverit Petrus S. e sua Dioecesi; quia uno tantum philosophiae emenso anno, ad sacrae theologiae studia admitti postulaverat.

Petrus, qui a primo adolescentiae suae tempore in sacra studuit militia cooptari, ut optatum contingeret finem, sedulam impendit operam studiis theologicis Romae in Gregoriana universitate. Cum tempus urgeret ut inter militiae delectum numeraretur, [1] **nisi sacris Ordinibus initiatus extaret, pluries, sed frustra, litteras dimissoriales a suo Episeopo expoposcit. Quapropter supplici libello SSmo Patri admoto, petiit licentiam suscipiendi Ordines usque ad Presbyteratum inclusive.**

Episcopus a S. Sede quoad hoc rogatus respondit : sese litteras dimissoriales dare noluisse clerico Petro ob violatam synodalem dispositionem : caeterum nihil habere contra mores aut agendi rationem oratoris, cui alias proposuit litteras excardinationis, ut ad aliam Dioecesim, si vellet, convolaret,

Disceptatio synoptica.

In iure exploratum est quod omnes, qui ad sacros ordines promoveri desiderant, a proprio Episcopo illos suscipere debent iuxta *Trid. Sess. 23, cap. 8 de ref. Unusquisque autem a propido Episcopo ordinetur. Quod si ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cuiusvis generalis aut specialis rescripti, vel privilegii praetextu, etiam statutis temporibus, permittatur, nisi eius probitas aut mores Ordinarii sui testimonio commendentur.* **Attamen si testimonium iniuste ab Episcopo denegetur, recursus conceditur ad S. C. Congregationem ; quae committere potest sacram Ordinationem nedum Episcopo beneficii, sed et viciniori etiam aut metropolitano. 5".** *Cong. Con. in Fabr. Ord.*

[1] **Penes Galliae** *rempublicam* **a militia adhuc eximuntur terrena, qui Deo inservire cupiunt, sacros suscipiendo Ordines. Monarchico Italiae Gubernio, celeriorem inhianti** *progressum,* **id non placuit; sinitque tantum Deum habere quod sibi non prodest. Aspice, lector, discrimen et generositatem !**

21 aprilis 1792 § 4. **Idem de litteris dimissorialibus, irrationabiliter denegatis, dici potest; quia nulla alia prostat via eas expetenti, quam adeundi summum Pontificem, qui mandet Episcopo vel ut ipsum ordinet seu litteras dimissoriales concedat ceu in Nepesina** *Capellaniae, 27 maii 1713 dub. 3;* **vel ex plenitudine suae potestatis, quin ad aliam Dioecesim promovendus transeat, facultatem impertiatur ordines suscipiendi sive a Metropolitano, sive a viciniori, vel a quocumque catholito Antistite. S. C. Congregatio** *Visitatio SS. LL.* **relata a** *Bened. XIV de Synod. Dioec. lib. 12, cap. 8 n. 4,**

Siquidem Ordinarii dissensus in casu, de quo agimus irrationalis videtur ; quia ex eiusdem testimonio exurgit eumdem clericum *bonis moribus ornatum et pium esse.* **Quod asserunt alii Ordinarii in quorum Seminariis commoratus est ut studiis incumberet, dereliquens propriam Dioecesim valetudinis causa.**

Neque a propria Dioecesi discessus officit eidem iuveni, quia rigidum illius loci sustinere haud poterat clima, et quia speciali indigebat victu, ob morbum quo afflictabatur.

Hisce breviter ex officio adductis, remissum fuit EE. Cardinalibus perpendere quonam responso essent dimittendae preces clerici Petri S.

RESOLUTIO. **Sacra C. Cong., omnibus perpensis, sub die 28 martii 1878 resolvit.** *Pro facultate ad hoc ut Orator a quovis catholico Episcopo, servatis caeteris de iure servandis, ad sacros ordines usque ad presbyteratum inclusive promoveri possit, facto verbo cum SSmo.*

[1] **Episcopus qui renuit alicui ordines conferre, nullo iure ad id peragendum obstringi potest; neque ei qui repulsus est, ulla competit appellatio. Repulsus tamen adire potest S. Sedem eidemque suas exponere querelas. Apostolica Sedes «** *Metropolitano aut viciniori Episcopo committit, ut ab eodem Ordinario prius requirat causam recusationis, quo legitimam non allegante, licet illi eundem recusatum ordinare. Addit tamen ut Metropolitanus aut vicinior, antequam commissas sibi partes exequi aggrediantur, paterne curent ut ille denuo apud suos episcopos per tres vices suppliciter petant.*

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Nullam ex iure concedi facultatem appellandi contra decreta Episcoporum ; quatenus ipsi sunt executores S. Concilii Tridentini, ne executio huius Sanctae Synodi suspendatur aut impediatur.

II. Etiam Benedictus XIV *Constitutione* « *Ad militantis Ecclesiae* » **sustulit Ecclesiasticis Tribunalibus facultatem recipiendi appellationem a denegatione SS. Ordinum vel ascensus ad alios maiores.**

III. Attamen, ne omnis praediideretur via repulso a Sacris Ordinibus, concessum est eidem Apostolicam adire Sedem et suas exponere querelas, ut colligi possit an Episcopus legitimae innixus fuerit causae pro eiusmodi recusatione.

IV. In themate aeris rigiditatem, valetudinis defectum in iuvene clerico, urgensque tempus ut inter militiae delectum numeraretur, reddere videntur minus rationalem causam, qua Ordinarius renuebat permittere ut Clericus Petrus Ordines susciperet sacros.

REINTEGRATIONI SEU REHABILITATIONIS IN PAROECIAM.

Die 28 iulii 1877.

Compendium facti. Petrus G... parochus archipresbyter cuiusdam Ecclesiae receptitiae in Dioecesi B... anno 1866 civile, quod vocant, matrimonium contraxit ex quo prolem suscepit. Citatus ad comparendum coram curia episcopali, paruit ac facti poenitens, declaravit se Romam profecturum, ut a summo Pontifice veniam tanti criminis impetraret; quod illico perfecit et obtemperans praescriptis Ecclesiae, absolutionem obtinuit.

Reversus in patriam cognovit suam Ecclesiam tamquam vacantem oeconomo curato gubernandam commissam fuisse, et tamen nedum siluit sed, ne titulo sacrae ordinationis careret, impetravit ut inter partedpantes eiusdem Ecclesiae adnumerare tur. Interea facta separatione coram laica tribunali cum muliere, indubia dedit resipiscentiae signa, adeo ut ab Ordinario eidem concessa fuerit rehabilitatio tum verbum Dei praedicandi, tum confessiones fidelium utriusque sexus excipiendi.

In hoc rerum statu, videns paroeciam regi ab oeconomo, a S. Congregatione Concilii petiit ut redintegraretur vel saltem rehabilitaretur ad vacantem paroeciam. Ordinarius cui preces pro informatione ablegatae fuerunt, retulit Petrum exemplarem ducere vitam; plures fidelium, etiam ex conspicuis familiis, ipsum cupere parochum ; nullam privationis sententiam in ipsum latam fuisse, tamen paroeciam tamquam vacantem ab oeconomo gubernari Quem statum probasse videbatur idem Petrus, qui participationem in titulum ordinationis impetraverat in eadem Ecclesia. - Hisce habitis, disputatum fuit an redintegratio vel saltem rehabilitatio esset concedenda.

Disceptatio synoptica.

QUAE CONTRA PETRUM ADDUCEBANTUR. **Advertebatur in primis beneficium ipso iure vacare per matrimonium beneficiati, licet non consummatum, imo licet irritum, dummodo irritum non fuerit ex defectu consensus ipsius beneficiati** *cap. i et 3 de cler. coniug. Rota in Leodien, matrim., 23 febr. 1/3/, cor. Corio-Latini, Inst. Can., tom, 4, lib. 2, par. 3, tit. 13, § i, Fagnanus, in cap. Nuper De Bigam., n. 42,* **aliique ; ea potissimum ratione, quia in matrimonio valido aeque ac in nullo, non tamen ex defectu consensus, voluntas concurrit ducendi uxorem atque clericalem deserendi statum. Huic vero sen-tentiae accessisse dicebatur S. Congregatio Concilii, nam in**

causa. - *Dubium matrimonii et resignationis beneficii diei 21 iulii 1674, lib. Decr. 28, pag. 340* **- cum quaereretur -** *An Caius* **(qui matrimonium nullum contraxerat)** *resignare possit beneficium quod obtinet in tali statu* — **responsum fuit :** *JVegative et beneficium vacasse.*

Neque opponi posse dicebatur, matrimonium invalidum, effectum vacationis beneficii producere non posse, eo vel magis quod summus Pontifex f. r. Pius IX in sua Allocutione diei 27 septembris 1852 matrimonium iuxta leges civiles tantum celebratum, vocaverit *exitialem concubinatum;* **nam ad huiusmodi effectum non attenditur matrimonii validitas, sed solummodum factum celebrationis** *Rota, part. iç, tom. 2, decis. 468, n.* **5** *et 6 recen.* **Quapropter** *Latini, op. cit., lib. i, part. i, tit. 6, § 2,* **scripsit: « Inde apud Latinos fit ut si clerici maio- « res uxorem ducere praesumant, matrimonium sit irritum; « ipsi vero beneficia quaelibet amittant, ipsoque facto incidant « in excommunicationem** *Clem., Eos qui, De Consang.* **•». Ceterum neminem latet matrimonium a clericis maioribus initum semper tanquam turpem concubinatum habitum fuisse: quod nedum patet** *ex cap. 4, de der. coni,* **sed etiam ex Concilio Tridentino,** *sess. 24, can.* **p :** *Si quis dixerit clericos in sacris ordinibus constitutos... posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse... anathema sit.* **Igitur cum clerici in maioribus constituti (obstante lege ecclesiastica) matrimonium validum contrahere nequeant, cumque nihilominus clericos ipsum attentantes sacri canones beneficia ipso iure amittere decernant, extra omnis dubitationis aleam dicendum est, parochum de quo in casu, suo decidisse beneficio.**

Insuper advertebatur Petrum facto suo recognovisse vacationem parochialis beneficii, nam cognito paroeciam ab oeconomo administrari, non solum tacuit, sed in participantium numero adscribi postulavit et voti compos effectus. Hinc tacite renunciasse dicendum. Cum vero tacita renunciatio expressae aequiparetur /. *Cum quid ff. si cert. pet.* **et per renunciationem beneficium vacet, immerito insurgere nunc contra suam**

renunciationem, cum renuntians tanquam non exsistens fiat et regressum amplius habere non possit ad rem renunciatam *Rota, decis.* **777.** *n, 4 et* **5,** *p. 18 recen.* **Quod argumentum maximam vim recipere videbatur ex incompatibilitate inter participationem a Petro obtentam et praebendam parochialem, adepta enim possessione beneficii incompatibilis cum alio iam possesso, primum ipso iure vacare censetur** *cap. 6, De con. praeb. Clem. ult. de praeb., Reiff., tit.* **5,** *lib. 3, n. 318 sec.*

Ex quibus omnibus concludebatur Petro redintegrationem non esse concedendam. Quod vero ad rehabilitationem disserebatur esse denegandam ob malam vitae rationem a parocho per integrum annum habitam, ex qua scandalum et quidem maximum inter fideles fuit; ideoque rehabilitatus contemnere tur; despicerentur eius monitiones et correctiones, docente S. Thoma, *supp. q. 34, n. 4:* **«** *Cuius vita despicitur, restat ut eius praedicatio contemnatur et omnia spiritualia ab eo exhibita* **». Et divus Bernardus,** *Serm. y i, in Cant.* **scribit :** *« Bonus si fuerit, qui tibi praeest, nutritor tuus est; si malus fuerit, tentator ».*

QUAE FAVORE PETRI AFFEREBANTUR. **Ad sustinendam parochi petitionem advertebatur supradicta de matrimonii celebratione casui applicari non posse, quia quod peregit Petrus non modo verum matrimonium, sed ne attentatum quidem dici poterat, cum merus sit concubinatus, ceu in citata allocutione Sanctissimus declaravit dicens :** *inter fideles matrimonium dari non posse, quin uno eodemque tempore sit sacramentum, atque ideo quamlibet aliam inter christianos viri et mulieris, praeter sacramentum, coniunctionem, etiam civilis legis vi factam, nihil alkid esse, nisi turpem atque exitialem concubinatum.* **Quapropter, licet gravissimum fuisset parochi crimen, sufficiens causa non erat, ut ipso iure a beneficio decideret.**

Porro ex Concilio Tridentino *sess. 2 1 , c. 6, de Ref.* **Incontinentia, fornicatio, concubinatus iustam praebent causam privationis beneficii, quoties tamen praecesserit trina monitio. Ita enim decernitur - ibi -** *Eos* **(parochos)** *qui turpiter et*

scandalose vivunt, postquam praemoniti fuerint, coerceant atque castigent, et si adhuc incorrigibiles in sua nequitia perseverent, eos beneficiis iuxta sacrorum canonum constitutiones privandi facultatem habeant. **Quo in canone duo distinguenda, nempe coercitlo, qualis esset temporanea suspensio ab exercitio, et totalis privatio. Sed in utroque casu de forma substantiali requiritur ut praecedant trinae monitiones vel una pro tribus, ceu fuse disceptatum fuit in una 5*.** *Severini, 4 aprilis 1778.* **In ea haec narrabantur: Parochus Laetti remotus fuerat a paroecia atque oeconomus constitutus, cum tamen observaretur ad remotionem, vel privationem paroeciae, requiri gravem causam, concludentem probationem, et canonicam servatam formam ; proposito dubio :** *An sustineatur appositio oeconomi seu potius parochus Laetti sit redintegrandus ad regimen suae Ecclesiae parochialis in casu ;* **repositum fuit :** *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, reservato iure Promotori Fiscali agendi contra parochum Laetti ad formam Concilii Tride?itini et amplius.*

Observabatur insuper in hisce formis substantialibus S. Congregationem quam maxime insistere, ita ut propter graves imputationes processum fieri iusserit expensis Episcopi in *Piacentina, Restitutionis et Rehabilitationis in paroeciam, diei 24 ianuarii 1846* **in qua dubio :** *An et quomodo sit locus restitutioni et rehabilitationi ad paroeciam;* **respondit:** *Dilata et causa reproponatur intra trimestre impresso processu sumptibus Episcopi.* **Hinc cum in casu forma canonica omnino deficiat, concludebatur omnia, quae ab Curia Episcopali peracta fuerant infirmari debere iuxta** *Rotam in Ferrarien., Parochialis, 8 aprilis 1715; Piacentina, Parochiae, ç decembris 1743, § 8 coram Lana,* **aliisque.**

Quo vero ad tacitam renuntiationem paroeciae ob acceptatam participationem in eadem Ecclesia parochiali, contendebatur sustineri non posse, dum Petrus id egerat ne sibi congrua sustentatio deficeret. Ipsam vero Curiam nunquam conferendo paroeciam novo titulari, et ipsam tanto tempore

sub oeconomo relinquendo, confirmasse paroeciam non vacare. Imo ipsum parochum aversum a renuntiatione animum declarasse, quando, adventante Episcopo ad Concilium Vaticanum, Romam venit atque restitutionem in paroeciam expostulavit; cuius petitioni Episcopus morem non gessit solummodo quia rumores ceterorum participantium verebatur.

Demum asserebatur Petrus dignissimus rehabilitatione ob peractam criminis poenitentiam et irreprensibilem vitae susceptum tenorem; ob necessitatem Ecclesiae, cum alius idoneus ad paroeciam regendam deficiat ; cumque eum primores desiderent familiae. Quae rehabilitatio esset iuxta sanctionem *cap. 4, de cler. coniug.* **decernentis:** *Sacerdotes illi, qui nuptias contrahunt, quae non nuptiae, sed contubernia sunt potius nuncupanda: post longam poenitentiam, et vitam laudabilem continentes, officio suo restitui poterunt.*

His disputatis, propositum fuit

Dubium.

An sit locus reintegrationi seu rehabilitationi ad vacantem paroeciam in casu.

S. Congregatio Concilii die 28 iulii 1877 censuit respondendum : *Negative in omnibus et amplius.*

Ex QUIBUS COLLIGES :

I. Beneficiatimi nedum expresse, sed etiam tacite renuntiare posse suo beneficio, ex. gr. aliud acceptando beneficium incompatibile, quo casu antea possessum ipso iure vacare intelligitur.

II. Vacare pariter ipso iure si beneficiatus contrahat matrimonium, ob incompatibilitatem status coniugalis et clericalis. Hoc tamen intelligendum de beneficiatis, qui nondum sacros ordines susceperunt.

III. Sacerdotes vel clericos in sacris ordinibus constitutos matrimonium attentantes, nulliter contrahere, turpemque in-

choare concubinatum, atque ob huiusmodi culpam, posse servatis canonicis formis, removeri a beneficio.

IV. Matrimonium inter catholicos separari non posse a sacramento; et qui illud celebrant solummodo observatis legis civilis praescriptionibus, non matrimonio sed exitiali copulari concubinatu.

APPENDIX.

Disputatur an clericus in sacris constitutus, qui matrimonium civile attentaverit tum ante, tum post promulgationem Constitutionis « Apostolicae Sedis », excommunicationem incurrat et beneficium, si habeat, ipso iure amittat.

Cum SS. Congregationum resolutiones non semper per ápices iuris procedant, sed potius decernant quod aequitati consonum atque magis in Domino expedire videatur; cum plerumque nos lateat quaenam fuerit varia resolutionum ratio, non raro fit, ut perlectis disceptationibus quae in iisdem SS. Congregationibus haberi solent anceps haereat animus, circa hoc vel illud iuris principium, an scilicet violatum vel immutatum fuerit. Hoc ni fallimur accidit in casu supra exposito, in quo licet sapientissima fuerit S. Congregationis Concilii resolutio, duplex tamen mentem pulsat dubium, an scilicet Petrus, celebrato matrimonio civili, excommunicationem ipso facto incurrerit et an suum amiserit beneficium. Hinc hoc punctum iuris explanandum aggredimur et nostram elucubrationem non prorsus inutilem lectoribus cessuram esse confidimus.

Ac primo, precamur, animadvertant lectores, Petrum matrimonium attentasse antequam Constitutio *Apostolicae Sedis* evulgaretur, atque ideo in leges commisisse quae tunc temporis vigebant. Hinc necessarium videtur brevissime munere quid iuris prius viguerit, quid hodie vigeat post promulgationem dictae Constitutionis.

Quoad primam quaestionis partem omnes sciunt excommunicationis censuram cum gravissima sit atque ad frangendam contumaciam praesertim inducta strictissimae esse interpretationis, ideoque legis verbis stricte esse inhaerendum, ut possit germanus eius sensus attingi. Iamvero clericos in sacris constitutos matrimonium attentantes excommunicatione perculit Clemens V in Concilio Viennensi, cuius depositio legitur in Clementina unica *De consang. et affinitate.* In ea hisce verbis censura irrogatur: *Eos qui divino timore postpo-*

sito in suarum periculum animarum scienter... cum monialibus contrahere non verentur, nec non religiosos et moniales ac clericos iri sacris ordinibus constitutos matrimonia contrahentes, refraenare metu poenae ab huiusmodi eorum temeritatis audacia cupientes, ipsos excommunicationis sententiae ipso f acto decernimus subiacere. Summus Pontifex Pius IX f. r. aliquantulum praecedentem legem modificans in Constitutione *Apostolicae Sedis,* excommunicationi Ordinariis reservatae declarat subiacere: *Clericos in sacris constitutos vel religiosos aut moniales post votum solemne castitatis matrimonium contrahere praesumentes, nec non omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium contrahere praesumentes.*

Differentiam inter Clementinam citatam et canonem Constitutionis *Apostolicae Sedis,* non est nostrum investigare; alii viderint; nobis satis erit advertere nihil immutatum fuisse quoad quaestionem quam prae manibus habemus, atque propterea nihil opus est ut adlaboremus in indigitanda differentia inter antiquum et novum ius inductum a Constitutione *Apostolicae Sedis.*

Canonistae innixi principio quod: *ut incurratur censura, peccatum illud externum, ob quod censura contrahenda est, debet esse completum in suo genere secundum proprietatem verborum, quae iii praecepto seu lege continentur* (Scmalzgrueber, lib. 5, tit. 39, n. 34) docuerunt, clericum in sacris constitutum excommunicationem incurrere, si verum et proprium matrimonium, cum animo contrahendi, attentaret, ita ut eius validitati nihil aliud obstaret quam suscepti ordinis impedimentum. In hac sententia si defectus consensus, formae, iurisdictionis aut aliquid aliud impedit, quominus matrimonium in sua subsistat validitate, excommunicationi clericus minime subiicitur, quia intelligi non potest ipsum *matrimonialer contrahere,* ac propterea peccatum externum ob quod censura infligitur, secundum proprietatem verborum completum in suo genere non est.

Bonaccina (Disp. II, Quaest. II, pun. IX, n. 9) docet excommunicationem non incurrere qui flete contrahit « nam fingens contrahere, « non dicitur matrimonialiter contrahere, ut in textu dicitur, et actus « contrahendi non dicitur perfectus, si animus et intentio deficiat; « contractus enim mutua voluntate perficitur ». Et num. 16 tradit censurae obstare clandestinitatem « is enim non dicitur matrimonia- « liter contrahere qui in absentia parochi et testium contrahit ». Hanc opinionem sequuntur Petrus Ledesma, Cavarruvias, Sánchez, aliique plures.

Quapropter ea nobis sententia arridet quae tenet clericum in sacris constitutum, qui matrimonium contrahit civile excommunicationi nullatenus subiici. Ea movemur ratione quod quando non intentio sed actus sub aliqua censura interdicitur, actus esse debet in suo genere completus, ut ea incurratur, res enim est strictae interpretationis; atque attentatio eiusdem actus satis non est ad poenam

incurrendam, *Maschat. Ins. Can. De sent. excom., § 20* quia actus intelligitur effectu sequuto. Ex hoc principio fit quod quamvis rebaptizans fiat irregularis, tamen irregularitatem non contrahit, si veram intentionem non habeat. Percutiens clericum est excommunicatus, si tamen percutit, qui clericus non est quamvis talem putet, excommunicationem minime incurrit. Ex supra citata Clementina, qui in gradu consanguinitatis interdicto contrahebant, erant excommunicati; nihilominus in censuram non incidebat, qui putans matrimonium contrahere cum consanguinea, contrahebat cum muliere quae talis revera non erat. Igitur si his in casibus, qui actus completus non est, censura minime incurritur; quomodo eam incurrere docebimus sacerdotem ob civile matrimonium, quod in Ecclesia neque ut matrimonii attentatio consideratur? Infelix ille sacerdos erit scelestus, scandalosus, concubinarius, criminosus, quacumque dignus poena; at cave ne gladio etiam excommunicationis eumdem ferias.

Haec opinio nobis verissima videtur etiam hodie post promulgationem Constitutionis *Apostolicae Sedis,* imo illam suaderi putamus ob ipsius verbis: *matrimonium contrahere praesumentes.* Nullo pacto enim credere possumus, verbum *matrimonium* adhibitum fuisse ad indignandum civilem contractum a Summo Pontifice, qui in Allocutione die 27 septembris 1852 illum vocaverat *turpem et exitialem concubinatum.* Qui proscripsit in Syllabo (n. LXXIII) propositionem, qua asserebatur *vi contractus mere civilis posse inter christianos constare veri nominis matrimonium.* Proinde sicut ante Constitutionem *Apostolicae Sedis* non intelligebatur *matrimonialiter contrahere,* qui remotis parocho et testibus, matrimonii foedus inibat, ita hodie non praesumitur *matrimonium contrahere,* qui civilem tantum coeremoniam celebrat, quae, ob clandestinitatis impedimentum, matrimonium dici non potest.

Neque nos movet obiectio quod legislator in casu, de vero matrimonio intelligere non poterat, quia matrimonium quocumque casu nullum esse oportet ob ordinis vinculum. Nam certissimum est legislatorem ecclesiasticum, adhibendo verbum *matrimonium* intelligere non potuisse de illo actu, quem diversa legislatio matrimonium vocat indipendenter a sacramento: in Ecclesia enim matrimonium et Sacramentum separari non possunt. Atque ideo indubium est, loqui debuisse de illo contractu, qui nisi ordo vel solemne votum obstaret, fuisse verum matrimonium iuxta leges Ecclesiae. Verbum autem - *praesumentes* - indigitat quamdam audaciam in spretu impedimenti dicti voti vel ordinis, quo non obstante, matrimonium iuxta Ecclesiae ritum inire *praesumitur.* Ad rem scribit Suarez *{De Censuris - Disp. 23, Lect. V)* « quod licet in re non possit perfici « hoc Sacramentum inter tales personas, nihilominus posse ex parte « contrahentium fieri eodem modo ac eadem voluntate ac si ipsi

« essent personae aptae ad contrahendum, et tunc incurrere hanc « censuram ».

Commentatores Constitutionis *Apostolicae Sedis* uti sunt Cretoni, Theologus Reatinus, Gabriel a Varceno, Huguenin, Bertapelle in quaestionibus propositis Clero Patavino, omnes hanc tuentur sententiam. Unus quod nos sciamus, dissidet Avanzinius, harum ephemeridum doctissimus fundator ac redactor; ast veremur ne nimium fragili eius opinio innitatur fundamento, ipse enim suam sententiam ex eo tuetur quod contractus civilis habet matrimonii figuram.

Namque post legem Tridentinam valde dubitari potest, an realiter solemnitas contractus civilis figuram habeat Sacramenti matrimonii. Porro Tridentinum constituit formam solemnem et substantialem matrimonii, decernens ut contraheretur coram parocho et duobus testibus, irritans quandocumque matrimonium aliter contractum. Itaque quomodo dici potest coeremoniam civilem figuram habere matrimonii, cum peccet in substantia formae deficiente parocho? Avanzimi insuper posita theorica, sequeretur omnem clericum privatim sed coram testibus contrahentem ante Constitutionem *Apostolicae Sedis,* excommunicationem incurrisse : et tamen omnes canonistae et theologi contrarium tradunt. Neque verum est matrimonium civile tantum per accidens esse nullum, nam forma praescripta a Tridentino est substantialis; est conditio sine qua non; est quid constitutivum matrimonii catholici in locis ubi lex Tridentina fuit promulgata ; ita ut dici possit quod eodem modo quo defectus consensus *ab intrinseco,* ita defectus formae *ab extrinseco* reddat matrimonium invalidum.

Quapropter prudenti certitudine concludere posse videmur, sacerdotem matrimonium civile contrahentem excommunicationem non incurrere, obstante impedimento clandestinitatis, quo contractus quisque matrimonialis solum civiliter initus, necessario laborat. Haec tamen dicta intelligimus pro iis regionibus in quibus lex Tridentina quoad matrimonium recepta est; si enim sermo esset de locis in quibus Tridentinum non viget, nobis nullum dubium est huiusmodi sacerdotem (dummodo aliud praeter ordinem sacrum impedimentum non obstet) excommunicationem incurrere.

Sed quid si beneficium possideret? Illudne amittit ipso iure? Haec est altera nostrae disceptationis pars, quam paucis absolvemus.

Non desunt canonistae, neque infimae notae, qui tuentur sententiam affirmativam, his praesertim suffulti rationibus. Primo quia sic contrahens, quantum in se est assumit statum incompatibilem cum ordine sacro et beneficio, ideoque considerari illum oportet, sicut qui alterum beneficium incompatibile acceptat; quo casu primum vacare censetur. Secundo quia clericus matrimonium celebrans contrahit bigamiam similitudinariam.

Nihilominus verior nobis sententia negans videtur, quam summi defendunt canonistae exponentes *Cap. 1. Si qui De clericis Coniug.* quod huiusmodi est tenoris: *Si qui clericorum infra subdiaconatum acceperint uxores, ipsos ad relinquenda beneficia ecclesiastica et retinendas uxores districtione ecclesiastica compellatis. Sed si in subdiaconatu et aliis superioribus ordinibus uxores accepisse noscuntur: eos uxores dimittere, et poenitentiam agere de commisso, per suspensionis et excommunicationis sententiam compellere procuretis.*

Hic docent canonistae Alexandrum III in hoc capite distinguere, clericos minores et maiores ; primos mandat compelli ad relinquenda beneficia *quia vacare intelliguntur ipso iure* ceu dicitur in Glossa; secundos cogi ad dimittendas uxores poena suspensionis, quae poena nullo pacto applicari potuisset, si beneficia ipso iure vacassent.

Profecto clericus in sacris matrimonium attentans ipso iure privatus esset beneficio, vel quia statum incompatibilem assumpsit, vel ob poenam delicti ; ast primum dici non potest, quia matrimonium est irritum; non alterum, quia poena ista nullibi statuta reperitur. Neque paritatem adducas a clericis minoribus, nam isti reapse contrahunt matrimonium: clerici vero maiores illud tantum attentant, ideoque ut primi, statum non mutant.

Ex his responsionem concludentissimam habes rationibus contrariae sententiae, quatenus nempe, clericus maior velle non potuit statum mutare, nec suo tacite renunciare beneficio, cum probe nosceret matrimonium esse nullum. Quo vero ad bigamiam similitudinariam haec tunc contrahitur cum copula carnalis secuta fuerit *Cap. 1 et 2 qui cleric. vel vovent. Cap. 4 De Clerk, con.*

Haec omnia valent cum matrimonium attentatum fuit servando omnes Ecclesiae solemnitates, ita ut eius validitati nihil aliud obstet quam sacer ordo: quanto magis igitur valere dicenda sunt quoad clericum qui contrahit matrimonium civile, quod ob clandestinitatem nec figuram habet matrimonii? Si clericus excommunicatus beneficii fructus ipso iure non amittit, quia nullibi id sancitum est ; quomodo vis beneficium ipso iure amittere clericum, qui delictum certe commisit, sed cui neque excommunicatio neque alia ulla poena reperitur adnexa? Hic quoque sumus in odiosis, idcirco stricta interpretatio adhibenda, neque poenae inducendae, quas expresse lex non decrevit. Contra hos criminosos procedant Ordinarii ad tramites sacrorum canonum, et si minime expediat eosdem in Ecclesia Dei beneficia habere, ad ea dimittenda per sententiam compelli poterunt.

Ex hactenus dictis evidenter patet, nostram esse sententiam, in casu supra exposito Petrum neque excommunicationem incurrisse neque ipso iure beneficium amisisse. Sed cave, benigne lector, ne ex hoc deducas nos tamquam falsam aut iniustam incusare S. Congre-

gationis resolutionem. Longe alia est mens nostra. Recole Petrum per annum concubinarie vixisse, atque ideo gravissimi scandali fuisse suo populo. Quod si hodie emendatus confessiones audit, verbum Dei praedicat, aliaque ad ministerium ecclesiasticum pertinentia peragit, tamen minus aptus forsan est ad regendam in qualitate pastoris paroeciam, quam ut lupus rapax vastavit. Insuper facto suo, acceptatione, nempe incompatibilis beneficii paroeciae tacite renuntiasse praesumi potest.

Haec aliaque esse potuerunt, quibus inducta S. Congregatio relatum dederit responsum, nec eadem investigare ad nos pertinet. Solummodo iuris dispositionibus inhaerendo, dicimus, clericum in sacris constitutum, per matrimonium civiliter contractum neque excommunicationem incurrere, neque, si habeat, ipso iure, beneficium amittere. Imo putamus neque clericum minorem beneficium amittere; hic enim iure decretalium beneficio ipso facto cadebat, quia matrimonium erat validum, et clericus constituebatur in statu cum beneficio incompatibili; quod de civili matrimonio dici non potest. Haec est nostra opinio, quae si ab aliquo oppugnetur, non ideo indignabimur; imo si validas adduxerit rationes, lubentissime in suam ibimus sententiam.

Instructio de scholis publicis ad Rmos Episcopos in Foederatis Statibus Americae Septentrionalis. [1]

Pluries S. Congregatio de Propaganda Fide, certior facta est in Foederatis Statibus Americae Septentrionalis Catholicae iuventuti e sic dictis scholis publicis gravissima damna imminere. Tristis quocirca hic nuntius effecit, ut Amplissimis istius

[1] Quamquam sero ad nostras pervenerit manus instructio huiusmodi,, omitti tamen nequit; utpote quae omnibus utilior in diem fiat, tempore quo vivimus. Etenim non solum in longinquis Americae regionibus, pro quibus edita fuit, sed apud nos etiam adsunt scholae, quae aut prorsus Catholicae Ecclesiae sunt infensae, aut quae, specie *impartía litatis,* **religiosa documenta omnino respuunt. Idque ex eo oritur quod populorum Europae moderatores aut acri prosequuntur odio aut probe nesciunt Christi religionem et moralem. Autumant, ut simplices decipiant, quod iuventus sola imbui debeat morali. Ast quaenam, sodes, moralis absque religione? Quaenam morali eiusmodi sanctio erit? Ignorant stulti aut perversi nescire volunt unum esse in praxi Religionem atque moralem, neque ulli-**

ditionis Episcopis nonnullas quaestiones proponendas censuerit, quae partim ad causas, cur fideles sinant liberos suos scholas acatholicas frequentare, partim ad media, quibus facilius iuvenes e scholis huiusmodi arceri possint, spectabant. Porro responsiones a laudatis Episcopis exaratae ad Supremam Congregationem Universalis Inquisitionis pro natura argumenti delatae sunt, et negotio diligenter explorato, Feria IV, die 30 iunii 1875, per Instructionem sequentem absolvendum ab Emis Patribus iudicatum est, quam exinde Sanctissimus Dnus Noster, Feria IV, die 24 novembris praedicti anni adprobare ac confirmare dignatus est.

Porro in deliberationem cadere imprimis debebat ipsa iuventutis instituendae ratio scholis huiusmodi propria atque peculiaris. Ea vero S. Congregationi visa est etiam ex se periculi plena, ac perquam adversa rei Catholicae. Alumni enim talium scholarum, cum propria earumdem ratio omnem excludat doctrinam religionis, neque rudimenta Fidei addiscent, neque Ecclesiae instruentur praeceptis, atque adeo carebunt cognitione homini quam maxime necessaria, sine qua christiane non vivitur. Enimvero in eiusmodi scholis iuvenes educantur iam inde a prima pueritia ac propemodum a teneris unguiculis, qua aetate, ut constat, virtutis aut vitii semina tenaciter haerent. Aetas igitur tam flexibilis si absque religione adolescat, sane ingens malum est.

Porro autem in praedictis scholis, utpote seiunctis ab Ecclesiae auctoritate, indiscriminatim ex omni secta magistri

mode seiungi posse quin absurdum enascatur. Huius praetensae divisionis fructus quilibet prospicere potest apud Tribunalia : ubi quotidie recensentur rapinae, fraudes, suicidia, assassinia, homicidia aliaque huiuscemodi ab hominibus perpetrata, qui etsi quoad litteras edocti, religiosa tamen instructione carent. Nonne satius parentibus est filios omnis expertes esse instructionis, quam erroribus, et cordis corruptelis obrutos crescere? Si stulti Nationum moderatores aliquando saperent, nullo alio remedio propulsan posse agnoscerent delicta, quam Cathechismi usu: cum eo sanantur nationes, ait doctus quidam, et iuvenis cathechismo edoctus altiores iuris naturalis et gentium quaestiones enodare valebit. Religio, ait alius doctus, est scientiae basis, et sal quo scientia a corruptione praepeditur.

adhibentur, et caeteroquin, ne perniciem afferant iuventuti, nulla lege cautum est, ita ut liberum sit errores et vitiorum semina teneribus mentis infundere. Certa item corruptela insuper ex hoc impendet, quod in iisdem scholis, aut saltem pluribus illarum, utriusque sexus adolescentes et audiendis lectionibus in idem conclave congregantur, et sedere in eodem scamno masculi iuxta foeminas iubentur. Quae omnia efficiunt ut iuventus misere exponatur damno circa Fidem, ac mores periclitentur.

Hoc autem periculum perversionis nisi e proximo remotum fiat, tales scholae tuta conscientia frequentari nequeunt. Id vel ipsa clamat lex naturalis et divina. Id porro claris verbis Summus Pontifex edixit, Friburgensi quondam Archiepiscopo, die 14 iulii 1864, ita scribens: *Certe quidem, ubi in quibuscumque locis regionibusque perniciosissimum huiusmodi vel susciperetur, vel ad exitum per duceretur consilium expellendi a scholis Ecclesiae auctoritatem, iuventus misere exponeretur damno circa Fidem, tunc Ecclesia non solum deberet instantissimo studio omnia conari, nullisque curis parcere, ut eadem inventus necessariam christianam institutionem, et educationem habeat, verum etiam cogeretur omnes fideles monere, eisque declarare eiusmodi scholas Ecclesiae Catholicae adversas haud posse in conscientia frequentari.* **Et haec quidem utpote fundata iure naturali ac divino, generale quoddam enunciant principium, vimque universalem habent, et ad eas omnes pertinent regiones, ubi perniciosissima huiusmodi iuventutis instituendae ratio infeliciter invecta fuerit.**

Oportet igitur, ut Praesules Amplissimi quacumque possint ope atque opera commissum sibi gregem arceant ab omni contagione scholarum publicarum. Est autem ad hoc omnium consensu nil iam necessarium quam ut Catholici ubique locorum proprias sibi scholas habeant, easque publicis scholis haud inferiores. Scholis ergo catholicis sive condendis ubi defuerint, sive amplificandis et perfectius instruendis parandisque, in institutione ac disciplina scholas publicas adaequent

omni cura perspiciendum est. Ac tam sancto exsequendo consilio, tamque necessario haud inutiliter adhibebuntur, si Episcopis ita visum fuerit, e Congregationibus Religiosis sodales, sive viri, sive mulieres, sumptusque tanto operi necessarii, ut eo libentius atque abundantius suppeditentur a fidelibus opportuna oblata occasione, sive pastoralibus litteris, sive concionibus, sive privatis colloquiis, serio necesse est ut ipsi commonefiant sese officio suo graviter defuturos, nisi omni qua possunt cura impensaque scholis catholicis providerint. De quo potissimum monendi erunt quotquot inter Catholicos caeteris praestant divitiis ac auctoritate apud populum quique comitiis ferendis legibus sunt adscripti.

Et vero in istis regionibus nulla lex obstat civilis quominus Catholici, ut ipsis visum fuerit, propriis scholis prolem suam ad omnem scientiam ac pietatem erudiant. Est ergo in potestate positum ipsius populi catholici uti feliciter avertatur clades, quam scholarum illic publicarum institutum rei catholicae minatur. Religio autem ac pietas ne a scholis vestris expellantur, id omnes persuadeant sibi plurimum interesse, non singulorum tantum civium ac familiarum, verum etiam florentissimae Americanae nationis, quae tantam de se spem Ecclesiae dedit.

Caeterum S. Congregatio non ignorat talia interdum rerum esse adiuncta, ut parentes catholici prolem suam scholis publicis committere in conscientia possint. Id autem non poterunt, nisi ad sic agendum sufficientem causam habeant; ac talis causa sufficiens in casu aliquo particolari utrum adsit necne, id conscientiae ac iudicio Episcoporum reliquendum erit ; et iusta relata tunc ea plerumque aderit, quando vel nulla praesto est schola catholica, vel, quae suppetit, parum est idonea erudiendis convenienter conditioni suae congruenterque adolescentibus. Quae autem ut scholae publicae in conscientia adiri possint, periculum perversionis, cum propria ipsarum ratione plus minusve numquam non coniunctum opportunis remediis cautionibusque fieri debet ex proximo remo-

tum. Est ergo imprimis videndum utrumne in schola, de qua adeunda quaeritur, perversionis periculum sit eiusmodi, quod fieri remotum plane nequeat, velut quoties ibi aut docentur quaedam, aut aguntur catholicae doctrinae bonisve moribus contraria, quaeque citra animae detrimentum neque audiri possunt, neque peragi. Enimvero tale periculum, ut per se patet, omnino vitandum est cum quocumque damno temporali, etiam vitae. Debet porro iuventus, ut committi scholis publicis in conscientia possit, necessariam christianam institutionem et educationem, saltem extra scholae tempus, rite ac diligenter accipere. Quare parochi et missionarii, memores eorum quae providentissime hac de re Concilium Baltimorense constituit,[1] catechesibus diligenter dent operam iisque praecipue incumbant Fidei veritatibus ac morum, quae ab incredulis et hete-

[1] N. 435 : « Cum autem omnibus in paroeciis scholae exclusivae catholicae, propter rerum angustias, nondum haberi queant, et nullibi sit locus pro institutione quotidiana et necessaria nisi in gymnasiis publicis, eo magis oportet omnes cautelas adhibere, ut exinde quam minimum detrimentum iuventus catholica patiatur. Hunc in finem cathecheses et scholae doctrinae christianae instituantur. Pueros puellasque in propriam ecclesiam dominicis et aliis diebus festivis, et quandoque etiam saepius, Pastores convocent, ut eos elementa christianae doctrinae studiose et diligenter edoceant.

N. 436: « Ecclesiae igitur monitis ac praeceptis obtemperet animarum moderator; ac sanctorum hominum, immo ipsius Christi, Pastoris optimi, exemplo animatus, parvulos, spem commissi sibi gregis, singulari amore prosequatur, summa cura custodiat, indefessa vigilantia et sollicitudine a luporum ac tartarei praedonis insidiis et incursibus defendat ac tueatur. Pulcherrimum illum integritatis et innocentiae florem, atque ineffabile, quo fruuntur, baptismalis gratiae donum, sanctum in illis inviolatumque, quasi oculi sui pupillam, servandum ipse curet. Eos ita instituat atque assuefaciat, ut Dei domum et atria sancta Eius libenter frequentent, ibique congregatos sanctis vitae morumque praeceptis imbuunt. Tenellis adhuc eorum animis ea instillet fidei ac pietatis rudimenta, quae postea aetate adultis firmamento ac robori, totissimoque contra pravas daemonis ac pravorum hominum insidias praesidio sint futura.

N. 437: «Parentes omnibus, quibus poterit, modis inducat, ut partes suas satagant. Eos hortamentis excitet, minis terrefaciat ; precibus exoret, ut liberos stato catecheseos tempore ad ecclesiam mittant. Hos autem ad alacrius adsistendum discendumque munusculis et praemiis alliciat. Quod enim quotidie faciunt haereseos magistri, ut pueros catholicos ad suas

rodoxis impetuntur; totque periculis expositam iuventutem impensa cura, qua frequenti usu Sacramentorum, qua pietate in Beatam Virginem studeant communire, et ad religionem firmiter tenendam etiam atque etiam excitent. Ipsi vero parentes,, quive eorum loco sunt, liberis suis sollicite invigilent, ac vel ipsi per se, vel, si minus idonei ipsi sint, per alios de lectionibus auditis eos interrogent, libros iisdem traditos recognoscant, et, si quid noxium ibi deprehenderit, antidota praebeant, eosque a familiaritate et consortio condiscipulorum, a quibus Fidei vel morum periculum imminere possit, seu quorum corrupti mores fuerint, omnino arceant et prohibeant. Hanc autem necessariam christianam institutionem et educationem liberis suis impertiri quoique parentes negligunt; aut qui frequentare eos sinunt tales scholas, in quibus animarum ruina evitari non potest; aut tandem qui, licet schola catho-

scholas trahant, veneno erroris imbuant, atque infortunio mactent sempiterno; id Dei sanctissimaeque nostrae Religionis Minister non studiose ac diligenter praestabit, ut suos servet, neque ex iis, quos dedit Christo suo Pater, perdat quemquam? *lo.,* XVII, 12; XVIII, 9.

N. 438: « Neque hoc muneris per alias, ut negligentiores solent, sed per sese ipse exequatur. Onus enim pueros christianae fidei rudimentis instituendi adeo est cum pastorali officio coniunctum, ut qui ex ignavia vel desidia id ferre nolit, aut in alios reiiciat, violati officii poenas vitare nullo modo possit...

N. 439: « Dum pueros ad divinarum rerum scientiam educare studet, omnem in eo operam ponat, ut quod in Ecclesia Catholica laudat Augustinus *{De moribus Eccl. cathol.,* lib. I, cap. 30), *pueros pueriliter doceat:* ea scilicet facilitate et simplicitate, quae eorum imbecillitatem et imperitiam deceat. Altissima fidei mysteria ita explicet, ut eorum aetati atque ingenio se accommodet. Etiamsi, quod saepe evenit, adulti haud pauci catecheseos tempore dicentem in templo circumstent, numquam ipse verbis aut loquendi modis exquisitis et elegantioribus utatur, sed ea tantum adhibeat, quae simplicia, clara, et apertissima sint, quaeque ab omnibus, etiam rudioribus, facile intelligantur. *Qui docet,* monet apposite Augustinus *{De Doct. christ.,* lib. 4, cap. IX, § 23 et 24) *non curet quanta eloquentia doceat, sed quanta evidentia. Cuius evidentiae diligens appetitus aliquando negligit verba cultiora, nec curat quid bene sonet, sed quid bene indicet atque intimet quod ostendere intendit... Quid enim prodest locutionis integritas, quam non sequitur intellectus audientis, cum loquendi omnino nulla sit causa, si quod loquimur non intelligunt, propter quos ut intelligant loquimur?* Coli. Lacens., *loc. cit.,* col. 516 et 517.

lica in eodem loco idonea adsit apteque instructa et parata, seu quamvis facultate habeant in alia regione prolem catholice educandi, nihilominus committunt eam scholis publicis sine sufficienti causa ac sine necessariis cautionibus, quibus periculum perversionis e proximo remotum fiat; eos si contumaces fuerint, absolvi non posse in Sacramento Poenitentiae, ex doctrina morali catholica manifestum est.

LITTERAE APOSTOLICAE

quibus munus Supremi Moderatoris Rosarii viventis Magistro Generali Ordinis FF. Praedicatorum committitur.

PIUS PP. IX.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Quod iure haereditario pluries quoque ab Apostolica Sede confirmato ad inclytum Fratrum Praedicatorum Ordinem in Gallus etiam pertinuerat, propagare nempe pium exercitium cui a Rosario nomen in honorem Bmae Mariae Virginis, et sodalitates a sancto Rosario erigere, postliminii iure [1] enixis precibus repetunt trium Provinciarum praedicti Ordinis in Gallus consistendum Praesides.

Pietate et industria bonae memoriae Mariae Jaricot, Lugduni ortum habuit Sodalitas a Rosario vivente nuncupata, cuius sodales, in quindenas dispertiti, singulis per mensem diebus, mysterium ad meditandum decademque reçitandam sibi unoquoque mense sortiuntur; et sic reliquis deinceps mensibus. Hanc Sodalitatem adscriptorum numero auctam, laudibus prosecutus est, indulgentiisque ditavit, fel. rec. Gre-

» Iuxta Ferraris, *post liminium* est « ius amissae rei recuperandae ab extraneo, et in statum pristinum restaurandae».

gorius XVI Decessor Noster, qui eidem Sodalitati patronum dedit eminentissimum virum Aloisium Lambruschini tunc temporis in Gallus Nuntium Apostolicum, fecitque dilectum filium Bethemps Metropolitanae Ecclesiae Lugdunensis Canonicum eiusdem Sodalitatis Moderatorem supremum, cuius erat Sodalitatum huiusmodi in reliquis Dioecesibus Praesides deligere, ac Zelatores singulis earumdem Sodalitatum sectionibus praeficere. Iamvero, uno et altero, quibus sancta Sedes huiusce Sodalitatis patronatum et regimen, ut supra, demandaverat, vita functis, et restituta in Gallus Fratrum Praedicatorum familia, cuius tres ibidem Provinciae constitutae sunt, quum praefata Sodalitas non sine periculo iacturae Indulgentiarum, primaeva constitutione et ordinatione sua destituta videatur, dilecti filii hodierni trium Dominicam Ordinis Provinciarum in Gallus existentium Praesides, enixe a Nobis postulant, ut supremam Rosarii viventis moderationem Magistro Generali Ordinis supradicti, singularum autem sodalitatum seu societatum huiusmodi regimen et curam Moderatoribus Confraternitatum a S. Rosario quae in locis singulis erecta sunt, de auctoritate Nostra committamus.

Nos igitur, hisce votis obsecundare, omnesque et singulos quibus Nostrae hae litterae favent, peculiari beneficenza prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris ac poenis, quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, Auctoritate Nostra Apostolica, perpetuis futurisque temporibus, munus supremi Moderatoris Rosarii viventis dilecto filio Magistro Generali Ordinis Fratrum Praedicatorum demandamus,, regimen vero et curam Sodalitatum seu Societatum a Rosario vivente Praesidibus seu Moderatoribus Confraternitatum a S. Rosario, quae in singulis locis institutae sunt, Auctoritate item Nostra, et perpetuum in modum, committimus.

Decernentes has litteras Nostras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus

sortiri et obtinere, dictisque in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, Sedis Apostolicae Nuntios, et S. R. E. Cardinales etiam de latere legatos, et alios quoslibet, quacumque praeeminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere ; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus Nostrae Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo caeterisque, quamvis speciali atque individua mentione ac derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die xvii Augusti MPCCCLXXVII, **Pontificatus Nostri anno trigesimo secundo.**

F. Card. ASQUINIUS.

L. © S .

NOS FR. IOSEPHUS MARIA SANVITO

Sacrae Theologiae Professor ac Vicarius Generalis totius Ordinis Praedicatorum omnibus patribus, fratribus et sororibus eiusdem Ordinis, Salutem et Sanctae Exultationis Spiritum.

Cum SS. D. N. Pius PP. IX, per breve *Quod iure haereditario,* datum die 17 Aug. 1877, nobis supremam Rosarii viventis moderationem commiserit, virtute facultatum ita nobis attributarum, sequentia declarando ordinamus.

Omnes et singuli Directores Rosarii viventis hodie existentes in officio suo ad vitam confirmantur, cum facultate eligendi novos Zelatores etiam novis quindenis praeficiendos. Similiter, omnes zelatores hodie existentes ad vitam in officio suo confirmantur. Omnes denique sodales a praedictis zelatoribus hucusque recepti, aut ab iisdem in posterum recipiendi, pro legitime admissis habendi sunt, ita ut omnibus indulgentiis et gratiis Rosario viventi concessis aut concedendis libere perfruantur.

In posterum autem, u': quis in Sodalitatem Rosarii viventis legitime cooptetur et lucretur Indulgentias huic Sodalitati concessas, necessarium erit illum eligi aut approbari ab aliqua zélatrice seu zelatore, qui ipse approbatus seu institutus fuerit ab aliquo legitimo Rosarii viventis Directore. Pro legitimis vero Directoribus habendi erunt: 1. iuxta Breve supra citatum, omnes Directores Confraternitatum SS. Rosarii, quae in singulis locis per Magistrum Generalem FF. Praedicatorum de consensu Ordinarii canonice erectae sunt aut in posterum erigentur; 2. in locis ubi Confraternitas SS. Rosarii non existit, Sacerdotes qui vel a nobis immediate, vel ab AA. RR. PP. Provincialibus (virtute delegationis, quam singulis in sua Provincia concedimus) instituti fuerint.

Nuper quidem in manus nostras pervenerunt nonnulla documenta authentica ad Rosarium vivens pertinentia, quae nunquam adhuc praelo commissa sunt: alia vero, quae nobis desunt, reperire satagemus. Quibus omnibus examinatis et perpensis, necnon consulta (si opus fuerit, ut omnis dubitandi occasio auferatur) S. Congregatione Indulgentiarum, brevem libellum conficiendum curabimus, in quo accurate explicabuntur ea, quae ad praedictam Rosarii viventis devotionem referuntur.

Quamobrem Breve Pontificium his nostris litteris adiungimus, simulque iubemus ut omnes ad ea, quae sunt praescripta se conforment. Deum igitur enixis precibus pro Pontifice Nostro Pio Papa IX, qui novum beneficentiae suae argumentum Ordini Nostro contulit, exorent. Dum vero benedictionem Nostram omnibus Vobis ex corde impertimus, vestris quoque precibus Nos ipsos, Sociosque commendamus. Valete.

Datum Romae in Conv. N. S. M. supra Min. die 15 Novembris, D. Alberto Magno O. N. sacro, anno 1877.

FR. IOSEPHUS MARIA SANVITO
Vic. Generalis Ord. Praed.

L. «I S.

Fr. Hyac. Marchi, *Prov. et soctus.*

Reg. pag. 226.

EX S, CONGREGATIONE GONGILI! TRIDENTINI

MATRIMONII.[1]

Die 25 iulii 1874, 30 iunii et 22 septembris 1877.

Compendium facti. Quum septem mensium spatio mutuis induisissent angoribus Nicolaus tertium supra trigesimum annum natus et Marianna, quae nondum decimum quintum expleverat annum, die 18 augusti 1858, omnibus rite absolutis, in faciem Ecclesiae matrimonium inierunt.

Quo confecto, ad paternam sponsae domum coniuges festivi redierunt. Quamquam vero mulier amore erga virum flagraret, seseque viri nutui praeberet, ut ipsa asseruit, carnalis copula semel, iterum ac tertio tentata, perfici tamen prima nocte nequivit. Nam accedens vir ad eam praepropere semen extra vas effundebat. Ita ut quoties conamina repetita fuere in irritum cedere visa sunt. Vir tamen detulit matrimonium in ipso primo accubitu consummatum fuisse, quamvis non *integre.*

Interdum mulieris amor erga maritum paulatim frigescere aversioque suboriri coepit, quae ita auxit ut vir, post iurgium haud leve uxori vale dixit et patrui domum adiit; uxor vero paternos remeavit lares.

[1] Lector praemonendus est quod quaestio haec primo disceptata fuit apud SS. Dicasteria ut evinceretur viri impotentia. Maxima difficultas huic fini parata fuit tum a pervicacia viri suam potentiam enixe autumantis, tum a prima iudiciali medicorum relatione, tum ex anormali et praepostera ratione, qua sententia primi et secundi gradus prolata fuit. Sacra proinde C. Concilii ne omnis spes adimeretur infelici mulieri, post primam propositionem, in qua responsum fuit : *Dilata* etc. voluit ut processus fieret super matrimonii non consummatione, posthabens impotentiae impedimentum, utpote probatu difficilius. Mulier semper asseruit matrimonii inconsummationem; quam ut probaret instanter instantius novam sui corporis inspectionem expoposcit, sed frustra.

Quo facto, mulier sub die 18 februarii 1860 Curiam Episcopalem L. adivit, supplicique libello institit ut ad tramites SS. Canonum initi matrimonii nullitas declararetur ex capite impotentiae ex parte viri.

Curia, electo defensore ex officio, processum iuxta Constitutionem Benedictinam *Dei miseratione* **instituere coepit, partes ac testes examini subiiciendo, et Medicorum atque Chirurgorum relationem corporibus coniugum ad eisdem inspectis, sibi comparando.**

Hisce confectis, Canonicus Poenitentiarius delegatus a Vicario Capitulari die 28 martii 1863 vocavit partes ut die 30 sisterent in iudicio ad audiendum tenorem definitivae sententiae quae tamen eadem die 28 edita fuit et nonnullis spretis exceptionibus a mulieris defensore oppositis, die io aprilis dicti anni publicata fuit, decernens : non constare de impotentia Nicolai; ideoque matrimonium de quo agimus validum esse.

Mulier illico ad Metropolitanam Curiam provocavit ; penes quam causa haec siluit per novem menses. Hac de re Nicolaus institit, ut peremptioni appellationis locus fieret ; et sententiam votis consonam sub die i februarii 1864 obtinuit a Delegato generali Vicarii Capitularis pro omnibus causis iurisdictionis illius Curiae. Contra quam sententiam Marianna restitutionem in integrum obtinuit die 31 ianuarii 1866 a S. C. Concilii; pro qua uxor vocavit virum non modo ad Curiam Metropolitanam, sed etiam ad forum saeculare, a quo eius petitio reiecta fuit et sententia Curiae confirmata.

Cum tamen vir imparem se noverit novis expensis iudicialibus ferendis per acta publici tabellionis sub die 9 aprilis dicti anni declarationem propriae frigiditatis transmisit. Verumtamen postea facti poenitens, Curiam Metropolitanam adivit, et dictum mandatum solemniter revocavit. Post haec ventilata fuit causa coram iudice a Metropolitano deputato, et omnibus rite absolutis, prodiit sententia, qua acta omnia Curiae L. confirmata fuerunt.

Rite pandita mulieri sententia die 22 martii anni dicti ad

S. C. Congregationem appellavit; quae appellationis libello accepto, litteras Archiepiscopo dedit, ut integra acta processualia in forma autenthica transmitteret. Attamen haec nonnisi die 8 martii 1870 ad S. Congregationem pervenerunt ; quae decretum edidit *ponatur in folio citata parte et defensore matrimonii ex officio.* Post quod, omnes usque ad annum 1872 conticuere; quo tempore eadem S. Congregatio ex officio causam reassumpsit edicens: notificetur superius decretum Ordinario et referat cur partes nihil aliud egerint pro causa prosequenda. Accepto responso rescriptum fuit Ordinario qui mulieri praefigeret congruum terminum ad appellationem prosequendam. Unus mensis praefixus fuit, sed plures transierunt quin mulier aut vir aliquid agerent. Tunc S. Congregatio statuit, petita venia a Summo Pontifice, ut causa *more pauperum* tractaretur, ceu mulier expetiverat, exquisitis Theologi et Canonistae votis, nec non defensoris vinculi animadversionibus. Ut caute tamen in hoc negotio procederetur, nonnullorum eximiorum physicorum in hac alma urbe medicinae et chirurgiae antecessorum auctoritatem interposuit. Horum relationis conclusiones sunt: i. quod huiusmodi matrimonium haud debite consummatum fuit; 2. quod vir id praestare nequiverit ob impotentiam nerveam sive dinamicam ; 3. quod hodie inutiliter inspiceretur viri corpus ; quoniam si matrimonii tempore eius impotentia forsan temporanea fuit, nunc pro eiusdem viri aetate provecta, et pro longo temporis spatio eadem impotentia permanens effecta est.

Disceptatio synoptica.

VOTUM THEOLOGI. Quum Theologus brevem facti historiam coniecisset, sibi esse quaerendum, ait, an sententiae Curiae episcopalis et archiepiscopalis infirmandae aut confirmandae essent. Ad hoc vero despiciendum duo investigavit. Primum scilicet utrum servata legitima iudicii forma et ab idoneo Iudice sententiae prodierunt: alterum vero an eae gravibus rationibus

fulciantur. Et quoad primum dubitari nequit, ait ille, quod speciales Benedictinae dispositiones apprime impletae fuerint in utraque Sede iudicii; nullum pariter' cadit dubium super legitima introductione ac etiam prosecutione iudicii, sed de sententia dubitari potest. Haec enim prolata non fuit ab Episcopo aut eius Vicario generali neque a Vicario Capitulari per semetipsum, sed a Canonico Poenitentiario, qui cum fuisset Vicarius Episcopi et legitimus causae cognitor donec Episcopus viveret, mortuo deinde Episcopo, Vicarius Capitularis haud electus fuit, sed Archidiaconus in Vicarium Capitularem electus, prorogavit eidem Poenitentiario iurisdictionem sub die 3 decembris 1862.

Penes Vicarium Capitularem institit Marianna pro nova peritia et inspectione corporum die 27 decembris eiusdem anni; et sub 20 martii 1863 defensor matrimonii institit apud Curiam ut pro matrimonio sententia proferret.

Poenitentiarius delegatus a Vicario Capitulari die 28 martii 1863 vocavit partes ut adessent iudicio die 30 eiusdem mensis *ad audiendum* **tenorem definitivae sententiae.**

Contra huius decretum excepit Marianna dicens se non novisse iudicem pro tuendo suo iure, novis argumentis.

Haec et alia contra delegatum, et delegantem iudicem formiter obiecit Marianna. Sed Vicarius Capitularis sub die 7 aprilis reiecit recursum.

Quapropter iuxta relata, sententia iam extabat in toto suo robore a die 28 martii ; qua die constat nil actum iudicium fuisse, nisi citationem vespere intimatam partibus ut sisterent iudicio pro die 30 ad audiendum proferri sententiam. Et ideo sententia haec nulla fuit: i. quia numquam pronunciata legitime fuit; 2. quia habet adiectum diem incertum.

Super hanc materiam audiendus Bonifacius Papa *cap. ult. de sent. et re iud. in 6.* **«** *Etsi sententia difßnitiva postquam scripta fuerit debeat a iudice de scripti recitatione proferri, alias nec nomen sententiae mereatur habere, nec ab ea sit appellare necesse...* **». Et adiiciendi sunt Imperatores** *Cod. de sent.*

et interloc. **XLV, 6: «** *Cum sententiam praesidis irritam esse dicis, quod non publice sed in secreto loco officio eius non praesente sententiam suam dixit, nullum sibi ex his quae ab eo decreta sunt, praeiudicium generandum esse constat* **». Poenitentiarii sententia non fuit pronunciata die 30 martii, iuxta intimationem diei 28, quia ea die 30 mulier comparuit, et emissa protestatione, omnia exturbavit. Tandem non fuit pronunciata die decima aprilis, quia die 28 martii prolata dicitur, destinata dicta die decima aprilis publicationi ex decreto diei septimae, in fraudem protestationum et appellationum interpositarum a muliere.**

Posito autem quod sententia prolata sit post diem 28 martii, et ante diem io aprilis, ex alio etiam capite nulla renuncianda est ; quia die feriato lata fuit.[1] **Quoad feriatum nota sunt verba Gregorii IX in** *cap. V de feriis. « Quamvis non prorogari sed expediti deceat quaestiones, debet tamen iudicialis strepitus diebus conquiescere feriatis, qui ob reverentiam Dei noscuntur esse statuti, scilicet... 7 diebus Dominicae Passionis, Resurrectionis cum septem sequentibus... Quibus utique solemnibus feriis, nisi necessitas urgeat vel pietas suadeat usque adeo convenit ab huiusmodi abstinere, ut consentientibus etiam partibus nec processus habitus teneat, nec sententia quam contingit diebus huiusmodi promulgari, licet diebus feriatis, qui gratia vindemiarum vel messium ob necessitates hominum indulgentur, procedi valeat, si de partium processerit voluntate* **». In casu mulier sese opposuerat enixis viribus, allegans quoque exceptionem de feriato.**

Maschat *tit. de sententia et reiudicata, 27, I. 2, n. 6,* **loquens de requisitis et solemnitatibus sententiae ait: «** *Solemnitates extrinsecae in prolatione sententiae observandae sunt: i. Ut sententia feratur utraque parte legitime citata et praesente. 2. Ut sententia feratur die non feriato seu iuridico ad quem facta est citatio, interdiu et non noctu... His tamen solemnitatibus non ligatur Papa vel Princeps, qui de plenitudine pote-*

[1] Anno 1863 Pascha Resurrectionis incidit in diem quintum aprilis.

statis de iure potest supra ius dispensare, modo observet ea quae de iure naturali requiruntur ad substantiam iudicii ». **Vicarius ergo qui nec Princeps nec Papa erat ligabatur istis solemnitatibus.**

Ex notatis igitur censuit Theologus sententias, de quibus agitur, de iure circumscribendas esse et cassandas.

De iudice prioris sententiae anceps haesit Theologus an idoneus et competens fuerit; nam Pius VI in Brevi ad *Ep. Motulen. ait: Causae enim matrimoniales spectant quidem ad iudices ecclesiasticos competentes iuxta institutum sacrorum canonum proprio ecclesiasticae hierarchiae ordini accommodatum.*

Quamvis dubitari nequeat de initio et de continuatione iudicii quoad legitimitatem, de sententia dubitari licet, quia lata fuit a delegato Vicarii Capitularis. Magni nominis auctores censent non posse Vicarium Capitularem eo modo mandare iudicem ac iurisdictionem. Laurenius enim expresse tradit: « Transire ad Vicarium nudum iurisdictionis exercitium « non enim Capitulum constituendo Vicarium se abdicat ipsa « iurisdictione, sed ea habitualiter et principaliter residere « pergit penes Capitulum... Tridentinum siquidem devolutam « ad Capitulum iurisdictionem eidem non abstulit nec imminuit aut immutavit, sed solum praecepit modum utendi ea « iurisdictione, seu eam exercendi, nempe per vicarium a se «electum, cm usum et exercitium suum committeret».

Quamvis alii alia retineant, Theologus Laurenii doctrinam aliis praetulit; cui concinit Ferrari *v. Vic. cap., art. 2, n. 18,* **Apud quem et alii auctores autumant Vicarium Capitularem posse sibi substituere alium ad modicum tempus propter suam absentiam vel infirmitatem, et infirmitate, aliove impedimento detentum posse causas coram se pendentes delegare.**

Apud eumdem auctorem *v. iurisdictio* **legitur: « Opponitur « huic (scilicet ordinariae) vicaria seu delegata iurisdictio, quam « quis nomine et vice eius qui iurisdictionem ordinariam habet « gerit. Hoc sensu soli principes et Episcopi habent iurisdi- « ctionem ordinariam ».**

Proinde, addebat Theologus, quidquid sit de hac opinione gravissima an Vicarius Capitularis delegare valeat alteri cognitionem causarum maxime matrimonialium, non minus verum est sententiam Curiae L. nullitate laborare alio ex capite, nempe defectu solemnitatum; imo omnia gesta post mortem Episcopi nulla esse. Quapropter dubium ortum est an aequum fuerit ut sanarentur acta, altera ex partibus contradicente; aut vero utrum ad iudices ordinarios esset nova causae cognitio remittenda, an autem veluti ex integro eius cognitionem susciperet S. C. Congregatio.

Transiens, ad secundam partem, Theologus quaesivit an sententia quae adstruit non constare de impotentia Nicolai et constare de validitate matrimonii ab eo initi cum Marianna in facie Ecclesiae die 19 augusti 1858 validis rationibus fulciatur.

Boni iuris praesumptionem esse pro muliere ingerunt tum iudicii ordo in Curia L. turbatus, tum nimia a die 28 martii ad io aprilis rerum praecipitatio, tum nova sui corporis inspectio, constanter petita a muliere et obstinate negata. Illud insuper ei favet, quod numquam fassa sit se recepisse intra se viri semen. Imo physici inspectores non adeo clare expresserunt an per congressum carnalem ea desiisset esse virgo vel potius alia de causa; cum ipsa semper asseruisset sese laesam utique fuisse a viro, non tamen per copulam carnalem; et dato quod etiam carnaliter cognita fuisset, quaeri adhuc poterat utrum a marito vel potius ab alio. Insuper examen viri non modo globatim exceptum, ipso uno dicente, quin iudex aliquid distincte et enucleatim interrogaret ; sed nec ei contestata fuere quae a muliere vel a testibus exposita sunt, scilicet ipsum suam interdum impotentiam confessum fuisse, medici auxilio in membris genitalibus indiguisse, vim eidem mulieri pluries intulisse digitis et manibus, ita ut ipsa exinde convulsionibus aliisque incommodis obnoxia fuerit.

Verum haec omnia talia non sunt ut ex iis vir ad matrimonium impos antecedenter et perpetuo renunciari valeat; ipse

enim, qui eiusmodi impotentiam acriter negavit, habet pro se non modo duas sententias plene conformes sed et testimonium quatuor physicorum peritorum, qui a legitimo iudice corporum inspectioni deputati fuere.

Etsi ex dictis de. impotentia ceu impedimentum dirimens, sententia proferri posset *non constare,* **tamen omnis via haud praeclusa esse videtur infelici mulieri si quaestio a charitate SSmi Pontificis reduceretur ad nudum consummationis factum. De quadam enim viri difficultate fere omnes loquuntur; et cum nemo determinaverit eius difficultatis fines, non abs re erit inquirere, an difficultas tunc in eo tanta fuerit ut impotentiae temporaneae loco esset.**

VOTUM CANONISTAE. **Innuit iste notissimam Constitutionem Benedicti XIV omnino impletam fuisse in conficiendo processu; sed instructionem S. C. Concilii die 22 augusti 1840 editam hac super re varias in suas partes pessum dedisse.**

Hoc praemisso, ad tria capita controversiam totam revocavit.

1. Matrimonium in casu fuit ne tantum ratum?

2. Impotentia ex parte viri est ne realis, absoluta et perpetua? et quatenus affirmative

3. Adsunt in themate iustae ac honestae causae, ita ut consulendum sit SSmo pro dispensatione matrimonii rati et non consummati?

Matrimonium suapte natura indissolubile, disiungitur si adsit impedimentum ad illud consummandum ; quod tamen sit perpetuum atque insanabile in uno ex coniugibus, ob consensus scilicet defectum qui alteri iustam quaerelam praebet : *volo esse mater, volo filios procreare, et ideo maritum accepi; sed vir quem accepi frigidae naturae est, nec potest illa facere, propter quae illum accepi. Text. i, de frigid, et malefic.* **Verum ut matrimonium rite contractum, ob viri impotentiam dissolvatur, probationes requiruntur clarae* atque concludentes per rectum Ecclesiae iudicium comprobatae. Ad quod efformandum Innoc.** *loc. cit. sub num. 2* **tradit :** *« Et nota quod tria argumenta inventa sunt ad probationem /rigiditatis, scilicet* **aspectus**

corporis, iuramentum septimae manus propinquorum et Triennium, sed discretus iudex providebit, ut unum solum, vel duo vel omnia tria faciat praestari. Iuxta Canonistas et Tribunalia praedicta forma probationis precise statuta et praescripta est ad dirimendas quaestiones et causas matrimoniales in contradictorio partium, sicuti habetur in casu, *et inter duo iuramenta* **viri nimirum affirmantis et uxoris negantis potentiam et copulam coniugalem.**

Pro adimplenda dictae probationis forma incipiendo a septimae manus testimonio ab utroque coniuge proposito, omnes de honestate -et veracitate utriusque coniugis conveniunt, nec non de mutuo amore ante contractum matrimonium; sed deponunt etiam post primam noctem statim fuisse subortam inter eos magnam aversionem, quam mulieri tribuunt. Duo testes inter alios cum viro loquentes de hoc matrimonio referunt ab eo audivisse : *quam habeo culpam si Deus ita me fecit* **et ideo** *nulla interfuit consummatio.*

Quapropter notandum venit quod unica et simplex confessio viri, etiam simpliciter extraiudicialis, tanti ponderis sit, ut per illam cuilibet contrario iuramento viri praevaleat iuramentum uxoris vel super impotentia, vel super inconsummatione matrimonii, quia inter duo iuramenta praevalet illud pro quo militant maiora argumenta veritatis, *Innoc. cap. i muli. de frigid, et malefic. ibique Hostien, in fin. Abbas. n. 5. Ancharan, n. 14. Reiffenst, ad lib. 4 Decret.. tit. 15 n. 30, Rota in Pampilonen., Matrimonii, 23 iulii 1/22 § Accedente,* **cor. Lancetta - ibi: «Accedente praesertim iuramento Mulieris etc. «quin aliqua vis fieri valeat in contrario iuramento Michaelis; « nam viget contra ipsum praecedens confessio extraiudicialis « ideoque in concursus praeferri debet illud mulieris aliis admi- « niculis et probationibus suffultum ».**

Ast in casu plures habentur confessiones extraiudiciales viri testibus fide dignis factae, iudiciales autem a viro factae in suis constitutis. Ait enim : « in prima nuptiali nocte debitum coniugale a muliere expetivi, et conatus sum consum-

mare matrimonium, cui libenter praesto erat illa; prima vice laboravi, sed matrimonium *per integrum* **non consummavi ; et confirmare possum quod pars seminis vas permeavit, sive ut melius rem clarificem** *dico id credere* **». Secunda nocte aegre sese mulier praebuit (forsan quia digitis illam divexabat) et ideo dubitavit vir quod reluctantia mulieris, quae nocte praecedenti inutilia conamina experta fuerat, causa esset cur consummare nequierit. Consilium quaesivit medicorum, sed numquam applicavit remedia, quae opportuna a medicis reputata fuere.**

His omnibus accedit confessio viri de propria impotentia per manus publici Notarii exarata; quamvis dein futiliter retractata.

Quoad alterum extremum a sacris canonibus requisitum, nempe quoad corporis inspectionem, retulerunt medici genitalia viri carere vitio visibili, et ideo virum potentem esse. Attamen relatio istaec peccat in instructionem S. C. C. anni 1840 iam citata, quia inspectio corporis non *seorsim* **ceu instructio iubet, sed in** *globo* **confecta fuit. Deinde memoria remeandum est omnes canonistae duplicem admittere speciem impotentiae, aliam nimirum ex vitio externo et visibili, aliam ex vitio interno et invisibili Gonzalez** *in Cap. Laudabilem eod. tit. n.* **7, ibi : « Signum impotentiae proveniens ex defectu naturali, vel appa- « rens esse potest, vel non apparens ». Et S. C. C. in** *Neapolitana nullitatis seu Dispensationis Matrimonii die* **5** *iulii 1862* **§ Verum.** *« Scitum praeterea est nullum ex externa conformatione, deducendum esse argumentnm, cum fieri possit, ut internum delitescat vitium quod coitum impediat »-.*

Quapropter providentia canonum non curans impotentiam ex vitio externo quam oculis peritorum cognoscendam reliquit, tota versata est in investigando et decernendo canonico remedio super impotentia ex duplici vitio interno et invisibili nempe *frigiditatis* **procedentis ex aeque invisibili et demoniaca operatione, et ideo in corpore Iuris Canonici titulum specialem inscripsit de** *Frigidis* **et** *Maleficiatis.* **In quo ut plurimum tra-**

etat de impotentia et vitio interno et invisibili, sub sensu non cadente, et quae nulla extrinseca probatione recognosci vel probari possit, ut patet ex littera textus *in Cap. Laudabilem eod. tit.,* **ibi : «** *Si frigiditas prius probari non possit* **». In hoc causa unica sibimetipsi testis est sola uxor in experimento thalami nuptialis ; illa enim semper virum accusavit de vitio interno nempe de imperfecta et flaccida erectione, numquam vero de vitio externo et visibili.**

Ad evincendam impotentiam ex vitio interno sufficit erectio vel diminuta vel non permanens Zacchia *lib. j, tit.* ***i,*** *quaest, j, n. -22 :* **«** *Aut quod etiamsi tantisper erigatur, minimum temporis in erectione perdurat, sed confestim elanguescit ».* **Rota,** *decis. 1 1 , lib. 4 ad ornat.* **Cardinal, de Luca,** *tom. 2, n.* ***II,*** **ibi : «** *Dum talis erectio non est sufficiens et permanens ; sed instantánea, languida et in totum flaccescens » et n. 14: « Etenim aliqualis umbra erectionis... non excludit perpetuitatem,* ***7ieque*** *evidentiam impedimenti, cum talis erectio non est sufficiens et permanens, sed instantánea, languida et in totum ßaccescens, haec autem dicitur evidens impotentia ».*

Romani periti ad hoc deputati in vitio interno constituerunt impotentiam Nicolai praefatam sequentes doctrinam, cum concluserat : agitur de impotentia *nei'vea* **et** *dinamica* **quae probe uniri potest cum normali corporis statu.**

Et ideo quamvis primi Medici ab Episcopo deputati retulerint mulierem non esse virginem, tamen virginitas amitti potuit non ex consummatione matrimonii, sed ex violentia digitorum mariti, cuius causa constat mulierem morbum contraxisse. Igitur matrimonium de quo agitur facile nullum renuntiatur, quia consummatum non fuit ex impotentia nérvea seu dinamica Nicolai, quaeque a Romanis peritis perpetua iudicata fuit et nunc aucta propter aetatem. Quapropter ex sententia *Sperell. decis. 1 4 1 , n. 35,* **concludi potest : «** *At si apparebit impedimentum Viri esse perpetuum et incurabile, tunc sine dilatione ferri poterit sententia super matrimonii dissolutione.*

Attamen ut tutius procedatur, ait Canonista, concedi pos-

set a Sacratissimo Principe dispensationem a matrimonio rato et non consummato, ceu enixe efflagitat oratrix ; et pro eo adsunt causae. Quarum prima est viri impotentia, Cosci, *de separat, tor. coniuge lib. i, cap. 16, n. içy ac lib. 3, cap. 2, n. 386.* **« Quando impotentia viri adstruitur pro motivo et « causa dispensationis non illam exigit certam et concluden- « tem probationem, sed satis quod dicta impotentia sit adeo « probabilis, ut summus Pontifex illam veram existimare possit « et ad gratiam moveri >.**

Et aptius Card. De Luca, *de matrim., disc,* **p,** *n. ç,* **ait, ibi: « Vere et proprie nos sumus in casu formalis dispensa- re tionis supra matrimonio alioquin firmo et indissolubili ; dum « stantibus claris indiciis impedimenti naturalis, videtur potius « quaedam administratio iustitiae, ita prudentialiter sub alio « titulo magis honesto, more principis administratae, cum ita «c utriusque partis iuribus consultum remaneret ».**

Altera causa in themate est animorum aversio; tertia vero causa posita est in periculo corporis mulieris, et animae utriusque coniugis.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS MATRIMONII. **Censuit hic insanum esse appellationem prosequi huiusmodi iudicii, utpote quod careat basi et fundamento. Etenim in facto est pluries coniuges istos explevisse actum coniugalem, et ideo non modo validum sed etiam consummatum extare matrimonium. Virum autem copulae aptum renunciarunt primi periti physici ab Episcopo deputati, et mulierem amisisse virginitatem. Quibus positis, quod Tribunal nullum declarare valebit matrimonium hoc post lapsum tredecim annorum, et post quam confirmatum fuerit a quatuor iudicialibus sententiis? Nec quid sibi velint Romani Professores intelligitur cum quaerunt, post tresdecim annos an matrimonium consummatum fuerit : expendere potius debebant utrum scilicet vir ille potens an impotens absolute ac perpetuo sit, non vero an matrimonium consummaverit. Si enim vir potens sit, validum a S. Congregatione renuncian debet matrimonium istud ; si vero impotentia ante-**

cedenti absolute ac perpetua affectus inveniatur, praedictae sententiae revocari debent.

Deinde quaestio de consummatione aut de inconsummatione *extra petita* **proponitur ; quia solum sententiarum revocatio petita fuit. Et insuper deest in casu processus, qui praecise factum consummationis, vel non consummationis pertingat; et deficit processus quoad causas iustas ad praetensi matrimonii rati et non consummati dispensationem assequendam.**

Praeterea dum Romani Medici admittere coguntur integras corporis partes cum primis peritis, absurde sibi effingunt adesse potuisse vitium internum, seu impotentiae speciem, ex qua arguunt matrimonium non fuisse debite consummatum. Sed mera hypothesis haec est, cui factum contradicit; eoquod dum vir externe nullum praebeat impotentiae signum, mulier amplius virgo non est.

Quapropter post multa conclusit defensor adulterae[1] **mulieris petitionem excipiendam non esse et sententias conformes confirmandas fuisse.**

Omnibus hisce expletis, propositum fuit resolvendum

Dubium.

An sententia Curiae tum L. tum H. sit confirmanda vel infirmanda in casu.

RESOLUTIO. **Sacra C. Congregatio causa disceptata, sub die 25 iulii 1874 respondit:**

Dilata et coadiuventur probationes iuxta mentem.

CAUSAE PROSECUTIO. **Mens Congregationis cum causam distulit fuit, ut conficeretur processus super non consummatione matrimonii iuxta instructionem dandam. Episcopus nova confecit et transmisit acta ad S.** C. **Congregationem ; quae tra-**

[1] Vivit illa unita viro, cum quo matrimonium, quod aiunt civile, iniit.

dita Theologo et Defensori fuerunt, ut super iisdem suam panderent opinionem.

VOTUM THEOLOGI. **Asserta viri impotentia nullatenus, ait Theologus, demonstrari potuit ; ex quo fiebat quod sententiae Curiarum primi et secundi gradus pro matrimonii validitate haberi deberent ut moraliter verae, etsi confirmari nequirent; quia inficiebantur vitio nullitatis non uno ex capite. Hinc quaesitum fuit an modus adesset opus ferendi miserabili mulieri, quae obstinato animo et corde, nullitatem sui matrimonii proclamant a viro discessit, quin ulla spes superesset reconciliationis, alterique viro se tradiderat, prolemque ex eo susceperat. Quamquam viri potentia a quatuor physicis asserta fuisset, plura tamen emergebant indicia ex universa actorum serie non secutae de facto eiusdem matrimonii consummationis. Tunc S. C. Concilii, auctoritate Senatus, potius quam iurisdictione Tribunalis, iussit ut de eiusmodi indiciis ratione habita novus iuxta instructionem conficeretur processus per Curiam** *L.* **non iam super nullitate, sed super non secuta consummatione matrimonii.**

Cum rationem praebuisset Theologus de novo processu, cuius obiectum non amplius esset nullitas matrimonii ex impotentia viri, sed inconsummatio, ad eiusdem dispensationem petendam, totus in eo fuit, ut inconsummationem probaret variis argumentis.

Et primum retulit quod mulier, legitimo iudicio, defensore matrimonii rite constituto et officio suo naviter functo, constanter asseruit matrimonium suum cum Nicolao numquam fuisse consummatum. Haud insuper omittendum est virum, licet aegre ac timide, eadem iudiciali forma adhibita consonuisse mulieri, cum dixit; «prima vice conatus sum; at integre haud consummavi ; et autumare possum quod pars seminis intravit in mulieris vas; et ut melius veritatem clarificem, *dico id credere.* **Secunda et tertia vice operatus sum, et idem accidebat. Secunda matrimonii nocte ceu in prima nocte laboravi ; quapropter censeo quod ex oppositione mulieris erectio permanens deficeret ».**

Interrogatus autem, instante defensore matrimonii, cur medicos adierit impotentiae non conscius, respondit: se eosdem roga visse non quia conscius esset de sua impotentia, sed ut causam agnosceret, qua fiebat ut nequiret integre consummare. Medici responderunt id evenire ex quodam naturali pudore.

Exulare in themate quamcumque collusionem vel ex eo despicitur quod mulier constanti voluntate virum rapuerit coram Tribunalibus, a quibus victor discessit, cum acriter mulieri obstitisset, et adhuc enixis viribus suam impotentiam neget.

Difficultas haud levis exurgit ex depositione iurata quatuor medicorum qui Mariannam retulerunt non virginem. Huic difficultati reponunt tamen Professores Romani dicentes ; aliqua indicia corruptionis, quae a peritis iudicialibus referuntur non equidem per matrimonii consummationem, quae triginta ad minus mensibus inspectionem praecesserit, explicari posse sed omnino vel a morbo aliquo vel a recentiore aliqua mulieris inhonestate ea esse repetenda. Et mulier ideo audienda videtur cum eius rei causam videat, in vexationibus a viro in pudendis suis peractis, medio digitorum, cum consummare nequiverit: ex quibus morbo mulier ipsa affecta est per quatuor menses.

De his vexationibus testes adsunt fide digni, quibus vir ipse enarraverat dicens : « digitis aliquando usus sum ut obstaculum removerem ad matrimonii consummationem ».

Nec silentio praetereunda exceptio est, quam mulier dedit relationi quatuor peritorum, dicens inspectionem hanc factam fuisse pauca honestate et conscientia, et institisse coram Vicario Capitulari pro nova inspectione corporum ; sed audita minime fuit. Adiecit Marianna quod inspectio in suo corpore facta fuisset a medico chirurgo, qui Nicolaum curaverat ante matrimonium ut potentem redderet, aliis tribus uni credentibus. Ast multum intererat Chirurgi operatoris deflorationem videre pro sua fama tuenda.

Pensitavit tandem Theologus depositiones testium quarnplurimorum; et ex omnibus colligere putavit quod matrimonium, de quo agitur, numquam consummatum fuisse : neque tempore quo simul cohabita ve runt coniuges, neque postea et multiplices adfuisse causas ob quas super eo dispensantur.

NOVAE ANIMADVERSIONES VINDICIS MATRIMONII. **Ad omnem removendam impotentiae suspicionem adduxit defensor sententias, quas a primordiis iurisprudentiae et medicinae aetatibus ad haec nostra tempora graves protulerunt Doctores. Hi enim in remissione et evaporatone membri virilis post incoeptum coitum non admittunt impotentiam absolutam, perpetuam, atque matrimonium dirimentem. Albertus Magnus a Sánchez relatus** *in tractatu de matrim., lib. y, disp. çj, n. 24,* **Duvergier,** *medicina legal., vol.* **i,** *cap. 4, pag. 338,* **Laura,** *medicina legal., part. 2,* **§** *3.*

Sed nedum viri impotentia, si quae fuit ex iudicio peritorum, fuisset temporanea, relativa, ac medicamentis reparabilis, ita ut nullitatis matrimonii quaerela esset omnino reiicienda, verum etiam ex illius condormitione cum uxore verus coitus ad matrimonii consummationem sufficiens intercessit, unde etiam dispensatio a matrimonio rato et non consummato est omnino pariter excludenda. Id probat virginitatis iactura post nuptias perpessa; et conatus ad consummandum ex utraque parte. Nam uterque coniux admittit ex parte fuisse matrimonium consummatum. Ex quo obvenit ut semen maritale si non ex toto ex parte tamen intra foemineum vas fuerit eiaculatum, Sánchez, *de matrim., I.* **7,** *disp. 12, n. 10.* **« nec censendum est matrimonium nullum si vir non totum « semen possit intra vas fundere, sed partem ; eo quod ea « seminis pars, intra vas recepta, sufficiens est ad consum- « mandum matrimonium, et efficiendum coniuges unam car- « nem ».**

Singillatim vero, refutatis testibus e vinxit consummationem matrimonii ; et ideo nulla, ex quacumque alia causa, ait, concedi potest dispensatio; nam Cosci, *de separat thor. L i,*

cap. 16, num. jj ait: « Matrimonium consummatum significat coniunctionem Christi cum Ecclesia per carnem assumptam, seu unionem hypostaticam ; quae coniunctio est omnino indissolubilis cap. debitum **5** *de bigam, quatenus verbum quod semel assumpsit numquam dimisit ... Ideo igitur matrimonium consummatum a nulla terrena potestate dissolvi potest, quia ad repraesentandam mirificam et indissolubilem unionem Verbi divini cum humanitate fuit a D. N. Iesu Christo elevatum; quapropter cum hanc unionem tamquam effectum sacramenti unice repraesentet copula matrimonialis, per hanc proinde, quae sacramentum subsequitur, fit matrimonium indissolubile.*

Hisce aliisque adductis, propositum fuit dirimendum

Dubium.

An sententia Curiae tum *L.* **tum** *H.* **sit confirmanda in casu.**

RESOLUTIO. **Sacra C. Congregatio sub die 30 iunii 1.877 causa discussa et reformato dubio:**

An consulendum sit SSmo pro dispensatione matrimonii rati et non consummati in casu, **respondit:**

Affirmative.

Sub die 22 septembris 1877 supposita fuit novae discussioni quaestio haec cum solita dubitandi formula.

An sit standum vel recedendum a decisis in casu.

Cui dubio S. C. C. respondit sub eadem die :

In decisis.

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Ad processus matrimoniales rite conficiendos nedum Constitutionem *Dei miseratione* **et instructionem S. C. C. servandas esse, sed etiam alia quae intrinsecam tangunt iudicii formam et solemnitates requisitas pro validitate sententiae.**

II. Quoad intrinsecam iudicii formam, primo requiri iudicem esse competentem, seu certa praeditum esse iurisdictione; quoad extrínsecas iuris solemnitates requiri sententiam diffinitivam a iudice proferri publice non in secreto loco, utraque parte legitime citata et praesente, non in die feriato, neque alio die ad quem citatio facta sit.

III. Hisce omnibus, tum intrinsecis, tum extrinsecis deficientibus, nedum sententiam, sed neque sententiae nomen adesse, a qua appellare non oportet, et quae nullum praeiudicium afferre potest.

IV. In themate multa defuisse tum quoad intrinseca, tum quoad extrinseca requisita ; propter quae Curiarum sententiae haberi possent ceu rite prolatae.

V. Dubitari enim posse utrum iudex pro cognoscendis causis matrimonialibus delegari possit a Vicario Capitulari dum ex sententia nonnullorum DD. transeat in Vicarium Capitularem nudum iurisdictionis exercitium, iurisdictio vero maneat penes Capitulum.

VI. Et re quidem vera Tridentinum Capitulo in istorum sententia non abstulisset nec imminuisset aut immutavisset devolutam ad Vicarium Capitularem iurisdictionem; sed solum praecepisset modum ea iurisdictione utendi, vel eam exercendi per Vicarium a se electum.

VII. Matrimonium manere ratum, dicique non posse consummatum fuisse, non obstante penetratione claustri, sine tamen seminum commixtione ; quae si adfuerit, etiam in tenui quantitate matrimonium consummatum reddit.

VIII. Maiores requiri probationes pro nullitate matrimonii decernenda per viam *iustitiae,* **quam pro dispensationis** *gratia* **obtinenda; itaque probatu difficilius est impedimentum impotentiae, ad nullum renunciandum** *ex iustitia* **matrimonium, quam evincere inconsummationem matrimonii ad gratiam dispensationis obtinendam.**

IX. Matrimonium haud consummatum fuisse evincitur ex coniugum et *septimae manus* **iuramento, et ex experimento virgi-**

nitatis : quae tamen probandi forma non *taxative* sed demonstrative adhiberi solet ; ita ut, alterutra omissa, ad dispensationem proceditur, quatenus tamen moraliter de inconsummatione constet.

ABSOLUTIONIS, INSTITUTIONIS ET FRUCTUUM

PER SUMMARIA PRECUM.

Die 22 septembris 1877.

Compendium facti. Inter alios Canonicatus in Urbe *N.* existentes unus adest cuius iuspatronatus ad serenissimum Etruriae Arciducam pertinet.

Moderatores Subalpini Gubernii ad illam nominarunt Praebendam Sacerdotem *F.* decreto diei 27 iulii 1862. Presbyter iste, licet ecclesiasticam institutionem obtibere nequiverit, ob Curiae et maioris partis Capituli oppositionem, tamen in bene ficu possessionem ingressus est illiusque reditus percepit. Nunc autem conscientiae stimulis adactus petit ab Apostolica Sede :

1. Absolutionem a censuris in quas non ex mala voluntate, ut perhibet, incidit.

2. Absolutionem a restitutione fructuum, quos absque Ecclesiae concessione percepit.

3. Ut et facultas concedatur canonicam institutionem recipiendi, vel saltem

4. percipiendi in posterum eiusdem canonicatus reditus.

Sacra Congregatio ab Ordinario certior fieri voluit de fama et oratoris moribus, et qua de causa capituli pars maior aegre ferret oratoris institutionem : an sine populi adunatione aut scandalo eidem oratori canonica institutio dari posset.

Retulit Ordinarius Presbyterum *F,* haud bona frui estimatione apud convices ; eoquod gravitate, quae ecclesiasticum

decet, omnino careat; tum ex levi methodo vitam agendi, tum ex vestibus quas ille induere solet. Hisce addi debent modus SS. Canonibus contrarius, quo Praebendae canonicalis reditus percipere valuit, nec non tabulae fundationis Canonicatus, quae iubent titularem esse debere, nobilem, laurea donatum, et confessionibus excipiendis adprobatum.

Eiusmodi requisita prorsus exulant in oratore; omnibus his innixa pars maior saniorque Capituli eum omnino ab se repulit. Quapropter pergebat Ordinarius, non sine scandalo atque populi clerique admiratione canonica institutio eidem daretur.

Disceptatio Synoptica.

Et primo ad absolutionem a censuris quod spectat haec oratori concedenda non esse videretur. Huiusmodi enim absolutio datur *cum eius qui pridem deliquerat comperta emendatio est {can. jj, caus. 23, q. 4).* **Iamvero praefatus sacerdos emen-^ dationis signa non dedit. Semper enim retinuit male acquisitam beneficii possessionem ; eo vel fortius quia eius vivendi ratio levis prorsus et ecclesiastico viro inconveniens adhuc reperitur.**

E contra animadverti posset sufficientem videri patrati facilioris poenitentiam quam orator ostendit, cum et magnam sollicitudinem habuerit de re cum ecclesiastica auctoritate componenda, eamque pluries adierit, et modis omnibus quaerit pacem reddere exagitatae conscientiae suae. Accedit Episcopi votum Oratori favorabile ad absolutionem a censuris concedendam, quod a S. C. C. valde attendi solet.

Ad absolutionem autem a fructuum perceptorum restitutione quod attinet deveniens, haud ipsa concedenda videretur. Siquidem, ne ei mala fides patrocinare tu r ad eos cum ipsa re praestandos adigendum esse putarem, iuxta praescriptum *L. 22, Cod. de rei vindic.*

Verum ex adverso perpendi potest primo, quod ad ipsorum restitutionem quaelibet causa etiam temeraria et bestialis

et quaecumque occasio possidendi excusat ad tradita per *Bald, in L. Irritum, n. 3, cap. de usurp. Sur d., decis. 2 1 1 % n.* **7,** *Menoch., de praesumpt. 130, num.* **j,** *lib. 3, Rota, decis. 320, n. 2, decis. 528, n.* **7,** *part. 2, decis. 608, n.* **i,** *et decis. 622, n. 4 rec.* **Secundo quod sacerdos** *F.* **aliis ecclesiasticis beneficiis non est provisus et cum nullis familiae bonis gaudeat in ea conditione versatur ut impossibile ei sit perceptos fructus restituere. Ad restitutionem autem non est cogendus qui non potest, cum nota paupertatis eum evidenter excuset. Quare absolutio a fructuum perceptorum restitutione ei iuxta votum Episcopi danda videretur.**

Neque tertio ecclesiasticam institutionem praefato Sacerdoti conferendam esse putarem:

i) quia ab illegitimo patrono praesentatus ;

2) quia caret requisitis a testatore volitis.

« Ultifna autem voluntas defuncti modis omnibus conservari debet ». Can. ult. voluntas Caus. 1 3 , q. 2. Clem. quia contingit, de relig, domib. 3, **tandem quia ex Episcopi relatione fama et mores oratoris nullum prorsus eidem favorem conciliant, et in hac sententia alii Praesules perstiterunt una cum Capitulo, omnes una voce contrariam opinionem pandentes.**

Altera sed vero ex parte attendi potest, quod canonicatus, quo orator fruitur est unus ex suppressis a rapaci Gubernio, proindeque haud multum insistendum videretur circa qualitates a testatore requisitas. Ex augmento enim Canonici *F.* **absque dubio servitium Ecclesiae augeretur, quod maxime iis praesertim calamitosis temporibus expedit attendi.**

Ad quartam demum instantiae partem descendens non ei facultas danda videtur fructus in 'posterum percipiendi :

i) quia extat quovis titulo destitutus ;

2) quia concessione in ipsius favore peracta dicendum esset quod maxime ei profuisset iniusta beneficii retentio.

Porro solemne est in iure quod nemo ex iniquitate sua commodum sentire debet.

E contra observari potest, quod cum orator ex dictis qua

cumque provisione careat fructibus canonicatus, quem in praesentiarum possidet, ad vitam sustentandam indiget, proindeque cum hoc beneficium non sit ex conservatis a Gubernio, si sacerdos *F.* adigeretur ad illud dimittendum hoc caderet in manus demanii. Nec praetereunda est difficultas obtinendae renunciationis ab eodem sacerdote tum ob egestatem qua premitur, tum ut observat Excellentissimus Archiepiscopus ex ambitioso, quo premitur, desiderio sedendi super scamna canonicalia. Cum vero eaedem ferme rationes difficile aeque reddant, ut Sacerdos *F.* duas ex tribus reddituum partibus persolvat favore Ecclesiae, Archiepiscopi sententia esset, ut eidem sacerdoti permittatur ad vitam percipiendi redditus canonicatus quem possidet.

Hisce igitur utrinque breviter animadversis, remissum fuit sapientiae EE. Cardinalium decernere quomodo preces eiusmodi essent dimittendae.

Sacra C. Congr. rebus probe ponderatis, respondere censuit sub die 22 septembris 1877:

«c Quoad institutionem negative; quoad reliqua constito « prius de vera poenitentia ac resipiscientia, praeviis exercitiis « spiritualibus in loco et pro tempore ab Archiepiscopo deter- « minandis pro gratia absolutionis a censuris et condonationis « fructuum perceptorum, attenta impotentia restituendi. Insu- « per pro gratia habilitationis percipiendi in futurum fructus « titulo eleemosynae cum onere solvendi aliquam partem pru- « denti arbitrio Archiepiscopi determinandam et ab ipso « Archiepiscopo pro Ecclesia erogandam, sub poena caduci- « tatis ab hoc indulto habilitationis si vitam et mores ad nor- « mam ecclesiasticae disciplinae non componat et retineat, « facto verbo cum SSmo ».

EXINDE COLLIGES :

I. Servatas omnino ab Apostolica Sede fuisse testamenti tabulas, eo quod uti sacra, omni in adiuncto censeatur testatorum voluntas quoad causas pias.

IL Proinde in themate canonicam haud concessam fuisse institutionem, utpote quae adversaretur testatoris voluntatem sed tantum ex gratia [1] condonatos fuisse presbytero vere resipiscenti, fructus iam indebite perceptos, eumdemque habilitatum fuisse ad fructus in futurum percipiendos ratione, forsan, circumstantiarum, quibus premimur et eleemosynae titulo.

IURIUM PAROCHIALIUM.

Die 22 septembris 1877.

Compendium facti. Sub die 24 iulii 1875 quaestio haec proponebatur[2] sub dubitandi formula : *An et quomodo sensententia Curiae Mediolanensis sit confirmanda vel infirmanda in casu.*

Cui dubio S. C. Concilii respondere censuit:

Sententias primi et secundi gradus esse reformandas : Capellanis ius esse exercendi curam animarum una cum Praeposito et dependenter ab ipso iuxta ordinationem ab Episcopo proponendam ad S. Congregationem transmittendam.

Antistes ut S. Congregationis voto morem gereret viros in iure canonico peritos deputavit ; qui accitis interesse habentibus, eorumque additis atque perpensis rationibus et argu-

[1] Meminisse iuvat quaestionem hanc propositam fuisse *per summaria precum;* quae formula apud S. C. C. adhibita, innuit agi non de formali dubio formiter solvendo, sed de precibus S. Sedi exhibitis ad gratiam obtinendam. Ideoque posthabita quasi omni iuridica disceptatione, salva manente testatoris lege, gratia concessa fuit, ex plenitudine potestatis et ex benignitate s. Matris Ecclesiae, nonnullis tamen adiectis conditionibus, quibus non adimpletis, nulla evadit.

[2] Vide hanc quaestionem relatam Vol. IX, pag. 116 huius ephemer, ut clarius intelligere possis omnia facti adiuncta. Confer, etiam quaestionem relatam Vol. IX, pag. 281 aliamque cum appendice, pag. 604 et seqq.

mentis, normam et finem huius dependentiae indicarent. Quae normae sic sese habent.

« i. Cum Rmus Rector Praepositus caput sit suae Ecclesiae, « primus ei debetur locus in qualibet sacra functione. Coadiu- « tores Capellani ipsi assident iuxta antiquitatem institutionis.

« 2. Quia vero etiam Coadiutoribus ius est, sed de iure « facultas exercendi curam animarum in Paroecia, una idest « communiter cum Praeposito, suae et ipsis integrae maneant « ex officio connaturales attributiones, quas praepositus per- « turbare aut imminuere nequeat.

« 3. Sacrae functiones in Paroecia consuetae tam diebus « festis, vel Dominicis, quam pro festis peragantur a Praepo- « sito et Coadiutoribus iuxta vicem huc usque retentam. Prae- « positus, cui functiones liturgicas de more a Coadiutoribus « exercendas, semper liberum sit, legitima suadente causa, « exercere per se, quando iure suo erit usu rus, Coadiutorem « praemoneat, cui aliter ritus sacer esset obeundus.

« 4. Sed praeter functiones, quas consuescit obire, Prae- « posito reservatae habeantur caeterae solemnes, idest cum « pluviali, clero et organo, quae per annum occurrant sive ex « consuetudine Ecclesiae, sive ex: voto publico, sive fuerint « rogatu fidelium celebrandae ; Coadiutoribus servatis functio- ne nibus ordinariis, quas de stola dicimus, puta baptismata, « funera, delatio SSmi ad infirmos.

« 5. Bini saltem ex Coadiutoribus Praeposito solemniter « celebranti adstent ministerio, libero manente tertio ex eis « propter quascumque, quae occurrant, fidelium spirituales « necessitates. Praeposito non peragente per se functionem, « quae fuerit sibi quomodocumque reservata, vices eius obeat « Coadiutor, qui hebdomadarium agit, dimidiatis inter eos « emolumentis, si quae a fidelibus offerantur.

« 6. Praedicationis onus ita commune sit Praeposito et « Coadiutoribus, ut isti homiliam habeant per vicem, et non- « nisi a Praeposito praemonita : iidemque eum adiuvent in « catechesibus.

« Applicatio autem Sacri pro populo Praeposito incumbat, « diebus ab Ecclesia praescriptis.

« 7. Functiones porro minus solemnes, vel de stola, a Coa- « diutoribus exercendae ita dividantur inter eos, ut quisque « illas peragat per hebdomadam in orbem : Hebdomadario « autem impedito, subeat qui hebdomada sequenti functurus « erit munere hebdomadarii.

« 8. **Quamvis in partem sollicitudinis pastoralis Praepositi « assumpti sint Coadiutores, ut totius Paroeciae saluti studeant « una cum Praeposito, tamen ut melius fidelium utilitati pro- « videatur, mos retinendus salubriter inditus ut paroecia divi- « datur in tres regiones, tribus Coadiutoribus singillatim « distribuendas : quisque autem ex ipsis in regione sibi assi- « gnata specialem infirmorum curam agat, pauperibusque in « ea degentibus eleemosynas distribuat, nec non incolarum « saluti propension cura invigilet. Item matrimoniis quae « ratione solemnitatis non pertineant ad Praepositum, assistat « quisque ex Coadiutoribus, de cuius regione fuerit sponsa: « eo impedito, suppleat qui erit de hebdomada. Causa inter- ne cedente delegandi, ne ad id muneris delegetur extraneus, « inscio Praeposito. Insuper semper liberum sit Praeposito « assistere personaliter matrimoniis etiam minus solemnibus, « illatis tamen in capsam Coadiutorum oblationibus inde per- « ceptis.**

« 9. Obventiones cuiuscumque generis hebdomadario a « fidelibus oblatae ratione alicuius spiritualis functionis, sive « per orbem suum eam exerceat, sive vicem agendo Praepo- ni siti, salva in hoc casu Praeposito sua medietate, in capsam « inferantur ut inter Coadiutores singulis trimestribus dividan- « tur, eleemosyna Missae excepta, quae in rem celebrantis « cedat.

« io. Discessurus e paroecia, sive Praepositus sive aliquis « ex Coadiutoribus meminerit quae tam salubriter sive a Tri- « dentino sive a Nostris Constitutionibus sancita sunt, tam « quoad tempus absentiae beneficiatorum cum cura animarum

« a propria sede, quam etiam quoad servitium Ecclesiae pro-
« videndum absentiae tempore ; et ideo sive Praepositus Coa-
« diutores, sive Coadiutores Praepositum vel collegas admo-
« neant, de suo discessu atque secum invicem ita conveniant
« ut interim aliqui ex ipsis praesto sint fidelibus in opera
« spirituali ».

Interpretatio tamen huius rescripti occasionem dedit Capellanis et Praeposito, ut etiam propria tuerentur iura, quae laedi timebant a novis propositis normis. Ideo noviter asserunt Capellani suum parochiale ius recognitum fuisse ceu in Praeposito, *una cum Praeposito ;* propriamque dependentiam haud totaliter et stricto sensu intelligendam esse ; sed quoad nonnullos actus urbanitatis gratia erga Praepositum, qui illis aequalis est in iure habitualis Curae, et ad maximum habetur *primus inter aequales in iure.*

Interpretatio huiusmodi haud Praeposito arrisit; et continuo S. C. Congregationem exoravit ut probe rem perpenderet, ne Rectoris ius laederetur, sed dependentia Coadiutorum, sapienter admissa, conservaretur.

Disceptatio synoptica.

IURA PRAEPOSITI. Vehementer petiit iste ab Emis Cardinalibus ut sedulam navarent operam ad hoc ne modula normarum, quam Ordinarius praesentavit, aliquam secumferret Coadiutoribus concessionem in damnum iuris parochialis. Ex laudata enim declaratione sapienter sancitum fuit quod Capellani curam exerceant dependenter ab eodem Praeposito. Ad quam adstruendam interpretationem, prae primis presto est, ait ille, Bulla Alexandri Papae VI pro erectione trium Capellaniarum ; ex qua Bulla Capellani ipsi tenentur interesse una cum Praeposito horis Canonicis in ipsa ecclesia, et *tenentur* exercere curam animarum Parochianorum, et per seipsos, non autem per substitutos deserviré. Animadvertit insuper Capellanos ipsos constanter in actis Curiae episcopalis, et in ipsa

visitatione Apostolica anno 1581 nuncupatos fuisse Capellanos Coadiutores Rectoris Praepositi. His adiici debet quod cum Capellaniae aliquando collatae fuerint a Summis Pontificibus, in Bullis collationalibus onus Capellanorum semper designatum fuit verbis: « Quam Capellaniam pro tempore « obtinenti, Rectorem dictae Ecclesiae (Praepositurae) pro « tempore existentem praepositum nuncupatum in exercitio « curae animarum dilectorum filiorum illius Parochianorum coa- « diuvandi onus incumbit ».

Ex quibus arguit Praepositus quod S. C. C. adiudicaverit Capellanis curam actualem, seu ius tantum exercendi curam animarum, non vero curam habitualem paroeciae. Ita ut nullus extraneus impedire eosdem posset ab exercitio eiusmodi ; quod ius non haberent invito Praeposito ; cuius sunt coadiutores in iis quae ad curam spectat animarum Ferrar. V. *Coadiutor, n. 28, 2Ç.*

IURA CAPELLANORUM. **Quisquis Bullam Alexandri VI perlegat facile percipiet quod verba** *tenentur una cum Praeposito* **omnia respiciunt officia, quae salutem animarum tangunt. Taliter iudicium protulit S. Carolus Apostolicus Visitator his verbis : « Capellani tres coadiutores, qui una cum Praeposito « tum ad personalem residentiam, et ad horas canonicas col- « legiatim recitandas, tum ad animarum curationem ex funda- « tione teneri comperti sunt ».**

Aliud prostat argumentum Capellanorum favore ex verbis Bullae fundationis : *per seipsos non autem per substitutos deservire, legitimo cessante impedimento.* **Ex quibus ergo colligitur quod si impedimentum adesset etiam per alios substitutos deservire possent. Ex actis Curiae autem haud colligitur quod constanter ut asserit Praepositus :** *nuncupati fuere Capellani Coadiutores Rectoris Praepositi.* **Sed maior Bullarum collationum pars repetit verba Brevis fundationis horum Beneficiorum:** *pro tribus perpetuis Capellanis, qui una cum Praeposito horis canonicis interesse, personaliter residere, ac curam animarum parochianorum exercere teneantur.* **Innuit Praepositus**

quod variis Summi Pontifices cum Beneficia haec conferrent, saepe modificaveritit collationis formulas. Verum id nullum habere valorem, aiunt Capellani; tum quia Praepositi haud praebuerunt exactam officiorum notitiam Romanis Pontificibus aliquod ex his beneficiis collaturis; tum quia in successivis collationibus rediit formula ex Brevi fundationis deprompta. Ast si Romani Pontifices derogare auctoritative voluissent fundationis Brevi, ad suetum non rediissent formularium.

Neque officit Capellanis quod in resolutione S. C. C. dicatur, ipsos exercere debere curam dependenter a Praeposito ; adiicitur enim *iuxta ordinationem ;* **quia methodus et dependentiae limites proponi ab Episcopo et approbari a S. C. C. debent.**

Adiiciendum est quod S. C. C. confirmaverit sententiam primi et secundi gradus; easdem solum reformans quoad Superiorem, qui normas constituere debet quibus moderaretur iuris exercitium et dependentia ad quaestiones vitandas. Caeterum Bulla Alexandrina probe interpretata innuit curam animarum, *una cum* **Praeposito reciproce et equaliter ad Curatos pertinet. Hinc plenae parochialitatis ius, quo canonice quis adsistit matrimoniis, ex vi fundationis aeque ad Praepositum et ad Coadiutores titulares pertinet.** [1]

Quibus praenotatis, propositum fuit enodandum

[1] Haud raro evenit quod per antiquas institutiones cura animarum penes plures reperiatur, praecipue in Canonicorum Capitulis. Attamen S. C. Concilii legi Tridentinae inhaerendo, data occasione, praetulit esse apud unum tantum, quoties fundationis peculiares leges aperte non renuant. Et praxis huiusmodi aptius Ecclesiae institutioni respondet. Legimus enim *in Cap. Sicut 21, quaest. 2: «Sicut in unaquaque Ecclesia unus presbyter esse debet, ita ipsa, quae sponsa vel uxor eius dicitur, non potest dividi in plures presbyteros, sed unum tantummodo habebit sacerdotem, qui eam caste et sincere regat».* Neque obliviscendum quod ista ratione praecaveri possunt quaestiones quamplures quoad matrimoniorum validitatem.

Dubium.

An et quomodo propositae ab Episcopo ordinationes probandae sint in casu.

RESOLUTIO. **S. C. C. sub die 21 septembris 1877, causa perpensa respondit:**

Affirmative in omnibus. [1]

CONCURSUS AD PRAEBENDAM THEOLOGALEM.

Die 2 septembris, 16 decembris 1876,
27 ianuarii, 28 iulii, 15 decembris 187?.

PRAENOTANDA. **In dioecesi** *A. . . .* **singularis viget ratio habendi concursum tum ad theologalem, tum ad poenitentiariam praebendam. Siquidem convocato Capitulo in aula capitulari, quo Episcopus et Cancellarius conveniunt, velamine coopertus exhibetur concurrenti liber, qui ut plurimum, est Summa Theologica S. Thomae. Concurrens acum figit in libro, qui postea aperitur in ultimo folio perforato ; atque ex materia, quae disceptatur in duabus paginis ita apertis, concurrens ipse propositionem seu thesim concinnat, quae transcripta a Cancellario ad Ecclesiae valvas afngitur. Dein per viginti quatuor horas concurrens in separato conclavi inclusus manet, quibus elapsis ad Cathedralem pergit* ubi coram Capi-**

[1] Aliquis forsan dubitare poterit quod S. C. Concilii, istas probando ordinationes, quae modum vivendi determinant, ius Praepositi aliquantulum laeserit. Ita ut hoc in casu haud plene praxim de unitate inducenda in cura animarum, sequuta fuerit. Lectores adprecamur ut memoria repetant leges civiles, quibus causa pia di vexatur; praecipue quoad Paroecias; et suasum habebunt iuris rigorem aliquando prudentiae regulis cedere debere, ut Ecclesiae bona, quantum fieri potest, ab unguibus *Fisci* removeantur.

tulo et Episcopo, dissertationem recitat super proposita thesi eamque defendendam suscipit contra ceteros concurrentes, qui per spatium unius horae contra arguere possunt. Postera die iterum Capitulum, cum Episcopo et Cancellario in aula capitulari conveniunt. Missale velatum, ut supra, concurrent porrigitur, qui acu illud pungit et seligit Evangelii textum super quo conciunculam elucubretur. Posthaec iterum clauditur per viginti quatuor horas in separato conclavi, e quo Cathedralem petit, atque ascenso suggestu evigilatam orationem dicit. Hisce omnibus expletis pro singulis concurrentibus, Capitulum demum convocatur ad ferendum suffragium, iurante unoquoque ex canonicis se votum ex conscientia daturum. Capitularium votum est consultivum, votum Episcopi deliberativum. Haec omnia erant praemittenda, ut quae sequuntur facilius intelligerentur.

Compendium facti. Vacata theologali praebenda, Episcopus S. Concilii Tridentini et Apostolicarum Constitutionum vestigiis inhaerens concursum indixit per publicas edictales literas, quas ad loca consueta afhgi publicarique mandavit, ut omnibus paterent per sexaginta dierum spatium, a die affixionis, nempe a die undecima mensis martii 1875 computandum. Duo tantum Sacerdotes, theologali laurea insigniti, Michael *P...* et Ioannes *C...* concurrentium albo nomen dederunt. Habito experimento, praelationem meruit sacerdos Ioannes, qui ab Episcopo, audita Capitularium relatione, in canonicum adlectus fuit.

Huius rei certior factus Michael, sese gravatum reputans, monito prius Episcopo, libellum obtulit ad S. Congregationem Concilii postulans ut Ioannis electio irrita et nullius momenti declararetur ob sequentes irregularitates.

i. Quia Ioannes non dedit nomen concursui neque sua exhibuit requisita intra tempus utile. Profecto iuxta edictales literas concurrentes nomen dare poterant usque ad diem nonam maii inclusive, quae dies ex consuetudine ad solis occasum expirare debebat. Iamvero Ioannes ad horam fere octa-

vam post meridiem, cum iam praefixus terminus praeterlapsus esset, se sistit non in Curia, sed in domo Cancellarii, in qua concursui nomen dari non poterat.

2. Quia Ioannes contra Constitutionem Gregorii XV, *Supremae* **5** *novembris 1622,* **quae mandat unicum extrahi thema, bis acum fixit in libro ut thesim seligeret discutiendam. Cognito enim prima vice difficile thema sibi esse tractandum, rursus ipsi permissum est acum figere, atque ita thesim faciliorem sortiri.**

3. Quia in conciuncula haud recte interpretatus est textum Evangelii *stans super illam imperavit febri et dimisit illam,* **quem textum omnes referunt ad potestatem D. N. I. C. in sanandis infirmitatibus. Ioannes vero demonstrandum suscepit, infirmitates nedum utiles, sed necessarias christianis esse. Quod contrarium est citatae Constitutioni.**

4. Quia Capituli suffragium non pro meritis Ioannis sed pro gratia et ambitu latum est. Profecto ante concursum quidam dixit iam statutum esse cui praebenda esset conferenda; tempore concursus, prandia et conventus habiti sunt quibus interfuerunt canonici, ut consulerent qua ratione Ioannes certo eligi possit ; nec defuerunt qui munera et donaria acceptarent. Adeo ut apertissima res sit, capitulares non ex conscientia, sed studio partis suffragium tulisse. Hoc vero votum Episcopum secutum fuisse, ita ut dicendum Capitulum in casu votum habuisse deliberativum.

Rogatus Episcopus ut super expositis suam ederet sententiam, simulque doceret, an Ioannes, tempore utili, concursui nomen dedisset, et quomodo bis sortem tentasset ad thesim concinnandam, quam sua oratione evolvere et tractare debebat, respondit: « Cancellarium asserere lucente adhuc die Ioannem *apud ipsum comparuisse et inscribi petiisse ; petitionem tamen non statim sed post solis occasum in scriptis redactam fuisse, eo quod visus non fuit essentialis defectus.* **Nihil irregularitatis deprehendi in eo quod Ioannes bis in librum acum fixerit, bisque librum aperuerit; hoc enim fuit in ante-**

cessum in utriusque concurrents favorem permissum. Votum vero Capituli ipsum sequutum fuisse, tum quia ad iustum existimabat, tum etiam quia dignitati Ecclesiae conveniebat, atque omnium, tam Ecclesiasticorum quam laicorum bene sentientium desiderio respondebat. Transmisit insuper binas attestationes Cancellarii Curiae Episcopalis et Capituli Cathedralis, ex quibus apparebat, Ioannem tempore utili nomen concursui dedisse, atque utroque concurrente sciente et nemine contradicente, constitutum fuisse ante concursum, ut uterque posset semel iterumque acum figere. Rebus sic stantibus, causa proposita ac disceptata fuit.

Disceptatio synoptica.

DEFENSIO IOANNIS. Advertebatur in primis ex parte Ioannis confundi non debere datam edicti, qua concursus induebatur, cum die, qua affixum et pubblicatum fuit. In casu enim literae edictales datae fuerunt die 5 martii, ast revera die 11 afhxae fuerunt. Iamvero si prima data consideretur sexaginta dierum terminus expirasset die 4 mensis maii; si vero a die affixionis tempus utile computetur, die 10 eiusdem mensis expirasset. Hinc cum, fatente adversario, Ioannes die 9 maii concursui nomen dederit, contra eius inscriptionem nihil obiici potest.

Ast dato etiam quod tempus inscriptionis die 9 maii clauderetur, nihil proficeret adversa pars quia dies iuridici ab una ad alteram mediam noctem extenduntur; nec finem habent ad occasum solis, ceu absque ulla praesumitur ratione. Imo in Dioecesi mos est ut etiam paucis momentis ante concursum inscriptiones excipiantur, dummodo res sit integra, iuxta sententiam plurium interpretum Concilii Tridentini.

Quo vero ad sortitionem thematis, quod Ioannes defendendum suscepit, adnotabatur Episcopum iussisse Cancellarium legere processum seu relationem formae observatae in ultimo concursu ; atque coram Michaele et Ioanne declarasse

sese eamdem formam servare velle. Iamvero in illo facta fuerat facultas concurrentibus ter acu pungendi librum ut unum pro dissertatione thema seligerent. Michael huic dispositioni minime obstitit ; ideoque immerito queri quia Ioannes bis librum acu pupugerit.

Immerito pariter dicebatur incusari Ioannes, quia in textu Evangelii - *Et stans super illam imperavit febri et dimisit illam* conciunculam finxit ostendens infirmitates nedum utiles sed aliquando necessarias esse christianis. Nam conceptus et Spiritus illius patet praesertim ex curatione mulieris, quae postea recuperata valetudine usa est praesertim in Dei servitium ac proinde conciuncula maxime congrua fuit spiritui illius textus evangelici.

Demum quoad votum Capituli observabatur Michaelem non Capitulum, sed potius Episcopum incusare. Siquidem Capitulum consultivum, Episcopus vero votum habet deliberativum. Hinc aut dicendum Episcopum adeo crassae fuisse mentis ut artes et fraudes Capituli non intelligeret ; aut ipsum quoque hac corruptione convolutum fuisse, quod nefas est cogitare. Et sanae mentis homines quid dicent de Michaele, qui tam corruptum illud collegium pingit, et tamen plus quam fando exprimi possit, insudat, ut in eo collegio cooptetur? Ëx his omnibus concludebatur, peractum concursum nulla notari posse irregularitate, aut corruptione, ideoque factam electionem plene sustineri debere.

DEFENSIO MICHAELIS. Pro Michaele Orator electus in Urbe defensionem suscepit. Hic praemisso quod concursus ad praebendam theologalem in Dioecesi *A.* . . . haberi debet iuxta Constitutiones Sixti IV et Leonis X a s. m. Clementis XIV Constitutione - *Nuper pro parte* 24 novembris 1769 ad eam Dioecesim extensas, duplici ex capite absolutam electionem impetebat, nempe ex nullitate et iniustitia, ac concludebat praebendam Michaeli esse conferendam posthabito novo concursu.

Primo igitur contendebat multas illarum Constitutionum formas pessumdatas fuisse favore Ioannis, quarum concul-

catio nullitatem inducit. Porro Ioannem concursui admissum dicebat declinato iam sole diei 9 maii, dum tempus utile inscriptionis cum solis occasu expirabat. Nam sexaginta dies in edicto statuti computari oportebat - *a die 11 mensis martii* - **affixionis. Porro haec fieri debebat primo mane, quo initium diei sumitur; hinc dies sexaginta naturales, constantes horis 24** */. More romano ff. de feriis et ditat,* **destinaban t post solis occasum ; eo vel magis quo pro extractione thesis, statuta fuerat subsequens dies io eiusdem mensis.**

Ut haec probaret Orator afferebat cap. *Consulit* - *De off. Deleg,* **ubi citatus ad comparendum pro certo die, intelligitur comparere debuisse die et hora** - *qua ius dicitur.* - **Hinc cum tabularium episcopale, ad quod concurrentes ex edicto accedere debebant de more clauderetur sub vesperam, existimandum est inscriptionem die 9 maii fieri potuisse usque ad solis occasum. Nec testes deesse pergebat asserentes in illa Dioecesi receptum fuisse morem recipiendi inscriptiones ad concursum usque ad solis occasum ultimi diei ab Episcopo determinari. Atqui constat ex aliis testibus Ioannem cum tenebris urbem ingressum fuisse, atque ideo expirato iam tempore utile concursui nomen dedisse. His omnibus accedere advertebat, quod in actu inscriptionis Ioannes requisita minime exhibuit; quae cum neque postea exhibuerit usque ad electionis actum, concludendum, hunc actum fuisse nullum et mutilum ex duplici capite, tum quia elapso tempore utili Ioannes nomen dederit ; tum quia requisita in actu inscriptionis minime exhibuit.**

Alteram nullitatis rationem ex eo ducebat Orator, quod Ioannes bis sorte duxisset thesim publice disputandam, cum enim prima vice ei disputare contigisset super *Quaest. 3, p. 3. Sum. Theol. S. Thomae,* **eam recusavit, atque Episcopo et Canonicis approbantibus novam thesim sortitus est, scilicet** *quaest.* **75,** *cit. 3, part. S. Thomae,* **quam publice defenderat cum lauream doctoralem est consecutus. Et cum in concursibus sors quoque a victoria extranea non sit, minime est per-**

mittendum unum super coarctato articulo disputare, alterum vero variare posse ac ad novas extractiones pergere.

In quo frustra opponi advertebat ante extractionem partes invicem convenisse de acu bis iterumque figendo, iuxta consuetudinem ; constat enim Michaelem super hoc mordicus contradixisse. Nempe cum nihil antea dictum esset et Ioannes, in actu extractionis, visa difficili thesi aliam sortiri praetenderet, Michael sese opposuit contendens ex verbis edicti fieri debere concursum ad tramites constitutionum Sum. Pontificum Sixti IV, Leonis X, et Clementis XIV, quae de unica extractione loquuntur, quas everti non poterant a consuetudine, quae ceterum unico exemplo anni 1850 efformabatur.

Demum Orator nullitatem repetebat ex modo, quo electio perfecta fuit, nam Capituli votum est mere *consultivum,* **et Episcopus inter approbatos** *digniorem* **eligit ; quod Episcopus praestiturum quoque promiserat in edicto concursus. Contra ex declaratione cuiusdam canonici patet, Capitulum neminem distincta votatione approbasse, ut approbatum exhiberet Antistiti; sed datis, unica vice, suffragiis, duo habuit Michael, octo Ioannes, quem propterea canonicum theologalem** *nominavit et elegit* **ac Episcopus hanc electionem probavit. Et adeo Episcopus ratus est electionem non peregisse, ut clamores populi audiens minime dubitaverit palam asserere hoc factum imputari debere solummodo canonicis, cui obsistere non poterat.**

Post haec Orator ad secundam suae orationis partem transvolans contendebat huiusmodi electionem maximam redolere iniustitiam. Nam a Canonicis, ceteris petitoribus remotis, fere adactus est Ioannes ut Michaeli oppositorem se faceret; Vicarius Generalis pariter Canonicus, docuit Ioannem quid ageret, quid responderet in actu concursus; iactitata fuit ante specimen sua electio, dilatus terminus in sui favorem ; duplex concessa fuit sortitio ; plures coetus canonicorum, convenientibus Vicario Generali et Cancellario, in domo Ioannis habiti sunt ; et in aula vix ipse dissertationem incepit Capitulum suum

favorem manifestavit. Hinc concludebat Ioannem electum iniuste fuisse contra votum totius cleri, populi et doctiorum hominum ac Canonicos; ne in publicam indignationem inciderent, celasse aliquo tempore factam electionem.

Crescere iniustitiam addebat ex collatione meritorum, ratione tum scientiae, tum servitii Ecclesiae praestiti, tum morum. Referebat enim Michaelem esse eximium verbi Dei praeconem; docuisse annos quindecim in publicis scholis et in Seminario Grammaticam, Rethoricam, Philosophiam rationalem ac Theologiam moralem; anno 1874, voluisse ei Episcopum tradere Cathedram Theologiae Dogmaticae, ceu patet ex pluribus ipsius Episcopi uteris eum ad nobiliora et gravissima officia invitantibus.

Contra vero Ioannem nihil aliud exhibere posse pergebat, quam munus parochi per aliquot annos male gestum, atque ideo eidem applicari posse *cap. 87, De reg. iuris in 6 infamibus portae non pateant dignitatum.* **Quod ita interpretantur Doctores, ut divinae legis nuncius et S. Scripturae explanatur, qui verbo et exemplo docere debet, nedum esse non possit processatus aut per sententiam damnatus de aliquo crimine, sed nequidem denunciatus aut diffamatus, secus omnino est reiiciendus** *Lotter., De re benef., Lib. 2, quaes. 31, n. 145. Ventriglia in praxi fori eccles, tom. 2, annat.* **5, §** *2, n. 64 et seq. S. Rota in Zamoren. seu Salamantina Capellaniae io decembr. 1751,* **§ 7** *cor. Caprara; S. Congregatio in Capuana Concursus 21 novembris 173c ad II Dubium; et in Iuvenacen. Canonicatus Theologalis 11 augusti 175c,* **§** *causa.* **Quibus positis, sustinebat Orator, nonnulla referens testimonia, Ioannem esse reiiciendum quia plura dederat publica haud laudabilis vitae argumenta.**

Remoto Ioanne sive propter nullitatem, sive propter iniustitiam electionis, concludebat praebendam Michaeli omnino esse conferendam.

Nam inobservantiam formae unum Ioannem premere asserebat, in eius enim favorem inducta fuerat; non vero Michae-

lem, qui rite fuerat suo officio perfunctus; hinc nullitatem potius ad iniustitiam electionis, quam ad actorum iterationem tendere. Ideoque Michaeli unico digno reperto, praebendam esse conferendam.

Recolebat Orator devolutioni locum fieri S. Sedi tam ex spreta vitiataque concursus forma *S. Rota in Imolen. Canonicatus Theologalis 2 aprilis 1753, § 4, coram Molino et Monopolitana Canonicatus seu Praebendae Theologalis 27 iunii 1754, § ç cor. Stadion;* **quam ex iniustitia electionis assumpto ad praebendam indigno vel incapaci** *reg. 20 Cancellar. Riganti, ib.,* **n. i, 13,^.16 et 19 quo casu S. Sedes non tenetur rursus indicere concursum** *Garcia De Benef., p.* **5,** *c. 4, n. 224;* **sed sibi benevisum, dummodo qualificatus sit et idoneus, eligere potest; atque nullum aptiorem dicebat Michaele, universi cleri et populi votis ad munus conclamato, cui propterea saltem ex gratia beneficium esset tribuendum.**

Hisce disputatis ab utraque parte proposita fuerunt

Dubia.

I. *An electio sacerdotis Ioannis sustineatur in casu* **et quatenus** *Negative.*

II. *An sit deveniendum ad novum concursum, seu potius Theologalis adiudicanda sit sacerdoti Michaeli in casu ?*

RESOLUTIO. **Sacra Congregatio Concilii die 27 ianuarii 1877 respondit :**

Ad I. *Affirmative ; tamen non est danda institutio electo quoad usque constet coram S. Congregatione de eius qualitatibus quoad mores.*

Ad II. *Provisum in primo.*

Post haec cum Ioannes egregium ab Episcopo suorum morum retulisset testimonium ; licet adversus Orator nullum non moveret lapidem ad eius indignitatem et incapacitatem demonstrandam, tamen rursus proposita causa sub dubii formula. *An standum vel recedendum a decisis in casu,* **Sacra**

Congregatio die 28 iulii 1877 respondit: *In decisis et institutionem dandam esse electo sacerdoti* **C. . . . Demum tertio disceptata causa, eodem proposito dubio, die 15 dec. 1877, S. Congregatio respondit :** *In decisis et amplius.*

Ex HIS COLLIGES:

I. Consuetudines seu statuta Dioecesum, quae accidentaliter formam concursum modificent, et substantiam non afficiant, sustineri posse et nullitatem non inducere.

II. Tempus utile inscriptioni concursui concessum expirare media nocte ultimi diei assignati ; quin imo non deesse qui doceant, paucis etiam momentis antequam inchoetur concursus, ob utilitatem Ecclesiae, admitti posse concurrentes, dummodo res sit integra.

III. Episcopum ex approbatis eligere posse quem magis idoneum in Domino iudicaverit, quamvis ceteri concurrentes, doctiores sint et melioribus polleant requisitis.

IV. Cum electio devolvitur ad Apostolicam Sedem, hanc non teneri concursum iterare, sed posse sibi benevisum eligere. Adverte tamen hac facultate fere nusquam uti.

DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE.

PER SUMMARIA PRECUM.

Die 26 ianuarii 1878.

Compendium facti. Paschalis R. e Dioecesi I. in aetate annorum viginti supra novem constitutus SSmum Patrem his supplicibus verbis adivit : sese clericales iam induisse vestes eo consilio ut Deo inserviret; quum quotidie presbyterorum numerus legum civilium malitia decrescat. Verumtamen tresdecim abhinc annis, noctu, quum gravissimo detineatur somno, epiléptico, aliquando, sese ait, affici morbo.

Episcopus retulit clericum optima praeditum esse morali, sufficientique doctrina ; sibique pergratum fore quatenus alium acquireret sacerdotem pro sua Dioecesi, quae iam penuriam sentit. Iterum Episcopus, loquutus de presbyterorum deficientia, instantius ab Apostolica Sede gratiam dispensationis exposcit pro dicto Clerico, propter eminentes eiusdem animi qualitates et alacre studium, quo ad Dei militiam fertur.

Disceptatio synoptica.

EA QUAE "PROMOTIONI OBSTANT. **Opponitur prae primis promotioni Paschalis** *Cap, Communiter, 3, dist. 33* **ubi praecipitur epiléptico seu caduco morbo laborantes a sacrorum ordinum susceptione vel exercitio arcendos esse** *Gloss, in dic. cap, v. Communiter, et de iis,* **Ferraris, v. Irregularitas, art. 1, n. 12.** *Sicut enim lex mosaica non permittebat aegros tangere sacra ; multo ergo minus in novo testamento daemoniacis, caducis et furiosis debet hoc permitti. Gloss, in cap. v. dict. distinct, v. Usque adeo.*

Insuper ut clericus promoveri tuto posset oporteret ut a pluribus annis signa ulla non dedisset dicti morbi iuxta Sacram Congregationem Concilii in *Tudertina ç iulii JJ04 apud Monacell. tom. 2 tit. 13, formul. 3 n. 36* **«ibi »** *Clericus... qui levi epilepsia semel affectus fuit, et deinde per plures annos amplius dicti morbi signa non dedit, promoveri poterit.* **In facto tamen habemus quod clericus a tresdecim annis comitiali afrlictatur morbo, absque ullo remissionis signo ; et quod agitur non de promoto, sed de promovendo. Quo in casu SS. canonum rigores magis attenduntur. Insuper ex experientia constat quod morbus progressu temporis augetur; et quod nunc noctu accidit in silentio, evenire posset in die. Ergo Paschalis a Sacris ordinibus reiiciendus esse videretur.**

EA QUAE PROMOTIONI FAVENT. **Favore tamen huius clerici praemonere libet, hoc in casu agi de morbo absque culpa contracto, ex quo absoluta non oritur irregularitas ; sed tandiu**

facit ut quis irregularis habeatur, quandiu ex medicorum iudicio ad altare morbum passus tuto posset admitti Schmalzgrueb. in *Ius can. tom.* ***i.*** *par. j tit. 20 num. u.* **Si vero perpendatur quod orator per tresdecim annos raro ac solummodo nocturno tempore epiléptico morbo abripitur, et nunquam in die, perfacile deprehenditur, quod ipse ad altare tuto possit accedere, et eius vota impleri possent. Id suadent Medicorum attestationes ; ex quibus colligitur huiusmodi morbum non esse essentialiter epilepticum, sed tantummodo extrinsecam quandam dicti morbi formam praeseferre. Hisce omnibus addendum est quod clericus, ut autumavit Episcopus, optimis praestet moribus, sufficienti scientia, sincera vocatione ad ecclesiasticam militiam sequendam ; quodque eius opera nedum sit utilis, sed necessaria ob sacerdotum defectum. Ex quibus facile suaderetur preces Paschalis haud respuendas esse.**

Ex officio huiusmodi confectis animadversionibus, prudentiae EE. CC. remissum fuit respondere quomodo preces dicti clerici essent dimittendae.

RESOLUTIO. **Sacra C. Concilii rebus probe perpensis, sub die 26 ianuarii 1878 sic se habuit:**

Pro gratia dispensationis et habilitationis, facto verbo cum SSmo.

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Difficilius concedi dispensationem ab irregularitate si agatur de promovendo ad Sacros Ordines, quam si ageretur de promoto.

II. In themate videntur suasisse gratiae concessionem tum morbi levitas atque raritas; tum quia clericus morbo afficeretur noctu, quando nempe periculum absit exturbancli praecipuam Ordinis Sacerdotalis functionem, idest celebrationem Missae.

VICARII GENERALIS.

PER SUMMARIA PRECUM.

Die 15 iunii 1878.

Compendium facti. Supplici oblato libello diei 21 februarii efHuxi mox anni Reverendissimus Episcopus C. petiit a S. Sede ut sibi facultas indulgeretur retinendi in suum Vicarium Generalem quemdam Nicolaum S. qui et laurea doctorali destitutus manet, simulque Canonicus Parochus Ecclesiae Cathedralis extat.

Bina vice ad sex menses tantum Episcopi preces benigno favore exceptae fuerunt, imposito eidem onere ut interim alium idoneum ecclesiasticum virum in Vicarium Generalem eligere curaret. Quo tamen efBuxo tempore, iterum preces renovavit laudatus Antistes ut ad tempus indeterminatum propter nonnulla rationum momenta, inferius enucleanda, haec facultas eidem tribuenda foret.

Disceptatio synoptica.

EA QUAE GRATIAE CONCEDENDAE OPPONUNTUR. Ad hanc denegandam gratiam maxima oriri videtur difficultas tam ex eo quod Nicolaus S. laurea doctorali caret, quam ex eo quia et Dioecesanus est, et Parochi officio fungitur. Neminem enim latet Vicarium Generalem Doctoratus vel saltem licentiatus gradu insignitum esse debere, quemadmodum saepius a S. Congregatione Episcop. et Regul. decisum fuisse refert Nicolius in *Flosculis verb. Vicarius Generalis,* nec non *Monacell..* in suo *Formul, leg. pract. part. 2. tit. 16 formul.* 5 *num. 3* qui insuper docet quod si ad praedictam Congregationem habeatur recursus contra Episcopum non retinentem Vicarium iuris peritum, eadem solet Episcopo demandare ut retineat Vicarium

Generalem Doctorem. Et iure meritoque : Vicarius enim Generalis ad causas Ecclesiasticas pertractandas idoneus non foret nisi esset in iure peritus. Praesumptio autem nos edocet iuris scientiam in Doctore reperiri non autem in alia quacumque persona ut perbelle docet *Benedictus XIV. in Constit. Quam ex sublimi,* ***8*** *augusti* ***1733 § 4-*** *^or. tom.* ***2*** *lib. j cap.* ***43,*** *Schmalz, part.* ***4*** *tit.* ***28*** *n.* ***7,*** *Ferraris verb. Vic. Gener.* ***38.***

Ulterius, uti innui, perpendendum quod ipse Dioecesanus sit et Parochus. Scitum enim in iure est Dioecesanum eligi non posse in Vicarium Generalem, nam propter consanguinitates, affinitates, et alias attinentias posset deviare a recto tramite iustitiae vel certe se reddere partibus suspectum quemadmodum pluribus relatis decisionibus S. C. EE. et RR. praesertim in *Ostunen. diei* ***28*** *iulii* ***1687,*** *Spalaten.* ***9*** *martii* ***1693,*** *Sutrina* ***16*** *novembris* ***1640,*** **tenet** *Nicolius loc. cit.* **Maxime vero qui Parochi officio fungitur, et explorati iuris est Parochum ad hoc munus assumendum non esse: S. C. EE. et RR. in** *Senen.* ***20*** *martii* ***1576,*** *Oxomen.* ***4*** *augusti* ***1578,*** *Castellana, Iurisdictionis* **etc.** ***22*** *iunii* ***1708*** *ad* ***2*** *Dub.* **Quibus concinunt S. C. C. resolutiones in** *Nullius* ***12*** *maii* ***162c,*** *Arianen.* ***28*** *aprilis* ***1633*** *ad* ***3*** *Dub.*

EA QUAE GRATIAE CONCEDENDAE FAVENT. **Contra sed vero perpendendum est aliquando concessum fuisse a praedicta Congr. EE. et RR. Episcopis retinendi vicarium non doctorem, alias tamen idoneum, praesertim si Episcopus iurista sit ceu docent resolutiones in** *Trahu.* ***23*** *iunii* ***1594,*** **et in** *Oria.* ***29*** *martii* ***1593.*** **Hoc autem in casu actuali contingere testatur Antistes edicens: plurimi in tota Dioecesi estimari Vicarium generalem scientia, indolis suavitate, morum integritate ; ita ut unicus inter capitulares extet, qui ad tantum opus eligi possit.**

Minime obstante quod ipse sit Dioecesanus. Extante enim rationabili causa, solet a praefata Congregatione EE. et RR. super hac qualitate dispensatio elargiri dummodo absit occasio querelarum. Rationabiles autem inter causas ad hoc recenseri

fructuum tenuitatem probant resolutiones mox dictae Congregationis in *Sutrina* 7 *decembris 1640,* et in *Fundana 2c Septembris 164$.* Hanc autem concurrere in themate prosequitur Antistes, qui fatetur bona mensae Episcopalis a rapaci fisco adhuc detineri, et ideo sese nequire suis sumptibus alium extra Dioecesim doctorem arcessere.

Nec obstare videtur qualitas parochialis. Etenim ait Antistes: Paroecia haec, in civitate posita, non ultra quingentum numerat habitantes; neque servitio caret spirituali; dum Capellanis variique Canonici ultro excipiant sacramentales confessiones aliisque adsint sacris Ecclesiae functionibus. Age ex resolutione S. C. C. in *Ästen, n iulii 1626* docemur Sacram Congregationem haud improbare electionem parochi in Vicarium Generalem quando concurrat paucitas numeri parochiae incolarum, et vicinitas Ecclesiae parochialis cum Aedibus Episcopalibus.

Quibus omnibus perspectis, nec non attento quod alias consimilis facultas data fuit a S. Sede, videant EE. CC. quonam responso dimittendae sint preces Episcopi C.

RESOLUTIO. S. C. Concilii sub die 15 iunii 1878, causa perpensa, responsum dedit :

Pro gratia a die expirati indulti donec aliter Episcopus providere possit, facto verbo cum SSmo.

EX QUIBUS COLLIGES:

I. In Vicarium generalem ex Trid. *Sess. 24 cap. 16 de ref.* eligi debere illum *qui saltem in iure canonico sit Doctor vel licentiatus, vel alias quantum fieri poterit idoneus.*

II. Parochum curam animarum habentem haud eligi posse in Vicarium Generalem ; quia Vicarii Generalis et Parochi officia generaliter incompatibilia sunt in eadem persona collecta.

III. Neque Originarium eiusdem civitatis aut Dioecesis constitui posse in Vicarium generalem propter consanguinitates,

affinitates, et familiaritates, quibus a recta iustitia deviare posset, seseque partibus suspectum reddere.

IV. Proinde etsi in themate multa adessent adiuncta, et personae qualitates in Vicarium electae, opus tamen fuisse gratia dispensationis ; quae verum haud in perpetuum concessa fuit, sed ad tempus ; donec nempe Episcopus aliter providere queat.

EX S. CONGREGATIONE SS. RITUUM

DECRETUM.

LINGONEN. seu PARISIEN.

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Fr. Honorati a Parisiis sacerdotis professi Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum.

Quum die 17 aprilis superioris anni sa. me. Pius Papa IX benigne induisent ut de Fama Sanctitatis vitae, Virtutum et Miraculorum in genere Ven. Servi Dei Fr. Honorati a Parisiis praefati ageretur in Congregatione Sacrorum Rituum Ordinaria absque interventu et voto Consultorum, ad instantiam Rmi Patris Fr. Amadei ab Urbeveteri Sacerdotis Professi ac Postulatoris Generalis Causarum Beatificationis et Canonizationis Servorum Dei Ordinis Minorum Sancti Francisci Capuccinorum, Emus et Rmus Dominus Cardinalis Ioannis Baptista Pitra, loco et vice Emi et Rfñi Domini Cardinalis Caroli Sacconi Causae Ponentis, sequens Dubium discutiendum proposuit in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis hodierna die ad

Vaticanum habitis ; nimirum : *An constet de validitate et relevantia Processus Apostolica Auctoritate constructi super Fama sanctitatis vitae, Virtutum et Miraculorum in genere praedicti Ven. Servi Dei in casu et ad effectum de quo agitur f* **Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus mature perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Laurentio Salvati S. Fidei Promotore, rescribendum censuerunt:** *Affirmative.* **Die 13 aprilis T878.**

Quibus per subscriptum Secretarium fideliter relatis, Sanctissimo Domino nostro Leoni Papae XIII, Sanctitas Sua rescriptum Sacrae* Congregationis ratum habuit et confirmavit. Die 2 maii eiusdem anni.

Fr. TH. M. **Card.** MARTINELLI,
S. R. C. *Praefectus.*

L. © S.

Placidus Ralli, *Secretarius..*

LETTERA

DI SUA SANTITÀ PAPA LEONE XIII

Al Sig. Card. MONACO LA VALLETTA

VICARIO GENERALE DI ROMA.

Signor Cardinale,

In mezzo alle ragioni di letizia e di conforto che fino dai primordi del nostro Pontificato avemmo in gran numero, per le non dubbie significazioni di riverenza e di affetto che Ci giunsero da ogni parte del mondo, non Ci mancarono gravi amarezze per le condizioni generali della Chiesa sottoposta quasi da per tutto a fiera persecuzione, e per quello che vedevamo accadere nella stessa Città di Roma centro del cattolicismo e Sede augusta del Vicario di Cristo. Qui una stampa senza freno e giornali intesi del continuo a combattere col sofisma e col dileggio la fede, ad impugnare le sacre

(Versio)

LITTERAE

SANCTISSIMI D. N. LEONIS PAPAE XIII

Ad Emum Card. MONACO LA VALLETTA

VICARIUM GENERALEM ROMAE.

Tot inter solaminis atque laetitiae argumenta, quibus ab exordio Pontificatus nostri aucti sumus ex indubiis studii atque observantiae indiciis, quae prorsus ex omni mundi regione ad Nos pervenerunt; amaritudines haud defuerunt graves, ob generalia Ecclesiae adiuncta, quae ubique terrarum infando laborat odio, atque ob ea omnia, quae Romae oculis conspicimus nostris;ubi catholicismi centrum augustaque Christi Vicarii sedes reperitur. Hic plena scribendi licentia atque ephemerides fidem sophismate contemptuque insectantur, sacra Ecclesiae iura oppugnant, auctoritatemque immi-

ragioni della Chiesa e a menomarne l'autorità; qui tempi di Protestanti sorti coll'oro di società bibliche anche nelle vie più popolose, quasi ad insulto; qui scuole, asili ed ospizi aperti all'incauta gioventù coli'apparente filantropico intendimento di giovarla nella coltura della mente e ne' suoi materiali bisogni, ma col vero scopo di formarne una generazione nemica della Religione e della Chiesa di Cristo. E quasi tutto ciò fosse poco, per opera di coloro che per debito di ufficio son tenuti a promuovere i veri interessi della romana cittadinanza, fu testé decretato il bando del Catechismo cattolico delle Scuole Municipali. Provvedimento riprovevole, che viene a togliere anche quest'argine all'eresia e all'incredulità irrompente, e lascia aperta la via ad un nuovo genere di straniera invasione, tanto più funesto e pericoloso dell' antico, quanto più direttamente mira a rapire~dal cuore dei Romani il prezioso tesoro della fede e dei frutti che ne derivano. - Questo novello attentato alla Religione e pietà del Nostro popolo Ci riempie l'animo di un vivo e pungente rammarico e Ci costringe di scrivere a Lei, Sig. Cardinale, che fa le Nostre veci nello spirituale governo di Roma, la presente lettera sul doloroso argomento, per richiamarcene altamente in faccia a Dio e agli uomini.

E qui fin dal principio, in virtù del Nostro pastoral ministero, Ci è d'uopo tornare alla mente di ogni cattolico il dovere gravissimo che per legge naturale e divina gl'incombe d'istruire la sua

nuunt ; hic Protestantium templa Societatum Biblicarum sumptibus extructa etiam ubi numerosior adest populus, quasi ad illudendum ; hic adsunt scholae, asyla, hospitia incautae iuventuti reserata, eo consilio ut infensam Ecclesiae Christi atque Religionieffingant generationem ; dum publice autument, se velle mentis culturae consulere, atque iuventutis eiusdem utilitati prospicere. Omniaque haec, quasi satis non essent, opera illorum, qui bono civitatis sedulam navare operam tenentur, decreto nuperrimo e Municipii scholis, catholicus eiicitur catechismus. Decretum, vituperio dignum, haeresiae atque incredulitas debaccanti obicem subtrahit; viamque novo exterae invasionis generi sternit, eo infensius antiquo, quod magis directe fidei thesaurum fructusque eiusdem salubérrimos e Romanorum corde abripere conatur. Moerore gravi Nos angit novum in Religionem populique nostri pietatem ausum, suadetque de tristi themate litteras tibi dare, Eme Domine, qui nostras in spiritualibus Romae vices adimples, ut coram Deo et hominibus alte quaerimonias tollamus nostras. Et primum, nostri ministerii pastoralis gratia, opus est ut in cuiuslibet catholici mentem gravissimum revocemus onus, quod, tum divina cum naturali lege, eidem incumbit,

prole nelle soprannaturali verità della fede, e il debito che in una città cattolica stringe coloro che ne reggono le sorti, ad agevolarne e promuoverne l'adempimento. E mentre in nome della Religione alziamo la nostra voce a tutela de' suoi più sacri diritti; vogliamo altresì che si rilevi quanto questa improvvida deliberazione sia contraria al vero bene della stessa società.

Certamente non si saprebbe immaginare qual pretesto abbia potuto consigliare una tale misura, se non forse quella irragionevole e perniciosa indifferenza in fatto di religione, nella quale ora si vorrebbe che crescessero i popoli. Fino ad ora la ragione e lo stesso naturale buon senso insegnò agli uomini di mettere da parte e fuori di uso ciò che in pratica non avesse fatto buona prova, o per mutate condizioni fosse diventato inutile. Ma chi potrà affermare che l'insegnamento del Catechismo non abbia fatto fin qui buona prova? Non fu il religioso insegnamento che rinnovellò il mondo, che santificò e ringentilì in mezzo agli uomini le scambievoli relazioni, che fece più delicato il senso morale, ed educò quella coscienza cristiana, che reprime moralmente gli eccessi, riprova le ingiustizie, ed innalza i popoli fedeli sopra tutti gli altri? Si dirà forse che le condizioni sociali dell'età che corre lo hanno reso inutile e nocivo? Ma la salute e la prosperità dei popoli non ha sicura tutela fuori della verità e della giustizia, delle quali la presente società sente così vivo il bisogno, e alle quali il Catechismo cattolico conserva

prolem supernaturalis fidei veritatibus imbuendi; ac debitum quo in catholica civitate premuntur, ut rem faciliorem expeditioremque reddant, qui summa rerum potiuntur. Dum vero, Religionis nomine, voces attollimus nostras ad sacra eiusdem iura protuenda, volumus etiam tit cuilibet innotescat quantum societatis bono adversetur insanum eiusmodi consilium.

Equidem ratio fugit quae decretum suasit, ni illa sit irrationalis periculique plena, quoad religionem, indijferentia, qua id temporis populos enutriri praesumitur. Ratio sensusque naturalis homines usque adhuc posthabere edocuerant quidquid in praxi bonum haud praesetulerit, aut quod, mutatis rerum conditionibus, inutile factum fuisset. Quis at vero evincere poterit Catechismum haud maximum praesetulisse bonum ? Tribuendum nonne est religiosae institutioni si mundus renovatus est, si mutuae inter homines consuetudines humaniores effectae sint, si moralis sensus exquisitior evaserit, si conscientia religione exculta, excessus cohibet, iniustitiam respuit, fidelesque populos aliis anteponit? Forsan quis dicere audeat inutilem, aut noxium sociales conditiones aetatis nostrae catechismum reddisse? Verumtamen populorum saluti atque prospe-

pienamente intatti i loro sacri diritti. Per amore pertanto dei frutti preziosi, che già si raccolsero e giustamente si sperano da.quell'insegnamento, non che bandirlo dalle pubbliche scuole, vi si dovrebbe anzi promuovere a tutto potere.

E questo esige altresì la natura del fanciullo e la condizione tutta speciale, in cui viviamo. Non si può a nessun patto rinnovare sopra il fanciullo il giudizio di Salomone e dimezzarlo con un taglio irragionevole e crudele tra la sua intelligenza eia volontà: mentre si prende a coltivare la prima, fa d'uopo avviare la seconda al conseguimento degli abiti virtuosi e dell'ultimo fine. Chi nell'educazione trascura la volontà, concentrando tutti gli sforzi alla cultura della mente, giunge a fare dell'istruzione un'arma pericolosa in mano dei malvagi. È l'argomento della mente che si aggiunge al malvolere e sovente alla possa, contro cui non si può fare alcun riparo.

E la cosa apparisce così chiara, che la riconobbero, sebbene a prezzo di contradizione, quelli medesimi che vogliono escluso dalla scuola l'insegnamento religioso; i quali non limitano i loro sforzi alla sola intelligenza, ma li estendono anche alla volontà, facendo insegnare nelle scuole un'etica che chiamano *civile* e *naturale,* ed avviando la gioventù all'acquisto delle virtù sociali e cittadine. Ma oltre che una morale così fatta non può guidare l'uomo all'altissimo fine destinatogli dalla divina Bontà nella visione beatifica di Dio, neppure ha forza bastevole sull'animo del fanciullo per educarlo a

ritati numquam datum fuit tutelam reperire extra veritatem et iustitiam; quarum maxime praesens indiget societas, quibusque sarta tectaque iura sua Catechismus profitetur. Fructuum proinde iam perceptorum gratia, atque illorum quos futuros speramus ex hac religiosa institutione, nedum proiici sed enixis viribus provehenda eadem foret.

Idque iuvenum indoles temporisque adiuncta, in quo vivimus repetunt. Neque enim in puerum renovare licet Salomonis iudicium, eumdemque irrationabiliter ac inhumaniter in medium dividere quoad eius intelligentiam ac voluntatem ; eoquod dum prima excolitur, ad consequendos virtuosos habitus, ultimumque finem insectandum secunda dirigi debet. Ille qui totis viribus mentem excolil, posthabens voluntatem, id consequitur, ut instructio perniciosus fiat gladius apud improbos. Mentis est argumentum, quod malevolentiae atque potentiae saepe adiicilur, adversus quod nullum datur munimen.

Talique res splendore nitescit, ut pro vera, etsi contradictionis pretio, ab eisdem haberetur qui religionis documentum a scholis proiici cupiunt; dum ad intellectum solummodo conamina haud dirigant, sed ad voluntatem quoque, satagentes ut ethica, *quam* civilem

virtù e mantenerlo saldo nel bene, nè risponde ai veri e sentiti bisogni dell'uomo, il quale è animai religioso nel modo che è animale socievole, e nessun progresso di scienza può mai svellergli dall'animo le radici profondissime di religione e di fede. Perchè dunque non valersi del Catechismo cattolico per educare a virtù i cuori dei giovanetti, nel quale si rinviene il modo più perfetto e i semi più fecondi di una sana educazione?

L'insegnamento del Catechismo nobilita ed innanza l'uomo nel suo proprio concetto, conducendolo a rispettare in ogni tempo sè medesimo e gli altri. È grande sventura che molti di quelli, i quali sentenziano il Catechismo ad uscire dalle scuole, abbiano posto in dimenticanza, o non considerino quello che dal Catechismo appresero nell'età infantile. Altrimenti sarebbe loro assai facile l'intendere come l'insegnare al fanciullo, che egli uscì dalle mani di Dio, frutto dell'amore che Questi liberamente gli pose ; che tutto quanto si vede è ordinato per lui Re e Signore del creato; ch'egli è sì grande e tanto vale, che l'Eterno Figlio di Dio per riscattarlo non isdegnò di prendere la sua carne ; che del sangue dell'Uomo-Dio è bagnata la sua fronte nel battesimo; che delle carni dell'Agnello divino si alimenta la sua vita spirituale; che lo Spirito Santo dimorando in lui come in vivo suo tempio gli infonde vita e virtù affatto divina; è lo stesso che dargli impulsi efficacissimi a custodire la qualità gloriosa di figliuolo di Dio e ad onorarla col virtuoso contegno.

appellant atque naturalem, in scholis edoceatur, curantesque ut iuventus ad civilium et socialium virtutum acquisitionem dirigatur. Ast moralis eiusmodi philosophia nedum ad altiorem finem, Divina Bonitate constitutum in beatifica Dei visione, hominem ducere valet sed impar quoque evadit ad hoc ut infantis animus ad veram instituatur virtutem, et in recto constans tramite permanere queat ; neque hominis iusta implet desideria et studia, quoniam eodem tempore animal est religiosum atque sociale, nullusque scientiae progressus abripere ex penïtiori animo posset fidei religionisque radices. Cur ergo ad virtutem haud trahuntur iuvenum corda Catechismo catholico, in quo modus perfectior et rectae educationis germina abdita reperiuntur? Suam agnoscit homo dignitatem per fidei institutionem; quae efficit ut omni in aevo seipsum aliosque colat. Maximum vere est damnum quod ipsi qui Catechismum exilio plectunt, aut obliti sint, aut considerare renuant quidquid per Catechismum in pueritia didicerint. Aliter facili modo intelligerent quod infantem edocendo: illum e manibus Dei exiisse, ceu amoris fructum quo libere a Deo auctus est; omnia quae conspiciuntur pro Eo ordinata fuisse qui creationis Rex et Dominus dicitur ; illumque ita esse

Comprenderebbero altresì ch'è lecito di aspettarsi ogni gran cosa da un fanciullo, il quale nella scuola del Catechismo apprende di essere destinato ad un fine altissimo nella visione e nell'amore di Dio; che è fatto accorto a vegliare del continuo sopra sè stesso e confortato con ogni maniera di aiuti a sostenere la guerra che gli danno nemici implacabili; che viene addestrato ad essere docile e soggetto, imparando a venerare nei genitori l'immagine del Padre che sta nei cieli, e nel Principe l'autorità che **Viene** da Dio e da Dio prende la ragione di essere e la maestà; che è tratto a rispettare nei fratelli la divina somiglianza che brilla sopra la stessa sua **ffpnte,** ed a riconoscere sotto le misere apparenze del povero **il** medesimo Redentore, che è salvato per tempo dai dubbi e dalle incertezze, per beneficio del cattolico magistero, che i titoli di sua infallibilità ed* autenticità porta scolpiti nella sua divina origine, nel fatto prodigioso del suo stabilimento sulla terra, nella copia dei frutti dolcissimi e salutari che arreca. Finalmente intenderebbero che la morale cattolica, munita del timore del castigo e della certa spe^ ranza di altissimi premi, non **Corre** la sorte di quell'etica civile, che si vorrebbe sostituire alla religiosa; nè avrebbero mai pi eso la funesta risoluzione di privare la presente generazione di tanti e sì preziosi vantaggi, col bandire dalle scuole l'insegnamento del Catechismo.

nobilem et pretiosum, ut Aeternus Dei Filius ad eumdem redimendum haud despexerit Ultus assumere carnem; frontem suam in baptismate Hominis-Dei madefieri sanguine; vitam illius spiritualem Divini Agni carnibus ali; Spiritum Sanctum in eo morantem ceu in proprio Templo eidem infundere vitam virtuiemque prorsus divinam; idem èst ac ipsi validissima exhibere auxilia ut facilius tueatur, atque virtuoso vitae genere, gloriosam filii Dei qualitatem exornet. Intelligerent etiam omnia excellentior a sperari posse a puero, qui in Catechismi schola didicerit sese constitui in visione et amore Dei ad altissimum finem ; praemoneri ut incessanter in sui custodiam vigilet; confoveri auxiliis omnigenis ad bellum sibi paratum per infensissimos hostes; edoceri ad obedientiam et subiectionem, iam addiscendo sibi in parentibus colendam Patris coelestis esse imaginem, et in Principe auctoritatem quae a Deo originem, suam essentiam, et maiestatem ducit; trahi ad reverendum in fratribus divinam imaginem, quae sibimetipsi in frontem fulget, et ad prospiciendum sub pauperis specie ipsum Redemptorem ; praepediri a dubiis ope catholici magisterii, quod suae infallibilitatis atque authenticitatis tutelam praesefert in sua divina origine, in facto prodigioso, quo in terris constitutum fuit, et in salutarium fructuum copia, quos

E diciamo *bandire,* poiché il temperamento preso di apprestare l'istruzione religiosa solamente a quei fanciulli, pei quali i genitori ne faranno espressa domanda, è del tutto illusorio. Non si riesce infatti a capire come gli autori della malaugurata disposizione non non si siano avveduti della sinistra impressione, che deve fare sull'animo del fanciullo il vedere posto l'insegnamento religioso in condizioni così diverse dagli altri. Il fanciullo che per essere stimolato ad uno studio diligente ha bisogno di conoscere l'importanza e la necessità di ciò che gli viene insegnato, quale impegno potrà avere per un insegnamento, verso del quale l'autorità scolastica si mostra o fredda od ostile, tollerandolo a malincuore? E poi, se vi fossero (come non è difficile a trovarne) genitori che o per malvagità di animo, o molto più per ignoranza e negligenza, non pensassero a chiedere per i loro figli il benefizio dell'istruzione religiosa, resterebbe una gran parte di gioventù priva dei più salutari documenti, con estremo danno non pure di quelle anime innocenti, ma della stessa civil società. E stando le cose in tali estremi, non sarebbe un dovere di chi presiede alla scuola rimediare all'altrui malizia o trascuranza? Sperando vantaggi senza dubbio men rilevanti, si pensò testé di rendere obbligatoria per legge l'istruzione elementare, costringendo anche con multe i genitori ad inviare i loro figli alla scuola: ed ora come si potrebbe aver cuore di sottrarre ai giovani

affert. Tandem intelligerent catholicam moralem, quae punitionis timore, nec non certa spe electissimi praemii fulcitur, haud sortem sequi civilis ethicae; quam religiosae sufficere cuperent, neque unquam iniquum sequutus fuisse consilium, quo generatio praesens maximis expers fit utilitatibus, cum catholicus Catechismus e scholis eiectus fuit.

Èt iure verbo eiicere *usi sumus: quoniam prorsus ludificans fiat ratio inita religiosam exhibendi instructionem tantum pueris illis, quorum parentes id expresse petierint. Neque enim captu facile est, quomodo impii consilii auctores, haud pensitaverint quo malo afficeretur sensu puer, qui ratione ab aliis prorsus diversa religiosam instructionem agere prospiceret.*

Puer, cui omnino innotescere debent tum necessitas, tum utilitas studii alicuius, ut opportune ad illud excitetur, quonam pacto se habebit erga institutionem, pro qua auctoritas ipsa aut gelide aut hostiliter sese exhibet, quamque aegre patitur? Quod si aut animi improbitate, aut ignorantia, aut socordia adacti adfuerint parentes (quod difficile haud est) qui pro filiis religiosae non expoposcerint instructionis beneficium, saluberrimis documentis magna iuvenum pars careret, maximo cum discrimine nedum animarum innocen-

cattolici l'istruzione religiosa, che indubitatamente è la più salda guarentigia di sapiente e virtuoso indirizzo dato alla vita? Non è crudeltà pretendere che questi fanciulli crescano senza idee e sentimenti di religione, finché sopravvenuta la fervida adolescenza si trovino in faccia a lusinghiere e violenti passioni, disarmati, sprovveduti d'ogni freno, colla certezza di venire travolti nei lubrici sentieri del delitto? È una pena pel Nostro cuore paterno vedere le lagrimevoli conseguenze di quella sconsigliata deliberazione: e la Nostra pena s'inacerbisce, considerando che oggi sono più che mai forti e numerosi gli eccitamenti ad ogni sorta di vizi. Ella, Sig. Cardinale, che per l'alto suo ufficio di Nostro Vicario seguita da vicino lo svolgimento della guerra che nella nostra Roma si muove a Dio ed alla Chiesa, sa bene, senza che Noi ci tratteniamo a parlarne lungamente, tjuali e quanti siano i pericoli di pervertimento che incontra la gioventù: dottrine perniciose e sovversive di ogni ordine costituito, audaci e violenti propositi a danno e scredito d'ogni legittima autorità, finalmente l'immoralità che senza ritegno procede svelatamente per mille vie a contaminare gli occhi ed a corrompere i cuori.

tium illorum, verum etiam civilis Societatis ipsius. Reque ad extremum sic acta, nonne scholarum praesidibus onus incumberet sive improbitati sive alterius socordiae afferendi medelam?

Quum minoris quoque momenti expectarentur utilitates, lege instructio elementaris obligatoria reddita fuit, parentes mulctis adigendo ut filios ad scholas mitterent; quis nunc catholicae iuventuti religiosam eripere audebit instructionem; quae ad vitam probe degendam uti prudentior tutela sese exibet? Nonne crudele est exigere ut pueri eiusmodi, absque ulla religionis notione crescant, usque dum fervida processerit adolescentia, qua dimicare ipsi obstringantur violentas adversus illecebras, inermes, omni expertes fraeno ; ita ut per lubricas delicti semitas facile abducantur? Fera excruciatur sollicitudine paternum cor nostrum, quum lacrimabiles consilii istius perpendat exitus; graviorque noster fit dolor quum animo reputemus nunc validiores numerosioresque ad vitia omnigena adesse blanditias. Probe, Eme Domine, qui, ob excellens Vicarii nostri munus, propius in Deum atque in Ecclesiam conspicere valens bellum quod Romae fit, haud te latet, quin longius immoremur; quot qualiaque sint, quibus obviam it iuventus, perversionis discrimina. Doctrinae adsunt perniciosae adversus constitutum ordinem, violenta conamina in cuiuslibet legitimae auctoritatis damnum, effroenis immoralitas tandem, quae remoto velamine, per mille gradiendo semitas, corda oculosque inficit.

Quando questi e somiglianti assalti si danno alla fede ed al costume, ciascuno può farsi ragione quanto opportunamente siasi scelto il momento per cacciare dalle pubbliche scuole la religiosa educazione. Si vuole per avventura con queste disposizioni, invece di quel popolo Romano, che per la sua fede si celebrava in tutto il mondo fin dai tempi apostolici, ed era fino ai nostri giorni ammirato per l'interezza e la religiosa coltura de' suoi costumi, formare un popolo senza religione, dissoluto, e condurlo così a condizione di barbaro e di selvaggio? Ed in mezzo a questo popolo, con insigne slealtà pervertito, come potrebbe il Vicario di G. Cristo, il Maestro di tutti i fedeli, veder riverita la suprema sua autorità, tener con onore l'augusto suo Seggio, e attendere rispettato e tranquillo alle incombenze del suo Pontificai Ministero? Ecco, Sig. Cardinale, la condizione, che in parte Ci si è già fatta e che Ci si apparecchia nell'avvenire, se Iddio pietoso non vorrà porre un limite a questo incalzare di attentati, l'uno più riprovevole dell'altro.

Ma finché la Provvidenza per i suoi giudizi adorabili lascia che duri questa prova, se non è in nostro potere di mutare la condizione delle cose, è però debito Nostro di fare ogni sforzo per addolcirla

Cum fides moresque taliter impetantur, facili modo quivis suasum habebit, opportunissimum temporis momentum electum fuisse, ad profligandam e scholis religiosam educationem. Eiusmodi consiliis praesumitur forte populum effingere religione vacuum, dissolutum, ad vitam remeanlem barbaram atque silvestrem, loco populi Romani illius, qui ex Apostolorum tempore, fide inclaruit apud omnes Orbis terrarum incolas, quique nostris hisce temporibus integritate atque religiosa morum cultura efferebatur ? In medio vitam degens huius populi, fraude corrupti sollerti, quonam pacto Christi Vicarius, omnium populorum Magister, supremam revereri aspiceret auctoritatem suam, augustamque Sedem digne retinere valeret, aut sui Pontificali ministerii munere tranquille et cum honore fungi? Sic, Eme Domine, sese res habent in praesentiarum, talesque futuras praesentimus, ni Deus, in Sua pietate, hisce conaminibus sibi nefarie succedentibus, terminum ponat.

Attamen dum Dei Providentia, causis nobis imperviis, sinat nos ita probari; si rerum conditiones haud immutare licet, onere tamen premimur sedulam navandi operam ut hae minus graves reddantur, damnaque leviora fiant. Oportet hinc nedum curam velumque ingeminare Parochos quoad Cathechismi instructionem, sed vacuo, quod alterius astutia efficitur, mediis novis et efficacibus iam supplendum est. Certi sumus, etiam ista occasione, Clerum Romanum haud sacri ministerii oneribus defuturum ; quinimo

e perchè tornino meno sensibili i danni. Quindi è d'uopo, che non pure i Parrochi raddoppino di diligenza e di zelo nell'insegnamento del Catechismo, ma che si supplisca con nuovi ed efficaci mezzi al vuoto che si fece per colpa altrui. Non dubitiamo che il Clero di Roma neppur questa volta verrà meno ai sacri doveri del suo sacerdotal Ministero, e si adoprerà con le cure più affettuose a preservare la romana gioventù dai pericoli che minacciano la sua fede e la sua moralità. Siamo certi altresì che le Cattoliche associazioni, fiorenti in questa Citta con tanto profìtto della Religione, concorreranno con tutti i mezzi posti nelle loro mani alla santa impresa di impedire, che quest'alma Città, perdendo il carattere sacro ed augusto di religione e lo invidiato vanto di essere la città santa, addivenga vittima dell'errore e teatro d'incredulità. Ed ella, Sig. Cardinale, colla sagacia" e colla fermezza, onde va adorna, procuri che si accrescano gli oratori e le scuole, dove si raccolgano i giovanetti per essere istruiti intorno alla santissima Religione cattolica, nella quale per insigne grazia del cielo son nati. Cerchi, secondo che già si fa con buon frutto in qualche Chiesa, che virtuosi e caritatevoli Laici, sotto la vigilanza di uno o più Sacerdoti, prestino l'opera loro per insegnare il Catechismo ai fanciulli, e procuri che i genitori siano dai rispettivi parroci esortati ad inviarvi i loro figliuoli, e che sia loro ricordato anche il dovere, che a tutti incombe, di esigere nelle

operam daturum, curis paternis, ut a periculis quae illius fidem moresque minitantur; romanam semoveat iuventutem. Pro certo etiam habemus, societates catholicas, quae modo hac in civitate cum Religionis profectu florent, impigram collaturas operam, eo consilio ut prepediatur, quominus civitas haec, amittendo sacrum augustumque religionis characterem, nec non privilegium, quo Civitas Sancta appellatur, erroris victima centrumque incredulitatis evadat. Tuque, Eme Domine, qui prudens et tenax propositi vir es et censeris, cura ut oratoria et scholae augeantur ; ubi in unum collecti iuvenes instituantur quoad Sanctissimam Religionem Catholicam, in qua, singulari gratia Dei, nati sunt. Fac, iuxta consuetudinem in aliqua Ecclesia utiliter inolitam, ut virtuosi et benefici laici, unius aut plurium Sacerdotum ductu, iuvenes Catechismum edoceant; et ut parentes per Parochos ad mittendum inibi filios exorentur, dum iidem certiores fiant de onere, quod omnes, urget exigendi ut in scholis suorum filiorum religiosa adsit eruditio. Religiosae eiusmodi instructiones adultis etiam maximae erunt utilitatis; quatenus in locis habeantur, qui aptiores habiti fuerint ad hoc ut vivax apud eos maneat, quo a pueritia imbuti fuere, salutare documentnm. Nec unquam Sacerdotum et laicorum pietatem excitare desinas; efficiens

scuole pei propri figli l'istruzione religiosa. Gioveranno altresì i Catechismi agli adulti da stabilirsi nei luoghi, che si crederanno più acconci, affine di mantener sempre vivi negli animi i salutari ammaestramenti, che appresero sin da fanciulli. Non lasci giammai di rinfocolar la pietà e di avvivare sempre meglio l'impegno dei Sacerdoti e dei Laici ponendo loro sott'occhio l'importanza dell'opera, i meriti che si acquisteranno presso Iddio, presso Noi, e presso l'intiera società, e che i più operosi Ci studieremo di tenere nella dovuta considerazione.

Non ci sfugge da ultimo che a riuscire meglio nel nostro intendimento occorre anche il sussidio dei mezzi materiali, i quali non rispondono in proporzione dei bisogni. Ma se Noi costretti a vivere dell'obolo dei fedeli, posti essi stessi in grandi angustie per i tempi che corrono torbidi e luttuosi, non potremo largheggiare quanto vorrebbe il Nostro cuore, non lasceremo però di fare tutto quel più che Ci sarà consentito, per istornare il danno che dalla negletta educazione religiosa viene prima al fanciullo e poi alla stessa civile società.

Del resto a tutti i bisogni e sollecitudini Nostre è necessario mandare avanti l'invocazione del divino aiuto, senza del quale è vana ogni speranza di riuscimento felice. Ci rivolgiamo pertanto a Lei, signor Cardinale, raccomandandole caldamente che esorti il popolo romano ed innalzare a Dio Signor Nostro fervide preghiere, che in questa santa Città mantenga intera la luce della fede cattolica, che

ut prae oculis habeant operis magnitudinem, merita, quae erga Deum, et Nos, totamque Societatem sibi comparare possint; notumque eisdem sit Nos singulari existimatione prosequuturos laboriosiores.

Postremo haud Nos praeterit subsidiis materialibus, quae necessitatibus imparia sunt, opus esse, ut rectius impleri valeat incoeptum. Quod si Nos, dum ex obulo vivimus fidelium, qui etiam rerum penuria divexantur hisce luctuosis temporibus, quantum cor nostrum dictitet elargiri nequibimus; quidquid vero peragere nobis licebit, haud probe omittemus ad mala, quae, religiosa posthabita institutione, puerum societatemque manent, praecavenda.

Caeterum consiliis curisque nostris divini auxilii invocatio praemitti debet: quo deficiente, frustranea optati finis omnis fit spes. Quamobrem te, Eme Domine, alloquimur, exorantes ut populum romanum excites ad férvidas Deo preces fundendas, hunc in finem ut nempe integram catholicae fidei lucem Ille servare dignetur; quam obnubilare aut prorsus extinguere praesumunt haereticales septae, quae nunc in honore sunt, omnesque impietates insimul cospirantes ad hanc firmissimam evertendam petr api, cui, veluti scriptum legitur, portae inferi non praevalebunt. *Romanorum pietas erga Imma-*

pretenderebbero d'oscurare o spegnere affatto le sette ereticali accolte ad onore, e le empietà cospiranti insieme a rovesciare questa fermissima Pietra, contro la quale, siccome è scritto, le porte dell'inferno non prevarranno. - Nel cuore dei Romani è antica la devozione verso l'Immacolata Madre del Salvatore; ma adesso, incalzando sempre vieppiù il pericolo, ricorrano e più spesso e con ardore più intenso a Lei, che schiacciò il serpe e vinse tutte le eresie. - Nei giorni che riconducono la memoria solenne dei gloriosi Apostoli Pietro e Paolo, si prostrino riverenti nelle loro Basiliche, e li scongiurino ad intercedere presso Dio per la città che santificarono del proprio sangue, e che lasciarono depositaria delle loro ceneri,, quasi a pegno della loro incessante protezione. Facciamo dolce violenza di suppliche ai celesti Patroni di Roma, i quali o col sangue, o colle opere"del ministero apostolico, o coi santi esempi, rendettero più ferma nel cuore dei loro Padri la fede, che si vorrebbe strappare dal seno dei figli; e Dio si muoverà a pietà di noi, nè lascerà che sia fatta ludibrio di uomini malvagi la sua religione.

Intanto riceva, sig. Cardinale, l'Apostolica benedizione, che dall'intimo del cuore impartiamo a Lei, al Clero, ed a tutto il Nostro dilettissimo popolo.

Dal Vaticano, li 26 giugno 1878.

LEONE XIII.

culatam Salvatoris Genitricem antiqua est; ast nunc, quum propius adsit discrimen, saepius ferventioribusque precibus Eam invocent, quae serpentis caput omnesque haereses conlerefe valuit. Diebus autem quibus solemniter memoria Apostolorum Petri et Pauli celebratur, illorum Basilicas reverentes adeant; adprecantes ut intercedere dignentur apud Deum pro civitate quam proprio sanguine sanctificaret et in qua sacros reliquerunt cineres, quasi pignus perpetuae eorumdem protectionis. Coelestes Romae Patroni enixe per nos exorentur; qui aut sanguine, aut ministerii apostolici operibus, aut nobilibus exemplis firmiorem reddiderunt in cordibus patrum eam fidem, quae nunc e filiorum pectore abripi vult; et Deus in sua pietate erga nos, haud patietur suam Religionem, hominum scelestorum ludibrium fieri.

Excipe nunc, Eine *Domine, quam ex poenitiori cordis nostri, tibi, Clero populoque amantissimo impertimur, Apostolicam Benedictionem.*

Ex Aedibus Vaticanis die 26 iunii anni 1878.

LEO PP. XIII.

EX S. CONGREGATIONE GONGILII TRIDENTINI

DISPENSATIONIS MATRIMONII.

Die 28 iulii, 15 decembris 1877 et die 23 martii 1878.

Compendium facti. Duobus annis familiarem confoverat consuetudinem Michael 30 annos natus cum Aemilia prope quadrilustri. Conspicuum peculium ex paterna obveniens haereditate condecoraturum erat Aemiliae nuptias : facile perinde, ex consueta urbanitate, ad eiusdem manum obtinendam anhelavit Michael. Sed quae dotali fortuna erat abunde munita, haud pari praedita erat valetudine ; et trepidatio quaedam nervorum, qua iamdiu laborabat, suspicionem ingesserai, quod minus apta ad coniugalem statum esset evasura. Timor cessavit Periti iudicio, qui'putavit quod eiusmodi nervorum perturbatio ex ipso matrimonii usu serius, ocius evanesceret. Initis sponsalibus, sex menses praeterlapsi sunt antequam nuptiae celebrarentur. Dum parabantur quae ad novam familiem constituendam erant necessaria, curatum est ut Aemilia imperio institutricis subduceretur. Gallica quaedam foemina erat illa, nomine Sydonia, cui mater instituendam tradiderat Aemiliam. Institutrix, non minus religioso officio, quam infirma et debili illius physica constitutione abutens, adeo graviter in eiusdem animum invaluerat, ut naturalem ac ingenitam ipsam affectionem erga propriam genitricem propemodum obliterare in corde alumnae potuisset. Quod confectum est, quamquam id aegre ferre ostenderit Aemilia.

Post id, matrimonium solemni ritu celebratum fuit die II iulii 1874. Expletis epulis, iam Michael et Aemilia currum ferrei itineris conscenderant, inituri consuetam sponsorum peregrinationem. Attamen timida virgo, ut primum sese imperio

viri subactam conspexit, nova atque inopina commotione sese correptam ostendit, nullaque mora intercepta, maternam habitationem aestivam constitutam denuo petere impulit maritum. Rure materno per octo circiter dies, ut aiunt coniuges, vel usque ad finem dicti mensis, ut ait sponsae mater, commorati sunt; ac dein domum maritalem perrexerunt. Die vero 15 septembris Aemilia clam mariti domum reliquit, atque Vindobonam petiit cum Sydonia institutrice.

Fatentur coniuges ambo, hoc brevi vitae coniugalis tempore, matrimonium haud consummari potuisse propter Aemiliae obstinatissimam resistentiam. Continuo enim, retulit maritus ipse, plorabat Aemilia, nocte adveniente ; maluitque humi cubare, quam in lecto, ut maritum devitaret.

Aemiliae mater de eiusmodi rerum statu certior facta, filiae suadere sategit ut coniugalia obiret officia; quod egerunt, quamvis frustra, quidam Sacerdos idemque Aemiliae Tutor.

Paucos ab Aemiliae fuga post dies, vir Vindobonam ivit sperans sibi uxorem reconciliare posse; sed prorsus inutiles fuerunt conatus. Proinde, omni destitutus spe, supplicem libellum Episcopo obtulit postulans, ut facta omnia examinarentur, ac constito de rei veritate, postea dispensationem exposceret ab Apostolica Sede.

Quum confecisset Ordinarius, iuxta instructiones datas, canonicum processum, retulit Aemiliam corporali inspectioni sese subiicere noluisse.

Disceptatio synoptica.

MICHAELIS DEFENSOR. **Contendit ille demonstrare matrim monium haud consummatum fuisse; defectum corporalis inspectionis non obstare, quominus dispensatio concedatur; causas dispensationis adesse.**

Triplici ratione matrimonii inconsummatio probari debet; nempe per coniugum iuramentum, per septimae manus depositionem, et per corporis inspectionem. Triplicem eiusmodi

rationem haud esse *taxative* **sed** *demonstrative* **adhibendam; ita ut aliqua omissa, ad dispensationem procedatur, dummodo moralis adsit de inconsummatione certitudo. Confirmavit theoriam ex** *Cap. laudabilem § Si autem, de frigid, et malef. cap. fin.* **In casu adest coniugum iuramentum; dum maritus sub iuramenti religione deposuit: numquam se matrimonium consummavisse, quamvis pluries uxorem ad copulam carnis provocasset. Idem Aemilia, iurans, asseruit; quod nempe** *consummatio propter suam pertinacem repugnantiam in effectum nunquam deducta est.* **Plurimi esse existimandum illorum coniugum iuramentum propter eorumdem probitatem et honestatem.**

Adest in casu septimae manus depositio. Omnes enim hi testes qui, etsi de facto proprio testari nequeant, iurant, ut ait Glossa in *Cap. Laudabilem, quod credunt eos* **(coniuges)** *vera iurasse.*

Mater quoque Aemiliae, cui nota erant secreta familiae, iurgia et convicia veluti de facto deponit consummationem negans. Defuisse consummationem eruitur quoque ex factorum serie: Aemilia enim amorem somniabat idealem; tempore ritus matrimonialis continuo flevit, sola cum viro discedere recusavit; noctes transegit insomnes super scannis, ne a marito violaretur.

Nihil autem officere defectum corporalis inspectionis, quia est probatio *adminiculativa* **tantum ; et cum aliae adfuerint, eadem posthaberi potest ceu fallax. Subdit insuper eam adhiberi non solere nisi in contradictione coniugum, altero nempe negante, altero vero affirmante consummationem ; ast quum coniuges, cum septima manu, consummationem negant, inspectionem non esse necessariam tradit Coscius** *De separ. Tor. lib.* **s**, *cap.* **2**, *num. 136.* **Quapropter virginitatis experimentum non esse in casu adhibendum, quia uterque coniux de inconsummatione testatur. Variaque defensor adduxit exempla quibus S. C. C. nonobstante inspectionis defectu dispensationem indulsit.** [1]

[1] Inter alia exempla vide Vol. X pag. 376 et seqq. huius ephemeridis.

Aliquando expedit relaxare legis vinculum, ait Tridenti-* num *Sess. 23, cap. 18, de Ref.;* **quae doctrina aptari potest matrimonio rato et non consummato, a quo SSmus Pater ex causa etiam privatae utilitatis dispensare solet. In casu graves ad dispensationem obtinendam adesse causas liquidum est: qnarum prima est matrimonium hoc, suo privari praecipuo fine nempe prolis procreatione et individua vitae consuetudine ob irrationabilem Aemiliae obstinationem. Ad hunc finem consequendum uterque coniux ius habet ; cui fini Michael nuncium mittere nolit, et Aemilia individuam vitae consuetudinem obstinate recusat ; ergo ad pontificiam dispensationem recurrendum est.**

Alteram videt causam defensor in animorum aversionem; tertiam demum reperit in salute animarum. In themate causa eiusmodi urget tum ob Michaelis incontinentiam, tum ob periculum apostasiae, in qua timendum est ne infelix iuvenis quaerat suae calamitati remedium, cum degat iis in regionibus in quibus haereses debacchantur. [1]

MATRIMONII DEFENSOR. **Autumat hanc controversiam definiri non posse, quia mulier renuendo inspectioni corporali gravem ingerit suspicionem sui mali iuris ; Gelasius Papa** *in can. christianis caus. u, quaest, i < qui iudicium refugit apparet eum de iustitia dijfisum* **». In iure autem facile praesumitur coniuges contra matrimonium colludere ;** *cap. 3, de eo qui cognovit: « Fraternitati tuae respondemus quod propter eorum confessiones tantum, vel rumorem viciniae separari non debent, quum et quandoque nonnulli inter se contra matrimonium velint colludere; et ad confessionem incestus facile prosiliant, si sua iudicio crederetur per iudicium ecclesiae concurrendum. Rumor autem viciniae non adeo est iudicandus validus, quod nisi rationabiles et fide dignae probationes accedant, possint bene contra-*

[1] Aemilia ipsa, forsan ex animi levitate, aut ex improbo institutricis consilio, Michaeli suasit fidem deserere quatenus cuperet a se liberari. Multum intererat Institutricis, ut saltem a laioa potestate matrimonium dissolveretur, ut Aemiliae divitiis facilius uti posset.

cium matrimonium irritari ». **In quaestione hac legitimae probationis loco praesumptio iuris exurgit, matrimonium consummatum fuisse ; quum per novem hebdomadas cohabitaverint coniuges in eodem cubiculo, imo etiam in eodem lecto accubuerint.**

Hinc obfirmata consummationis matrimonii praesumptione, inutiliter quis immoraretur in discutiendis aliis causis. Ast data etiam non consummationis hypothesi, haud melior evadit nostrorum coniugum conditio; quia semper deficerent iustae ac rationabiles causae ad dispensationem implorandam. Etenim omnes istae causae a defensore Michaelis adductae ab una dependent refutatione debiti coniugalis. Quoad hanc causam etsi multa congessisset Aemilia de amore ideali, quem antea in matrimonio confovendum autumaverat, nec non de antipatia et de contemptu erga maritum deinceps concepto, nihilominus cum iurare fuisset coapta, omnia revocavit, et hanc unam causam refutationis debiti coniugalis patefecit *quia mihi est timor.* **Sed hunc timorem phantasticum et inanem, non aliud esse contendit matrimonii defensor, quam effectum insinuatio num callidae Institutricis, quae, ad propriam utilitatem, mentem et animum debilis puellae ab amore matris et mariti avertit, ipsa obtestante Aemilia.**

Ideo animadvertit matrimonii defensor, sub quadam fascinatione et morali maleficio opprimi puellam ; sed remedium facillimum forsan reperiri posset quatenus Episcopus aut Parochus suam venerandam vocem audire fecissent puellae. Ipsa enim emancipata a fascinatione perversae institutricis, redderetur matris mari tique amori, restitueretur tranquillitas et concordia in eorumdem familia, ac demum religio et dignitas sacramenti matrimonii servaretur incolumis.

Quibus aliisque praenotatis encdandum suppositum fuit.

Dubium.

An sit consulendum SSmo pro dispensatione matrimonii rati et non consummati in casu f

RESOLUTIO. **Sacra Congregatio Concilii lite discussa, sub die 28 iulii 1877 responsum dedit;**

Dilata et ad mentem.

Quae mens S. Congregationis patefacta fuit Archiepiscopo et Episcopo ; ut nimirum una cum Michaele satagerent pro reconciliandi coniugum animis, atque pro removenda Institutrice ab Aemilia, adhibitis legitimis ac opportunis mediis.

Postea Episcopus retulit, quod praeter ante relata - *nihil ultra iam mihi referendum restat, quam virum spe posteritatis frustratum ab uxore sua in dies magis abalienari.* **Archiepiscopus vero tradidit «** *Ambae praefatae mulieres* **(Aemilia atque Institutrix)** *in intima ut videtur cointelligentia Viennae degunt, nec medium habetur, quo ab invicem separari queant, cum publice devitent quaecumque inhonesti speciem praeseferant, ac proinde absque omni effectu brachium saeculare in eum finem imploraretur ».*

Hisce habitis relationibus iterum, de more, causa reproposita fuit sub hac dubitandi formula :

An sit consulendum SSmo. pro disfensatioue matrimonii rati et non consummati in casu.

Cui dubio S. C. Concilii sub die 15 decembris 1877 respondit :

Affirmative.

Precibus matrimonii Vindicis nova dicendi venia concessa fuit. Proinde hic novum aggressus est thema ostendens, nullam S. Congregationis mandatis in Comitiis 28 iulii 1877 ᵉᵘ " citis, datam fuisse executionem ; ac ideo controversiam adhuc perdurare in statu quo erat ante praecitata Comitia. Et quoniam iam ex eo tempore exploratum fuerat exulare legitimas

dispensationis causas, hinc nullam concedendam esse dispensationem conclusit, nisi debitae executioni relatae praescriptiones committantur. Animadvertit prae primis, non odio aut mentium perversitate animos coniugum fuisse dissociâtes. Nec pravi ingenii fuisse mulierem ut ab eiusdem societate debeat abhorrere maritus ; honestam praedicant testes omnes. Et nil aliud in ea est quam debilitas mentis ; qua institutrix abusa est ad eamdem alliciendam, sibique malis artibus devinciendam.

Hinc manet ut serio aliquid geratur ad effectum reconciliandi animos. Attamen quoniam frustra verbis et studiis Praesules usi fuerant ad animos reconciliandos, eo validius conferre debuerat Michael suam operam. A legibus civilibus eidem expeditum subest remedium vel ut in propriam domum reduceret uxorem, vel ut sin minus in loco tuto et procul ab istitutrice collocaret. Idque praescribit codex civilis austriacus ; atque adeo lex illa societatis coniugalis conservandae tenax est, ut nec de mutuo coniugum consensu, eosdem absque tribunalis licentia dissociari permittat. Hinc posset Michael consequi ut ad tutelam coniugalis honoris Aemilia in loco tuto collocetur. Hanc autem tutam collocationem inculcant SS. Canones, *cap.* **5,** *can. 32, qu.* ***i.*** **«** *Si quidem maritus sine dolo aliquo forte accipere* **(adulteram)** *noluerit in alium quemdam locum, in quo ei non liceat male vivere, provida eam dispensatione constituas ».*

Quod si Michael debito iustitiae haud gravatur, debito tamen charitatis certo oneratur. Verumtamen nec debito obedientiae erga S. Congregationem, nec debito charitatis satisfecit Michael, cum nullam praestitisset cooperationem ad hoc ut eius uxor emanciparetur ab institutrice. Et ideo censendus est aliquid commisisse in sacramentum ob eiusmodi ommissionem *qui non facit quod facere debet, videtur facere adversus ea quae non facit, I. 1 2 1 ff. de reg. iur.*

Ergo cum in Michaelis potestate positum sit adimplendi officia tum a S. Congregatione, tum a charitate eidem impo-

sita; sequitur quod usque dum satisfaciendo huic debito haud ipse incumbit, nullatenus excipi debeat dispensationis petitio.

Hinc propositum de more fuit enodandum

Dubium

An sit standum vel recedendum ad decisis in casu.

Cui dubio S. C. C. iterum re discussa, responsum praebuit, sub die 23 martii 1878;

In decisis.*

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. In themate moralem certitudinem de inconsummatione matrimonii adfuisse ex probationum complexu: nempe ex depositione coniugum, quos probos quilibet existimat, et ex septimae manus testimonio ; neque dispensationis causas defuisse.

II. Periculum apostasiae} atque incontinentiae, ex parte alicuius vel amborum coniugum, animorum dissociationem, absque reconciliationis spe, validum exhibiré causam ad matrimonii rati et non consummati dispensationem concedendam.

III. Apostolicam Sedem aliquando solere visitationem et corporis mulieris inspectionem in processu canonico remittere, si aliunde moralis certitudo de inconsummatione exurgat: ut puta quando uterque coniux concorditer consummationem negat, una cum iuramento septimae manus consanguineorum, aliisque concurrentibus adminiculis, argumentis et suppletivis probationibus.

IV. Ad excludendam matrimonii consummationem, moralem sufficere certitudinem ; nec requiri taxative integram probationis formam a iure praescriptam, sed *demonstrative ;* **ita ut ad dispensationem procedatur etiamsi aliquid omissum fuerit, dummodo moraliter de inconsummatione constet.**

V. Requiri nempe illam moralem certitudinem, quae virum prudentem, attentis circumstantiis, certum redderet de inconsummatione ; ad quam adstruendam sufficit coniugum confessio *septimae manus* **iuramento firmata.**

VI. Neminem in dubio revocare R. Pontificem de *Ordinaria* **potestate a matrimonio rato et non consummato dispensare posse, quoties iusta atque rationabilis adfuerit causa dispensationem suadens: quia suprema lex in dispensationibus concedendis animarum salus semper censetur, et est.**

CONCURSUS.

Die 26 ianuarii 1878.

Compendium facti. Vacantem Ecclesiam Archipresbyteralem S. Nicolai in Archidioecesi *B. . . .* **Archiepiscopus oeconomi curati titulo gubernandam commisit sacerdoti Ioanni** *C. . . .* **qui alias, modo ut oeconomus, modo ut vicarius, laudabili zelo eamdem pluries rexerat. Dein per edictales literas indixit concursum, ac monuit ut qui specimen subire vellent, intra tempus in edicto praefinitum, nomen et cognomen una cum requisitorum attestationibus in Cancellaria archiepiscopali exhiberent.**

Duo tantum concurrentes habiti sunt, praefatus Ioannes qui meritorum requisita tempore utili exhibuit, et sacerdos Coelestinus *A*_____, **qui nullum attulit requisitum. Statuta die, facto periculo, et concurrentium scriptis ad trutinam revocatis, Examinatores, approbato Coelestino, reprobarunt Ioannem.**

Ab Examinatorum relatione, utpote mala atque aliena ab apostolicis constitutionibus, Ioannes appellavit ad S. Congregationem Concilii postulans, ut acta concursus a curia Archiepiscopali avocata novo examini subiicierentur. Appellationis

libellus, prouti solet, ordinario remissus fuit *pro informatione et voto.*

Interea temporis anonymus recursus a fidelibus illius paroeciae S. Congregationi transmissus fuit contra mores et vitae rationem sacerdotis Coelestini exorando ut informationes a personis non suspectis susciperentur. Dum hic libellus a S. Congregatione serio perpendebatur literae Ordinarii pervenerunt, quibus facti historia narrata, quaerebatur *an attenta appellatione, ad canonicam institutiofiem approbati posset procedi.*

S. Ordo iussit transmitti acta concursus; quo vero ad institutionem-dandam reposuit standum esse « Constitutioni « s. m. Benedicti XIV, *Cum illud semper 14 decembris 1742* **« nisi praememoratae institutioni » obstaret praefatus libellus super quo pariter votum ordinarii exquirebat.**

Ordinarius acta concursus transmisit. Quoad ea quae exponebantur in anonymo libello retulit se a probis viris notitias suscepisse, ac omnes, uno tantum excepto, retulisse ea quae contra Coelestinum afferebantur haud niti veritati. Tamen concludebat suas litteras scribens: « Addere vero debeo quod « si haec omnia ante concursum scivissem, eumdem ad con« cursum non admisissem >.

Rebus sic stantibus decretum fuit causam proponi in plenariis S. Congregationis comitiis, ac partes monitae fuerunt, ut deducerent, quatenus vellent, sua iura coram eadem Sacra Congregatione. Hisce absolutis, ad concordationem dubii deventum est. Sed cum defensores a partibus adlecti in dubiis concinnandis haud convenerint, ea quae in calce huius disceptationis leguntur ex officio proposita fuere,[1] **relicta de more defensoribus facultate disputandi super dubiis in die positionis causae.**

[1] Cum defensores a partibus electi condicta die conveniant coram Auditore R. P. D. Secretarii S. Congr. Concilii ut dubium proponendum concorditer concinnent, quandoque accidit ut unus unum, alter alterum velit dubium. Tunc D. Auditor dubium concinnat quod conscribitur ad calcem folii ex officio exarati, relicta facultate defensoris disputandi super dubiis ab ipsi propositis.

Disceptatio synoptica.

DEFENSIO COELESTINI. **Huius Defensor contendebat:**

1. Concursum validum fuisse.

2. Paroeciam suo clienti esse adiudicandam.

Validitatem concursus sustinebat tum ab *extrinseco,* **tum ab** *intrinseco.* **Ab** *extrinseco* **observabat ad tramites legis tridentinae et apostolicarum Constitutionum indictum et peractum fuisse; promulgata enim fuerunt edicta; diligens instituta fuit inquisitio super aetate, moribus ceterisque concurrentium requisitis ; et, condicta die, periculum factum fuit coram Vicario Generali et tribus examinatoribus pro-synodalibus. Hi vero, omnibus mature perpensis, tum quoad scientiam, tum quoad mores, tum demum quoad ceteras qualitates, sacerdotem Coelestinum idoneum renunciarunt, Ioannem vero reprobarunt.**

Validitatem concursus ab *intrinseco,* **sustinebat praesertim ex doctrina et scientia, quibus suo aemulo praestat Coelestinus; quod ostendere satagebat ex responsis a suo cliente datis quaestionibus quae propositae fuerant; ac praesertim ex auctoritate cuiusdam censoris Academiae Theologicae Urbis; qui in quodam voto extraiudiciali asseruit, responsa Ioannis multo esse inferiora, quippe quae haud paucos continerent errores: inter quos recensebat propositionem in qua scripsit, graviter peccare, qui licet sit necessitate compulsus, a publico usurario mutuam suscipit pecuniam. Insuper advertebat inter acta concursus Ioannis conciunculam deficere. Ex his concludebat defensor etiam ab intrinseco validum habendum esse concursum.**

Hac posita validitate, rem pressius urgens parochiam Coelestino adiudicandam esse sustinebat, eo quod in concursu initur veluti contractus inter concurrentem et Episcopum, vi cuius qui, praeviis investigationibus super doctrina et aliis requisitis, idoneus et dignus renuntiatur, ius aquirit ad bene-

ficium assequendum, quo spoliari non potest nisi ob probatum crimen *S. Rota, decis, ioi, p. 23 cor. Tanario.* **Hinc cum Coelestinus nullo crimine reus existat, quaesito iure expoliari non posse dicebat.**

Et revera ipse spoliandus esset, vel quia defecit in scientia, vel quia cetera requisita minime possidet. Ad primum quod attinet praeter iudicium examinatorum, habetur votum memorati censoris Academiae Theologicae. Quoad alterum Curia testata est quod — *nihil contra praedictum Sacerdotem repertum fuit;* **- insuper varia Ecclesiae officia praestitit et a suscepto sacerdotio, iuxta testimonium cuiusdam Vicarii foranei,** *semper fuit aedificationis.* **Hinc flocci faciendum dicebat anonymum libellum utpote expiscatum, cum post examinatorum iudicium fuerit exaratus. Secus non removerentur partium contentiones, nec satis consultum esset famae et aestimationi Episcopi, cuius iudicium esset revocandum, vel quia indoctos vel quia perversos admisit ad concursum. Quin imo si audiantur anonymi libelli, ita ut examinatorum iudicium convellere possint, de concursibus actum esse, subdebat defensor, quia nemo prudens huiusmodi pericula amplius subire vellet, si fraudibus et calumniis pateret aditus. Ex his omnibus concludebat paroeciam conferendam esse sacerdoti Coelestino, tum ob scientiam, tum ob qualitates quibus exornatum**

DEFENSIO IOANNIS. - **Ex altera parte Ioannis defensor còntradicebat contendens Examinatorum relationem nullo modo posse substineri et concursum esse nullum ob formae defectum, quod si validitas admitteretur, parochiam Ioanni esset adiudicanda.**

Disserebat Orator nonnulla a iure pro forma substantiali concursus praescripta fuisse quae si omittantur nullitatem secumferunt. Iam vero in Uteris encyclicis S. Congregationis Concilii iussu Clementis XI anno 1.721 editis praescriptum est ut ad iudicem *appellationis mittantur, vel acta ipsa originalia concursus clausa et ob signata, vel certe unum aliquod*

authenticum eorum exemplum a Cancellario concursus, atque altero notario collatum, et auscultatum coram Vicario vel alio in Ecclesiastica dignitate constituto, quem eligat Ordinarius. **Cautum praeterea est -** *ut unumquodque responsum, et unusquisque sermo, cum ab unoquoque concurrentium exhibebitur, non solum ab eo qui scripsit, atque a Cancellario concursus, verum etiam ab examinatoribus et ab Ordinario vel eius Vicario, qui concursui interfuerint, subscribatur.* **- Huiusmodi forma in casu prorsus omissa fuit; siquidem exemplum actorum ad S. Congregationem transmissum, a nemine collatum fuit, neque unumquodque responsum, neque unusquisque sermo, excepto ultimo, subscriptus fuit; hinc concludebat Orator de nullitate concursus ambigi nullo modo posse.**

Neque dubitari posse subdebat, quominus ea pro forma substantiali fuerint inducta, nam Reclusius - *De concursibus Tit. Secund., quaest, i, n. 89* **- haec scribit -** *Pro forma ... substantiali habenda sunt, quae a S. Congregatione Concilii iussu Clementis XI in citatis Uteris et a Benedicto XIV illas confirmante, meliusque explanante in sua Constit.* **- Cum illud semper —** *fuerunt praescripta, quaeque in Tridentino decreto •et Piana Constitutione desiderantur. -* **Haec omnia confirmare satagebat ex resolutione S. Congregationis Concilii in una** *Earinen. Concursus, 2 septembris 1738,* **in qua nullitas concursus ex eo arguebatur, quod unumquodque responsum, vel unusquisque sermo, subscriptus minime esset, iuxta literas anni 1721 et Constitutionem Benedicti** XIV, **ac proposito dubio :**

An constet de nullitate co?icursus in casu.

Responsum fuit :

Affirmative.

Alteram nullitatis causam reperiebat Orator in eo, quod examinatores solius doctrinae rationem habuerint. Hoc manifestum esse de sacerdote Coelestino, cum Cancellarius id aperte fateatur ; quoad Ioannem certum esse aiebat, quia secus eidem praeferri Coelestinus non poterat. Praeterea id erui

dicebat tam ex actis concursus, quam ex praxi Curiae. Pro posita enim coram eadem S. Congregatione Concilii alia causa eiusdem Dioecesis anno 1875. Ordinarius referebat in illa Dioecesi existere consuetudinem non expendendi concurrentium qualitates et merita, nisi prius ob doctrinae et scientiae meritum approbationem retulissent. Quibus positis, certum exploratumque esse dicebat examinatores qualitates ac merita concurrentium haud investigasse, sed intra solos doctrinae ac literaturae limites sese continuisse.

Hanc vero methodum nullitatem secumferre subdebat, quia ex dispositione Concilii Tridentini atque Constitutionis Benedicti XIV, scientiam et qualitates et merita arcto foedere sociari debent. Audi Reclusium, *Op. cit., p. i, Tit.* **5,** *n. 16 et seq.* **- ibi - « Mala pariter erit examinatorum relatio, quo-**
« tiescumque intra doctrinae limites sese continuerint, de mori-
« bus autem, aliisque ad animarum regimen opportunis qua-
« litatibus minime investigaverint : Conc. Trident., Sess. 24,
« cap. 18 ubi sic legitur - Peracto deinde examine renun-
« cientur, quotcumque ab his idonei iudicati fuerint aetate,
« moribus, doctrina, prudentia et aliis rebus ad vacantem
« Ecclesiam gubernandam opportunis : tum Pius V in Const.
« I?i conferendis ; **atque Bened. XIV in Const.** *Cum illud,*
« § Moerentes **et alii. In hoc Doctores uno ore conveniunt ac**
«signanter Massobr. *in prax. haben. Cancel., req. 4, dtib. i,*
« n. i. **- Conrad.,** *In praxi benef., lib. 3, cap. 2, sub. n. 23,*
« ac S. Congregatio Concilii in *Monopolitana Concursus 28 apri-*
«. lis 1759, \-Disputat.; in Salernitana seu Caputaquen. Paro-
« chialis g februarii 1760, **§** *Examinatores ; in Melevitana*
« Parochialis 14 aprilis 1764, **§** *respondet, et in Aquitanen.*
« Parochialis **/p** *ianuarii 1865,* **§** *Synodus.* **Atque Rotale**
« Auditorium in *Caslanen. Parochialis 18 martii 1751, § 3*
« et 8 cor. Migazzi **confirmata** *coram eodem 28 iunii d. anni*
(< § S- ~ ^ta ut **huiusmodi mala examinatorum relatio ob non**
« servatam praescriptam ordinatamque formam afferat insa-
« nabilem concursus nullitatem ex citatis auctoritatibus ac

**« praesertim in causa S. Congregationis Concilii 28 augu-
« sti 1745 proposita in** *Policastren., § Altero-».*

Demum veluti malam incusabat Orator examinatorum relationem ex eo quod indignum approbaverint atque incapacem ; indignitatem vero Coelestini probari contendebat, tum ex anonymo recursu, tum ex informatione Archiepiscopi quoad Coelestinum scribentis - *Addere vero debeo quod si haec omnia scivissem, eumdem ad concursum non admisissem.* **- Quapropter concludebat de nullitate concursus ac de mala examinatorum relatione in casu dubitari minime posse.**

Verum, posita etiam concursus validitate contendebat, non Coelestinum sed Ioannem approbationem mereri. Hoc ut ostenderet, animadvertebat, responsiones ad casus propositos adeo miseras ac debiles esse, ut ambo concurrentes vel parum vel nullimode versatos esse in theologia morali, facile appareret. Quod auctoritate duorum theologorum confirmabat. Dato tamen et non concesso Coelestinum aliquantulum superare Ioannem scientia, illud certum retinendum esse subdebat, hunc requisitorum praestantia alterum longe antecellere.

Sane Ioannem dicebat esse provectioris aetatis, iam a pluribus annis approbatum, praevio examine, ad confessiones utriusque sexus excipiendas, directorem apostolatus orationis extitisse, propriis expensis publicam capellani reaedificasse, ac pluries et per plures annos coadiutorem in cura animarum fuisse, nec non oeconomi munus cum plena Ordinarii satisfactione obiisse; ideoque non solum esse approbandum, sed magis idoneum altero esse iudicandum. Haec omnia pariter Theologorum ut supra, attestatione firmabat.

Iamvero si huiusmodi requisita, pergebat Orator arcto foedere ceu Concilium Tridentinum et Benedictus XIV iubent, consociata fuissent, Ioannes eumdem ac Coelestinus, ni forte maiorem approbationis gradum consequi meruisset. Cum igitur, iustitia duce, inter approbatos Ioannes esset recensendus, illud solum inquirendum subiungebat, cuinam parochialis esset adiudicanda.

Qua in disquisitione paulum insudandum esse dicebat; nam Tridentina Synodus in proemio decreti *de Reform., Sess. 14,* **monet Episcopos, ut clerici et praesertim illi quibus animarum cura et regimen concreditur, morum honestate praefulgeant, nam** *si eos pravis et corruptis moribus esse permittant, quo pacto laicos de ipsorum vitiis redarguent; qui uno ab eis sermone convinci possunt,* **quod clericos ipsis** *patiantur esse deteriores? Qua etiam libertate laicos corripere* **pote7***'unt Sacerdotes cum tacite sibi ipsi respondeant, eadem se admisisse quae corripiunt?* **Hinc scribere Reclusium op. cit.,/. /,** *t. i, n. 25-* **ibi -** *Ad animarum ergo curam assequendam indignus omnino erit, qui scandalo futurus est populo. Non enim valeo concipere quomodo iste populum exemplo aedificare possit atque libere ea vita reprehendere quibus ipse coinquinatis.*

Hisce positis, nullum dubium esse posse, inquiebat defensor, quominus parochialis Ioanni adiudicaretur. Hic enim ab unguiculis insignia pietatis et honestatis ab suis institutoribus retulit testimonia. Rector Seminarii de optima eius vitae ratione quo tempore ibi est conversatus, testatur. Ad sacerdotium evectus nihil pristini moris remisit, imo auxit atque Curia munia gravissima, et arduum animarum regimen calamitosissimis hisce temporibus eidem commisit, suum zelum, pietatem ac prudentiam maxime commendans. Atque huiusmodi qualitates adeo in eo effulsisse, ut quidam Syndicus, cum Coelestino consanguinitate coniunctus, debita laudis testimonia haud denegare potuerit,

Atque eo. vel magis parochiani deberi suo clienti urgebat defensor, si ad vitam et mores alterius concurrentis mens converteretur, anonymum libellum ad S. Congregationem missum vel obiter legendo. Neque opponi posse falsa continere, nam, omisso quod recurrentes urgent, ut informationes a probatis viris excipiantur ipse Archipraesul scripsit: *si haec omnia ante concursum scivissem, eumdem ad concursum non admisissem.*

Praeferendum quoque Ioannem substinebat ex eo quod usu et scientia rerum quibus praeditum esse convenit recto-

rem animarum longe praestat, cum pluries eiusmodi onus cum laude sustinuerit, et ad mentem clarissimi Pitonii *Discept. Eccles. 108, n. 17* « in hac materia si magis idoneus est ille « qui maiorem habet aptitudinem ad curam exercendam ; certe « dubitandum non est aptiorem et digniorem esse Antonium, « qui in actu pratico curam exercuit comparative ad opposi- « torem, qui nihil aliud habet, quam miserabilem et valde « curtam theoricam ostensam in examinibus et posponendam < praxi et experientiae tamquam securiori, etc. Fortius autem « quia servitium ipsum praestitutum in controversa parochiali « per plures annos indubitatam de iure praelationem meretur « ita ut in concursu aliorum semper praeferri debeat, qui in « servitio Ecclesiae consumpsit operam et laborem iuxta *test. « Nullus invitis, Dist. 61 ».*

Demum Ioannem praeterendum esse concludebat Orator, quia eum populus maximopere diligebat, colebat atque parochum cupiebat, cum in seligendis animarum pastoribus illi sint praeferendi, qui populi affectione potiuntur. Ita post *Canon. Nec emeriitis, Dist. 61.* Pitonius, 1. c, n. 24 et seq.

Hisce ab utraque parte disputatis, proposita fuere sequentia

Dubia.

I. *An constet de mala relatione Examinatoram in casu.*

Et quatenus affirmative.

II. *An et cui parochialis Ecclesia adiudicanda sit in casu.*

RESOLUTIO. Sacra Concilii Congregatio discussa causa die 26 ianuarii 1878 ad primum et secundum dubium respondit: *Indicatur novus concursus.*

CONCURSUS.[1]

Die 4 man 1878.

Compendium facti. Vacante praebenda poenitentiaria Ecclesiae Cathedralis *NN* ab Ordinario indictus fuit concursus ad tramites sacrorum canonum. Duo tantum sacerdotes periculo subeundo sese obtulerunt, qui, exhibitis requisitis, statuta die, novem quaestiones a quatuor examinatoribus propositas enodandas curarunt. Insequenti die examinatores coram Ordinario concurrentium scriptis expensis ambos reprobarunt.

Heic duo animadvertenda :

**1. Examinatores inter se statuisse, « illum, e concurren-
« tibus maximum approbationis et idoneitatis gradum fore
« assecuturum qui triginta sex meritorum puncta reportaret;
« illum vero esse reiiciendum et penitus reprobandum, qui
« ne puncta quidem decem et octo cum quadrante attin-
ge geret >.**

2. Consuetudinem vigere in illa Curia perpendendi requisita concurrentium, tunc tantum cum quoad scientiam approbati sunt.

Quapropter in casu ambo fuerunt concurrentes reiecti, quia unus novem, alter quatuordecim puncta cum dimidio retulit circa scientiam.

Primus acquievit : secundus vero aegre ferens examinatorum iudicium, ab eorum relatione, tamquam mala appellavit ad S. Congregationem Concilii, petens tum concursus revisionem, tum ut ratio haberetur requisitorum quae ipse exhi-

[1] Has duas causas veluti in unum coniungere opportunum duximus, quia licet una de parochiali, altera de poenitentiaria agat praebenda, tamen eamdem fere speciem praeseferunt, eamdem appellationis rationem habent, eidemque innituntur principio ac proinde ad easdem porriguntur conclusiones.

buerat; ac si, omnibus coniunctim perpensis, approbationem mereretur, praebendae concessionem postulabat.

Ordinarius rogatus de more pro informatione et voto, quoad omissum requisitorum examen rationabilem appellationem iudicabat, tamen addebat: « cum ex uno latere con- « suetudo seu praxis de qua supra, centenariam excedat, cum « ex alio iuxta Tridentinum et Constitutionem citatam (sci- « licet Const. *Cum illud* **s. m. Benedictus XIV) iudicium exa- « minatorum videtur esse debere coniunctivum et cumulatim « vum, nempe circa doctrinam et qualitates simul ... acta « concursus una cum elencho requisitorum transmitto ».**

Post haec habito voto unius ex consultoribus S. Congregationis, rescriptum fuit: *Morem examinatorum in decernenda concurrentium habilitate, prout proponitur non sustineri; ideoque in casu de quo agitur, ineundum esse ab examinatoribus novam relationem, coniunctim expensis reliquis omnibus* ***requie*** *situ una cum doctrinae ornamentis.* **Huiusmodi resolutio nova non erat, sed referebatur ad aliam diei** *26 augusti 1854* **in una** *Lucana - Concursus* **- in qua responsum fuerat:** *Examinatores Pro-Synodales adhibiti in concursu referant etiam super ceteris qualitatibus Sacerdotis Ceselli ad formam Constitutionis Benedicti XIV* **Cum illud.**

Examinatoribus praefatum decretum minime arrisit, atque iterum suffragium ferre non posse putarunt, tum quia ipsi secuti fuerant praxim Curiae, tum quia ipsis, qui iuxta conscientiae atque iustitiae dictamina iudicium tulerant, sententiam mutare haud licebat. Tunc editum fuit rescriptum *Ponatur in folio;* **atque in plenariis S. Congregationis comitiis causa disceptata fuit.**

Disceptatio synoptica.

DEFENSIO RECURRENTIS. **Advocatus recurrentis defensionem exhibuit in duas partes divisam/ac in prima contendebat examinatorum iudicium esse debere** *coniunctivum* **et** *cumulativum*

tam quoad scientiam, quam quoad meritorum requisita; in altera, suffragia favore sui clientis collata pauciora fuisse dicebat, quam reapse in propositis quaestionibus enodandis meritus fuisset.

In primis igitur advertebat Benedictum XIII f. r. sua Constitutione *Pastoralis* **pro Italia et insulis adiacentibus poenitentiariam et theologalem praebendam quod modum collationis aequiparasse parochialibus si unam excipias qualitatem Synodalium in examinatoribus ; huic iudicium cumulativum requisitorum et scientiae volitum a lege Tridentina** *sess. 24, Cap. 18, De Ref.* **extendi debere ad praebendam poenitentiariam.**

Methodum iudicii cumulativi evidenter deduci a Tridentino sustinebat, cit. loc. ubi statuitur: « Peracto examine renun- « dentur quotcumque ab his idonei iudicati fuerint aetate, « moribus, doctrina, prudentia et aliis rebus ad vacantem « Ecclesiam gubernandam opportunis » ; atque hanc legem confirmatam fuisse in Const. *Cum illud,* **Sum. Pont. Benedicti XIV, qui eamdem doctrinam tradiderat in suo opere** *De Syn. Dioec, Lib. 4, Cap. 8, u. 3* **- ibi « Examinatores..... « non solum experiri debent eorumdem scientiam, sed et prae- « cipuam rationem habere probitatis morum prudentiae, aetatis « et ceterarum qualitatum, quibus praeditum esse oportet, cui * animarum regimen committitur ».**

Quam sententiam sequuntur Reclusius - *De Concurs., p. /, tit. 3, n. 16;* **Antonellius,** *De regimin. Eccles. Epis., Lib. 3, Cap. 3, n. i* **aliique communiter; nec non S. Congregatio Concilii. Ac demum advertebat hanc praxim in Urbe servari. Ex quibus concludebat examinatorum iudicium esse debere** *coniunctivum* **et** *cumulativum,* **ideoque in caso opus esse nova relatione.**

Hisce omnibus non obstare asserebat resolutionem S. Congregationis in *Anagnina diei 20 iulii et 14 decembris 18j2* **m qua rescriptum fuit;** *non constare de validitate concursus* **quamvis recurrentis reprobati tantum quoad scientiam, requi-**

sita considerata minime fuissent. Non obstare dicebat, quia non fuit responsum concursum esse validum, sed non constare de nullitate, quatenus posito actu, pro eius validitate standum est donec contrarium probetur. Addebat speciem causae *Anagninae* esse valde diversam, nam ex septem duo tantum concurrentes approbati fuerunt; atque unum ex reiectis postulasse nullitatem concursus ex eo quod aliqui contra prohibitionem Episcopi luminibus usi fuissent. Hinc posito dubio de validitate concursus, cum approbati *ius in re,* ceteri *ius ad rem* haberent, responsum fuisse non constare de nullitate concursus, quia praevaluit *ius in re.* In casu vero ambo concurrentes reprobatos fuisse dicebat, inspecta solummodo eorum scientia, quae agendi ratio cum Tridentinis sanctionibus et Pontificum constitutionibus contraria reperta fuerit recursum fuisse a mala examinatorum relatione.

Post haec Orator transvolans ad secundam sua defensionis partem contendebat suo clienti deberi poenitentiariam praebendam, ob suorum requisitorum praestantiam, cum laurea in utroque iure sit praeditus, concursum alias ad parochialem cum laude peregerit, munus concionatoris et confessarii expleverit *laudabiliter* et *fideliter,* ceu ipsa testatur Curia. His aequa lance perpensis, atque additis morum probitate ceterisque animi dotibus, tot meritorum puncta conflari dicebat, ut maximum approbationis gradum mereretur.

Quo vero ad datas resolutiones nimium rigide iudicatum fuisse scribebat, namque quaestionibus tertiae, sextae, septimae et nonae concurrentem non adeo male respondisse dicebat ut illa tantum puncta meritus fuerit, quae eidem ab examinatoribus attributa sunt.

Quapropter concludebat omnino suo clienti praebendam esse conferendam, tum ob eius qualitates et requisita, tum ob solutiones propositis quaestionibus datas; ac implorabat sanationem concursus, quatenus ea opus esse iudicaretur.

QUAE CONTRA ADDUCEBANTUR. Contra vero hactenus allata, advertebatur, propositam quaestionem duplici considerari posse

sub respectu, nempe vel quatenus substineri posset Curiae consuetudo, habendi rationem de exhibitis requisitis tantum si concurrens determinata scientiae merita attingeret ; vel quatenus huiusmodi methodus utpote contraria formae concursus inducta a Tridentino, nullitatem secumferat.

Praedictam praxim posse sustineri deducebatur ex consuetudine plusquam centenaria quae immemorabili aequiparatur ceu passim habetur in Thesauro Resolutionum Sacrae Congregationis ac praesertim in *Surrentina - Processionum, 16 aprilis 1820,* **§** *Enimvero ; Ausculana - Iurium, 18 febr. i8yi § Ad constituendum ;* **quaeque sola per se habet vim supremae legis et potestatis ; adeo ut illam pro se habens, dicatur habere quod ex iustitia vel gratia summus imperans possit concedere.**

Ideoque per immemorabilem et centenariam tolli ac moderari posse ecclesiasticas leges, etiamsi prohibeant simpliciter et generaliter eiusdem introductionem, Reiffenstuel, *Iure Can. Un. lib. i tit. 3 n. 49 et seq.*

Nec opponi posse, addebatur, hanc consuetudinem veluti corruptelam habendam esse utpote contrariam legi Tridentinae iubenti examinatores inquirere de *aetate, moribus, doctrina, prudentia* **concurrentium ; nam deficiente scientia, inutile videtur excutere cetera merita, cum concurrens ex unius defectu, inidoneus iam iudicatus fuerit ; ideoque nominatam praxim minime respuere iudicium** *cumulativum* **scientiae et requisitorum, sed examinatores ab inutili labore sublevare. In hoc vero simuli ma affirmabatur species causae** *Anagnina - Concursus,* **superius citatae, nam in ea secundum gravamen erat -** *quod examinatores pro-synodales eius requisita non computaverint.* **Igitur si in ea proposito dubio :** *An constet de nullitate concursus ad paroeciam S. Pancratii in casu;* **responsum fuit:** *Negative;* **nulla ratio adduci posse dicebatur, ut in casu aliter sit respondendum.**

Ast dato, urgebatur, consuetudinem praefatam sustineri non posse ac esse reiicendam veluti corruptelam, nihil inde

deduci favore concurrentis. Revera si Concilium Tridentinum et Sum. Pontif. Benedictus XIV formiter iudicium *cumulativum* **et** *coniunctivum* **scientiae et requisitorum induxerunt, hac forma spreta, ipse concursus corruat necesse est. Quod vero huiusmodi cumulativum iudicium substantiale apertissime erui ex citata Constitutione** *Cum illud* **§ 16 qua examinatores iubentur** *arcto foedere doctrinae consociare honestatem morum, gravitatem, prudentiam, praestita Ecclesiae servitia, omniumque virtutum ornamenta, etc.*

Addebatur hanc fuisse omnium doctorum sententiam non solum, sed etiam eiusdem S. Congregationis, ceu tradunt *Reclus. De conc. p. 2 tit. IV Pignatell. co?is. i. n. 33* **,•** *S. Rota Dec. 382 n. 2 p. 3 Dec. 334 n. 12 et 13 p. ri recen. Fagnan. cap. Eam te - De aetat. et qualit. praef n. 13* **qui refert S. Congregationem die 2 augusti 1607 decrevisse** *si examinatores non retulerint idoneos quoad omnes qualitates prout concilium requirit concursum esse nullum.* **Eamdem fuisse mentem S. Congregationis in quadam** *Abulen.* **tradere Bened. XIV in opere** *De Synod. Dioecesana lib. 4 cap. 8 n. 3.* **Demum afferebatur praecedens resolutio diei 26 ianuarii 1878 a nobis allata.**

Ex his concludebatur de causa recurrentis actum esse ; vel enim sustinebatur Curiae consuetudo, et tunc iudicium examinatorum ipsum reprobantium in sua firmitate manebat ; vel adherebatur stricte legi Tridentinae et tunc concursus nullus et irritus erat ob violationem formae substantialis, ac concurrens ad poenitentiariam consequendam novum periculum subire debuisset.

Post haec proposita fuerunt

Dubia.

I. *An constet de mala relatione examinatorum in casu?*

Et quatenus affirmative

II. *An et quomodo providendum sit in casu ?*

S. Concilii Congregatio, disceptata causa die 4 maii 1878, ad primum et secundum dubium respondit: *Intimetur novus concursus servata in omnibus forma Constitutionis Benedicti Xl V* **Cum illud.**

HINC COLLIGES :

I. In beneficiis per concursum conferendis, non obstante appellatione alicuius ex concurrentibus, Episcopum non teneri ad suspendendam collationem, sed posse interim conferre praebendam ei, quem digniorem iudicaverit.

II. Iuxta Concilium Tridentinum *Sess. 24, cap. 18 de Ref.* **ac iuxta citatam Constitutionem Benedicti XIV, examinatores considerare debere tum doctrinam tum ceteras qualitates seu requisita concurrentium, atque omnibus coniunctis, iudicium ferre de eorum idoneitate vel inidoneitate.**

III. Hoc coniunctivum et cumulativum iudicium pertinere ad substantialem formam concursus, ita ut huius formae spretus nullitatem concursus inducat.

IV. Non substineri consuetudinem non expendendi concurrentium qualitates et requisita, nisi prius approbationem quoad scientiam et doctrinam retulerint. [1]

[1] In his perlegendis non deerunt qui nos contradictionis incusent, quatenus hae nostrae conclusiones aliquantulum discrepent ab illis quae habentur in Vol. VII, pag. 150 et seq. harum ephemeridum. Imo scimus non deesse qui contrariam nobis tuentur sententiam, ea forsan ducti ratione, quod in nonnullis Dioecesibus viget consuetudo inquirendi super qualitatibus et meritis concurrentium, tunc solum cum determinatos scientiae gradus, facto periculo attigerint. Verum an nos vel illi rectam sequantur sententiam lectores iudicabunt.

Quoad conclusiones quae in citato Vol. VII leguntur, nobis videtur clar. auctorem (quem ceteroquin maxima prosequimur reverentia) longius quam par esset eas extendisse; agebatur enim de casu in quo plures irrepserant irregularitates. Quapropter si S. Congregatio eas noluit attendere, aliquam secretam rationem habere potuit, quae legenti minime apparet. Rursus, quamvis S. Congregationis mens qualis ibidem describitur fuisset, tamen huiusmodi deductiones immaturae essent dicendae, cum innumerae habeantur resolutiones, a quibus contrariam doctrinam docemur. Et ex unica tantum resolutione imprudens videtur deducere S. Congregationem ab antiqua iurisprudentia recessisse. Demum illarum conclusionum auctor

V. Posita paritate scientiae in concurrentibus, vel si parva habeatur differentia, illum esse praeferendum qui morum honestate et gravitate praefulgeat; atque indignum iudicandum, qui scandalo populo futurus esset.

VI. Posita appellatione, a tribunali a quo appellatur, transmitti debere vel acta ipsa originalia concursus clausa et obsignato, vel exemplum authenticum a Cancellario concursu et altero notario collatum et auscultatum coram Vicario vel alio in ecclesiastica dignitate constituto, quem eligat Ordinarius, nec non ab examinatoribus qui concursui interfuerunt subscriptum.

VII. Iuxta Instructionem S. Congregationis Concilii unumquodque responsum et unusquisque sermo, cum ab unoquoque concurrentium exhibetur, non solum ab eo qui scripsit, atque a Cancellario concursus, verum etiam ab examinatoribus et ab Ordinario vel eius Vicario, qui concursui interfuerint, esse subscribendum.

VIII. Iuxta Reclusium *{De concursibus, P. 2, Quaest. i, tit. 2, De devoluta collatione)* **haec omnia inducta fuisse pro forma substantiali, adeo ut non sustineatur concursus si ea fuerint praetermissa.**

optime novit non omnes ex causa praemissa descendere, atque ea propter, summa industria et labore, alia collegit documenta, suam sententiam lectoribus suadere cupiens; ita ut falso ab aliquibus saepe dictae conclusiones, utpote sententia probata a S. Congregatione, accipiuntur.

Qui vero nobis opponunt praxim alicuius Dioecesis, ut suam sustineant sententiam ostendere deberent, probari posse et debere consuetudinem quae rumpit unitatem disciplinae, quae in damnum vergit Ecclesiae; quaeque directe destruit legem a Tridentino indictam, a summis Pontificibus explanatam et confirmatam ac non interrupta serie resolutionum a a S. C. Concilii probatam.

Si separatim de scientia concurrentium ratio est habenda, et prius quoad hanc approbationem mereri debent quomodo explicatur *Cap. 18, sess. 24, de Ref.* Concilii Tridentini iubentis examinatores renunciare debere quotcumque *idonei iudicati fuerint aetate, moribus, doctrina, prudentia et aliis rebus ad vacantem ecclesiam gubernandam opportunis?* Quomodo explicatur Benedictus XIV qui in sua Const. *Cum illud* scripsit iuxta mentem S. Congregationis: *examinatores suo deesse muneri si doctrinae tantum iudices essent* - ac iussit - *virtutum ornamenta doctrinae*

MATRIMONII.

Die 15 decembris 1877 et 23 martii 1878.

Compendium facti. Quum iam sex effluxerint anni ab initis nuptiis, Comes Z. 36 annos natus, et Comitissa F. in sua aetate annorum 24, die 25 augusti 1877 ad tramitem Austriaci Codicis, matrimonii dissolutionem a Iudicibus laicis petierunt. Uti causam ad hoc obtinendum, adduxerunt copulae inter sese impossibilitatem.

arcto foedere consociare? Si examinatores reiiciunt concurrentes, qui determinata scientiae puncta non sunt consecuti, patet eos de sola scientia iudicare neque sociare cum doctrina ornamenta virtutum, ideoque suo deesse muneri. Quo modo explicatur resolutio a Fagnano relata {*Cap. Eam te, De aet. et qualit. praef.* n. 15) in qua S. C. censuit: *si examinatores non retulerint idoneos quoad omnes qualitates prout Concilium requirit concursum esse nullum?* Quomodo demum explicantur duae superiores resolutiones a nobis allatae ?

Ceterum haud magni opus est acumine ingenii ut detegatur quam devia sit a recta ratione, laudata praxis; in ea enim fieri facillime posset ut vir pietate et prudentia insignis praestitis Ecclesiae servitiis illustris, omnibusque virtutibus praeditus, homini novo ac inexperto posthaberetur, quia in concursu in quo haud parum fortunae tribuendum, per dimidium puncti defecit. Pone parumper duos concurrentes; alterum recentem e scholis, prudentia, gravitate, experientia et forsan etiam probitate expertem ; alterum moribus optimis, honestate, prudentia, scientia plus quam satis sit, ceterisque requisitis praeditum. Si prior per puncti dimidium in concursu superet secundum, hic reiiciendus, ille approbandus erit. Et tamen quis magis idoneus esset iudicandus.

Neque opponatur ignorantes arcendos esse a munere parochiali, nam nos non loquimur de iis qui omni scientia vacui tanto oneri sustinendo impares omnino sunt; sed de iis qui sufficienti scientia praediti ceteris qualitatibus valde praestant illis qui in periculo concursus superioris doctrinae tantum specimen dedere. Neque nostra regula fallere potest, nam gubernium paroeciae maiorem experientiam, quam doctrinam exigit. Quod si dicto periculo subeundo se sisterent homines quacumque doctrina destituti, hi nonnisi rarissime, quamvis prudentiae ceterarumque qualitatum merita cumulentur, palmam victoriae reportarent. Insuper nostra thesi non est, an indocti sint repellendi, sed in eo versatur, an iuxta Tridentinum et Benedicti XIV Constitutionem, expositum iudicium cumulativum veldisiunctivum esse debeat. Quod hoc ea est nostra sententia, quod examinatores in ferendo iudicio idoneitatis, tum scientia, tum cetera requisita, prae oculis habere debeant.

Constituto matrimonii defensore, duo etiam periti in arte medico-obstetricia constituti fuere pro coniugis utriusque corporis inspectione peragenda. Hi mandata adimplentes contextualem emiserunt peritia sub iuramenti religione ; declarantes Comitissam impotentia perpeti *relativa;* **Comitem vero absoluta ; et istam coeundi impossibilitatem matrimonium antecessisse. Iudices huic innixi relationi, matrimonium** *nullum esse* **pronunciarunt. Quod iudicium confirmarunt duo Tribunalia superiora.**

Dein Archiepiscopum L. adiverunt, uti ecclesiasticum Iudicem, expostulantes ut ipse quoque *nullum* **declararet matrimonium. Ordinarius petitionem ad S. Concilii Congreg, transmisit ; et animadverso, quod novus processus nil novi adduceret, dum locorum et temporum conditio graves praeseferret difficultates, proposuit ut super dicta peritia medicorum dispensatio a matrimonio rato et non consummatum impetraretur. Venia a SSmo Patre impetrata, normae quaedam Archiepiscopo transmissae fuerunt ut actus iudicii civilis adhiberet pro ecclesiastico; atque ut novum conficeret processum, in quo iuramentum tum a coniugibus, tum a septima manu esset praestandum ; deputaretur matrimonii defensor ; formiter et seorsim examinarentur periti iam antea adhibiti ; aliisque tribus peritis illorum relatio traderetur examinanda.**

Archiepiscopus retulit hasce neque impleri posse praescriptiones : quia novo se examini subiici reluctarent coniuges ; et quia iuxta instructionem ab Archiepiscopo Vindobonensi anno 1855 evulgatam, atque in Curiis Ecclesiastici Imperii Austro-Hungarici vigentem, nec examen septimae manus, nec iuramentum coniugum exigitur. Ne ergo coniugibus occasio praeberetur sese gravandi de insueto rigore, nova impetrata fuit a SSmo Patre venia pro dispensatione a canonico processu. Quapropter concessum fuit Archiepiscopo ut copiam actorum processualium laici tribunalis adhibere valeret ad effectum cognoscendi ac definiendi causam a partibus propositam super matrimonii nullitate, defensore vinculi ex officio depu-

tato. Hisce acceptis mandatis, iudices ab Archiepiscopo delegati procedentes in causam die 18 iulii labentis anni pronunciarunt « i. matrimonium,.... ob absolutam, insanabilem atque « iam ante contractum hocce matrimonium existentem et qua « talem per rei peritos medicos rite probatam viri impotenti tiam, ad praestandum debitum coniugale, nullum ac inva- « lidum esse. 2. Suprafatum Comitem Z. ad nullum aliud « deinceps matrimonium contrahendum admitti posse ».

Appellavit matrimonii vindex ad S. C. Congregationem, appellavit etiam Comes Z, contra secundum sententiae articulum, insimul postulans vel sententiam quoad hanc partem infirmari, vel dispensationem a matrimonio rato et non consummatum concedi.

Disceptatio synoptica.

MULIERIS DEFENSOR. **Contendit iste ad matrimonium dissolvendum satis esse evincere impotentiam Comitis Z. sive ea sit absoluta, sive relativa; dummodo matrimonium praecesserit* sit perpetua et insanabilis Schmalzgrueber, lib. 4, tit. 15, n. 38.** *Si impotentia sit perpetua videndum est an sit respectiva, an vero absoluta. Si primum dirimit matrimonium respectu illius vel illarum solarum personarum, respectu quarum impotentia datur. Si secundum et impotentia sit absoluta praecedatque contractum matrimonii, illud dirimit respectu omnium.* **Perpetuam, insanabilem, ac matrimonium praecedentem impotentiam Comitis Z. evincit defensor ex confessione illiusmet in supplici libello peracta, et ex testimonio medicorum, qui affirmant quod ille** *laborat ex atrophia testis.* **Eiusmodi atrophiam sic describit Zacchias** *Quaest, med. leg. vol. i, 285, n. 41: .Non multum abest a paralysis natura atrophia, hoc est partis alicuius consuntio et ariditas, in qua passione corpus seu corpoi'is pars aliqua, non amplius nutrimento fruitur et naturaliter semper aliquibus decedentibus, nullis vero in eorum locum succedentibus summa mades oritur.*

Ex quo fit quod atrophia affectus impotentia perpetua laboret, et numquam coniugalem actum conficere possit. Ad id clarius demonstrandum in themate adiecit defensor mulieris, Comitissam haud virginitatem amisisse post sex matrimonialis contubernii annos. Neque officit methodus probationis; nam per inspectionem a peritis factam melius veritati consultum est, quam per obstetricium intermedium.[1]

Impotentiam viri esse perpetuam statuit defensor ex praesumptione iuris ac ex copulae defectu post sex annorum cohabitationem coniugum iuxta Rotam post *cons. Farinae, dec.* 65 *n. 4 quod si post triennalem habitationem non potuerint matrimonium consummare, tunc bene intrat praesumptio, quod impedimentum sit perpetuum.* In facto autem peritorum iudicium impotentiae perpetuitatem evincit.

Insanabilitas accedit impedimenti perpetuitati ut habet Zacchia /. *g, q. 2, n. 4* et periti medici retulerunt: « vitia « commemorata (dixerunt) non possunt operari ; non consistunt « enim in ulla deformatione quae ultro averti potest, sed potius « in defectu regularium functionum geni talium ...

Quamquam Comes contendat sese impotentia laborare relativa, prosequebatur defensor, nullimode nocet nullitati obfirmandae : quia S. C. C. uti posset assueta reservationis formula: *Vetito viri transitu ad alias nuptias, nisi consulta prius S. Congregatione.* Et quia per procuratorem coram Iudicibus ecclesiasticis admittens peritorum iudicium, quo eius impotentia absoluta constituebatur, postulavit decerni nullitatem ex titulo *impotentiae absolutae atque incurabilis.*

Posita impedimenti perpetuitatem locum non fit triennali experimento, Cosci *loc. cit. n. 26* « quando constat de ante-

[1] Instructio S. C. C. evulgata quamque habes Vol. I, pag. 439 huius ephemeridis, balneum praescribit ad tutius evincendam virginitatem Non raro tamen Ecclesia suum iudicium fundavit super cognitorum suffragio, balneum posthabens Rota decis. 9 post Zacchiam n. 9 Decis. Romana, Invaliditatis matrimonii 13 oct. 1606 cor. Penna. S. C. Concilii in Veglien. matrimonii 21 mart. 1863. Quapropter in hac causa vitia processus tantum formam, non autem substantiam afficiunt.

« cedenti impotentia perpetua per inspectionem corporum a « sacris canonibus demandatam, aut est certa, evidens et « indubia, tunc statim matrimonium declarandum est nullum « absque triennali experimento cum coniugum iuramento ». In facto enim nedum triennium sed sexennium adfuit.

Neque officit quod coniuges per sex annos tacuerint ex sententia Schmalzgr. lib. 4 tit. 15 n. 74, Cosci loc. ult. c. 2 n. 33 « constito, per inspectionem corporis mulieris, de eius « virginitate, nihil interest, an ipsa intra bimestre reclamaverit, « quia post multos etiam annos reclamare et viri impotentiam « allegare potest ». Exempla autem admissae nullitatis, utut post multos annos reclamatae, adsunt apud Rotam et S. Concilii Congregationem.

DEFENSIO VIRI. Huius defensor exhibuit in primis fidem trium salutaris artis Professorum, qui autumarunt Comitem aptum carnali copulae perficiendae; et atrophiam haud perspexerunt in eo. Requisiti iidem Professores an admitti possit impotentia relativa, quam pati autumat virum erga propriam uxorem, retulerunt: cum certitudine respondi nequit ex medicinae datis, utcumque haec dari possit perpetua et insanabilis erga datam personam ob peculiares physicas circumstantias.

VINCULI MATRIMONIALIS VINDEX. Exurgens iste adversus utriusque coniugis thesim, impugnavit viri impotentiam tum absolutam tum relativam, nec non mulieris virginitatem. Prae primis animadvertit quod etsi perampla fuerit dispensatio ex audientia SSmi : *a confectione canonici processus,* tamen non eo tendit ut aliquid veritas detrimenti sentiat. Dispensatio enim pro usu tantum actorum civilium data fuit *ad effectum cognoscendi et definiendi causam.* Quapropter actus ipsi tantum attendi debent, quanti per se valeant. Et quum unus actus qui iudicio tribunalis ecclesiastici fundamentum praebuit, sit peritia iudicialis, haec ad examen vocari debet.

Duo periti admittunt utramque impotentiam ; absolutam in viro, relativam in foemina. Retulerunt virum impotentem *ex*

atrophia testium. **Sed vir idem hanc impugnat atrophiam** [1] **errore impetens cognitorum relationem ex sententia aliorum medicorum, quorum fidem iam produxit. Testimonium istorum non est minus attendendum, quam iudicialium peritorum relatio ; eo vel maxime quod tres sunt perinsignes eiusdem artis salutaris professores ; dum e contra ex duobus iudicialibus peritis alius est quodammodo alterius subalternus. Iunior ex istis locum tenebat inferiorem apud Nosocomium ; et ideo non ex parte utriusque libera ac independens dici potest sententia; et potissimum quia nec separatim inspectionem corporum absolverunt, nec seorsim propriam cuiusque pandiderunt opinionem, ceu providissimo consilio praescribit S. C. C. in Instructione 22 augusti 1840:** *singuli ex peritis, ac seorsim corpus viri inspiciant, ea qua fieri poterit decentia, et singuli scriptam emittant relationem.* **Neque praescriptioni huic officit dispensatio, quia ut ait Rota Rom. dec. 392 n. 27 rec:** *quando agitur de dissolutione matrimonii, quod est magnum sacramentum, omnis diligentia et cautela adhibe?ida est ut quantum humana fragilitas patitur, omnis fraus et error excludatur.*

Perpendens defensor sacramenti rem intimius, thesim sustinere censuit quod vir corporalis inspectionis tempore idoneus copulae fuerit ; quia admissa etiam testium atrophia, tale haud attingit gradum, qui ad maritalem actum reddat aliquem impotentem. Eo quod ad veram atrophiam constituendam requiritur *consumptio, ariditas* **et summa macies partis affectae ceu tradit Zacchias** *quaest, med. legal. I. 4, tit. i, qu. 8, n. 41.* **Ast ex duorum cognitorum relatione hunc statum haud colligere datum est. Proinde, adiecit matrimonii defensor, cum fundamentum a peritia desumptum necessaria careat soliditate pro adstruenda plena certitudine impotentiae ex atrophia derivantis; et cum nullum ab integritate mulieris, prouti in**

[1] Etsi Corniti esset cordi ut matrimonium resolveretur haud arrisit tamen declaratum fuisse inhabilem ad quodcumque aliud matrimonium. Et ideo illico trium Professorum examini se subiecit; qui eundem declararunt copulae carnali perficiendae aptum, et atrophiae expertem.

progressu demonstrabitur mutuari possit adminiculum, etiamsi actualis impotentia agnosci et admitti deberet; eo tamen quia hoc morbum accidentale esset in hoc casu, hinc semper quidem praesumendum esset, quod ipsa non antecesserit, sed sequuta fuerit matrimonium ad tradita per Sánchez *de matrim. I.* **7,** *disp. loj, n. j:* **« quando est impotentia accidentalis, ut « ex ... alio morbo consurgens ... quum non probetur fuisse « ante matrimonium, non praesumitur eandem antecedenti « tempore fuisse, sed praesumptio militat pro qualitate natu- « rali, quae est potentia coeundi. Quare non est opus con- «c fugere ad matrimonii favorem, ut praesumendum sit, eam « impotentiam subsequutam, id enim necessarium foret, ubi « ipsa iuris praesumptio non convinceret impotentiam subse- « cutam esse. Cum id convincat praesumptio, quae a natura « ipsa proficiscitur, ita in hoc eventu, cessante omni matri- « monii favore, praesumendum est impotentiam esse subse- « quutam, et ideo illud esse validum ».**

Quoad mulierem autem defensor sacramenti, vanum esse, ait, fundamentum impotentiae proclamatae sive unius, sive utriusque coniugis ex mulieris integritate desumptum. Nam censent quidem Doctores recentiores, problema virginitatis haud esse insolubile, nihilominus summam ipsum problema praeseferre difficultatem, si agatur de remota defloratione, Zacchia, *quaest, med. leg. lib.* **55,** *t. 2, n. 2,* **ita ad rem se habet: «cohaerentia partium... medicamentis procurari talis «c potest, quae non modo adaequet, sed etiam superet natu- « ram, ut notant medici ». Quod prudenter obfirmatur aucto- ritate S. C. C. in Instructione anni 1840 dum usum balnei praescribit iniungens « ne ullum spatium aut momentum «. temporis mulieri detur, quo ad arctandum vas ullo medica- le mento, aut aliqua fraude uti queat ». In casu ex mulieris confessione habemus, quod prioribus matrimonii temporibus maritali officio incumbere studuerint. Proinde aiebat defensor, cognitores opinionem emiserunt de re pervetusta, et in inqui- sitione nullam adhibuerunt diligentiam ad fraudes eliminan-**

das ; ideo eorum iudicium imprudens et incertum existimandum est.

Adhuc defensor urgens ex analysi iudicialis peritiae contendit nedum fuisse incertum, sed erroneum eiusmodi iudicium: eoquod colligi possit mulierem iamdiu corruptam fuisse. Insuper etiamsi de virginitate constaret, non inde tamen inferri deberet ad impotentiam alterius coniugis, atque ad dissolutionem matrimonii; quoniam non agitur hic de dispensatione a matrimonio rato et non consummato, sed de nullitate coniugii ex capite impotentiae prout demonstrat libellus introductivus. Ergo parum vel nihil confert ad causam disquisitio virginitatis teste Rota *Rom. dec. 14, n. io* **post Zacch.** *qu. med. leg.* **« non valet consequentia uxor reperitur intacta, « ergo vir est impotens, impotentia naturali et perpetua, quae « sufficit ad dirimendum matrimonium ».**

Insuper, ait, dandam non fuisse magnam fidem coniugibus ; quia collusionis suspicionem ingerit studium viri, qui vix reddita in prima sede a iudicibus laicis sententia, sategit novam obtinere a medicis peritiam, quae impotentiam absolutam excluderet.

His praehabitis dirimendum propositum fuit sequens

Dubium.

<c An sententiae Curiae Archiepiscopalis L. sit confirmanda vel infirmanda in casu ».

RESOLUTIO. **Sacra C. Concilii sub 15 decembris 1877 quum causam disceptasset, hanc protulit sententiam:**

Sententiam Curiae Archiepiscopalis esse reformandam, ita ut Corniti Z. non liceat transire ad alias nuptias, nisi petita prius et obtenta venia ab Apostolica Sede.

CAUSAE PROSEQUUTIO. **Cum per novam audientiam a defensore vinculi matrimonialis petitam, instaurata fuisset nova discussio, praefatus Vindex quae sequuntur exhibuit animadversiones. Innuit primo quod dispensatio a processu canonico**

per S. C. Concilii concessa infecta fuerit vitio obreptionis et subreptionis ; secundo quia peritia iudicialis, quae fundamentum praebuit eidem sententiae, ncn suppeditat moralem certitudinem impotentiae Comitis praedicti

Quoad primam partem ad memoriam revocavit quod S. Congregatio quum rescivisset ab Ordinario arduum fore coniuges novae subiicere corporali inspectioni, de auctoritate Pontificis remissae; mandavit ut consuetae ac expeditiores aliae complerentur praescriptiones. Hae in huius generis iudiciis sunt iuramentum coniugum, septimae manus auditio, examen verbale peritorum, defensoris matrimonii deputatio. Coniuges vero adeo difficilem reddiderunt praescriptionum salutarium executionem, ut Ordinarius coactus fuerit confiteri *« omnia et singula exacte perficerem, nisi inextricabiles sese opponerent difficultates, quibus superandis imparem me sentio »* . **Quae difficultates a coniugibus parabantur; quaeque fuerunt causa** *principalis* **seu** *motiva* **dispensationis a processu. Et quoniam ex illis difficultatibus, illa quidem quae respiciebat modum verificandi impotentiam Comitis, in quo potissimus ac praecipuus scopus processus consistebat, nullatenus veritati innitebatur, quia Comes postulans dispensari ab examine peritiae iudicialis, contra propriam conscientiam agebat, hinc dispensatio in vitium obreptionis et subreptionis incurrit ad tradita per Reiffenstuel.** *ius. can. I. i, t.* **j>,** *n. /8j.*

Relationem tandem peritorum examinavit iuxta Scriptorum Medicinae forensis doctrinas ; deduxitque imparem omnino esse ipsam peritiam ad certitudinem antecedentis impotentiae Comitis inducendam; atque hoc eo vel maxime quia ex illa exploratione haud obfirmatur Comitem esse impotentem ad carnalem commixtionem.

Hisce iterum adductis propositum fuit EE, CC. decernere quomodo esset resolvendum infrascriptum

Dubium.

An sit standum vel recedendum a decisis in casu. **Cui dubio S. C. C. die 23 martii 1878 respondere censuit:** *In decisis.*

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Apostolicam Sedem, ex plenitudine suae potestatis, solere aliquando nonnulla in conficiendo canonico processu remittere, quae tamen rei substantiam non attingant, sed tantum exstrinsecam formam ; ita ut liceat veritatem tuto investigare, atque reperire.

II. Siquidem omnis cautela atque diligentia adhibenda sit ad hoc ut veritas colligatur, fraus et error exulent, quantum humana fragilitas patitur ; quum agatur de dissolutione matrimonii, quod coram Deo magnum est sacramentum.

III. In themate semel atque iterum dispensationem praebuisse sanctam Sedem ; qua de re iudicium ecclesiasticum super hac matrimoniali quaestione habuit civiles actus pro unica basi : neque coniugum atque septimae manus iuramentum, aut balnei usum requisita fuere.

IV. Haud officere ad matrimonii dissolutionem obtinendam quod multos post annos reclamatimi fuerit ; nam constito per inspectionem de mulieris virginitate, semper reclamare et viri impotentiam alligare uxor valet.

V. Certum est viri impotentiam, cum evincta fuerit, dirimere matrimonium si hoc praecesserit ; quae si respectiva sit matrimonium dirimit respectu illius vel illarum personarum, respectu quarum impotentia datur; si autem absoluta fuerit, matrimoniumque praecesserit illud dirimit respectu omnium.

VI. Inter impotentiae causas recenseri *atrophiam,* **seu alicuius partis humani corporis consumptio et .ariditas ; qua fit ut corpus vel alia corporis pars amplius nutrimento non fruatur, summaque afficiatur macie.**

EX S. C. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

SUSPENSIONIS ET REMOTIONIS A PAROECIA.[1]

Die 13 iulii 1877 et 12 aprilis 1878.

Compendium facti. Quum Fabricae parochialis moderantur administrationem Parochus C. frequentes aderant dissensiones et iurgia inter illum aliosque administratores, cum fidelium scandalo. Quamobrem censuit Ordinarius, ad causam litium tollendam, removendum fuisse ab eadem administratione dictum Parochum. Quod confecit decreto die 11 augusti 1869 et in eius locum alium suffecit Parochum ex vicinia, novumque constituit consilium ad id.

Rem aegre ferens Parochus enixius sese opposuit aliis quinque administratoribus, quos uti tales haud recognovit, quique iuxta nonnullas relationes, super illis traditas, haud singularibus clarerent virtutibus.

Consilium Fabricae parochialis ex adverso apud Episcopum reclamavit de abnormi agendi ratione Parochi, edisserens illum omni carere zelo. Ita ut, ceu ineptus ad fabricae regimen habitus est et remotus Episcopi iudicio fuit, sic inhabilis ad animas Christifidelium dirigendas censendum est, quas e converso ab Ecclesia aliénât. Saepe enim excipere noluit sacramentales confessiones, et administrare eucharistiae sacramentum renuit personis ab alio presbytero confessis etiam tempore paschali.

Hisce reclamationibus et frequentibus Parochi pollicitationibus paroeciam linquendi fretus Ordinarius, sub die 26 iunii 1876 haec eidem Parocho rescripsit: «Tibi indicere constitui-

[1] Recole causam relatam vol. II. pag. 276 harum ephemer.

mus quod si infra 15 dies, computando a die qua hae litterae datae sunt, paroeciam haud dereliqueris uti saepe saepius adpromisisti ; aut nisi praedecessoris Nostri, absque ullis ambagibus aut restrictionibus decreta recognoveris, quibus Paroecialis Fabricae administratores constituit, coacti erimus tibi *suspensionem a divinis* **infligere ad scandalum removendum parochi, proprio superiori rebellis, praeter obedientiam adpromissam atque iuramento firmatam ».**

Die 29 iunii alia reclamatio Episcopo directa fuit a 35 paroecianis qui scandala et quotidianas confusiones referentes, enixis precibus petierunt ut paroeciam cito visitaret, ut oculis propriis factorum causam prospiceret, et eliminaret.

Hisce ab Episcopo cognitis, sententiam alterius Ordinarii limitrophi expoposcit hac super re gravi, qui respondere putavit: « Mediis indirectis animum parochi ad obedientiam revocandum esse ; quae si frustranea fierent, absque ulla mora poenam indictam infligendam esse; obviam eundo, animo in Divina Providentia fidenti, difficultati cuilibet, prosequendo, si opus fiat, per canonicum tramitem usque ad parochialis beneficii privationem ».

Die 13 iulii Parochus ad Sanctissimum Patrem directe recursum habuit, sese exhibens uti iniuste persecutum. Recursus ad Ordinarium remissus fuit qui adiecit: « a 14 annis Parochum moderari illam paroeciam; in qua religio eius iurgiis et dissidiis prorsus oblita est, et res omnes ad ruinam properare. Quum etiam frustra eidem parocho exhibuissem pensionem, tunc suspensionem minatus sum, ait Episcopus ; sed infra tempus utile ad vitandam poenam, apud me sistit parochus adpromittens decessoris mei decreta sese impleturum. Inter alios contra Parochum reclamavit quidam C. edisserens omnes advenas illuc accedentes ad balnea valetudinaria scandalum pati ; protulit insuper emolumentis funerariis abusum fuisse, occasione funeris filiae suae vita iunctae, neque unquam se permissurum Parochum baptizare infantem quem paritura erat uxor eius ».

Ex adverso tamen quatuor paroeciani, scripto certiorem fecerunt SSmum Patrem: componentes Fabricae consilium religione omnino carere, eosdem Parochum acriter persequi, Ordinarium *liberalibus* nimium credere, Parochum in nullo alio deliquisse quam sese opponendo temporum iniquitati. Et Parochus ipse ad SSmum Patrem escribens in sui defensionem testimonium adduxit trium Parochorum eiusdem Vicariatus fidem facentium de probitate, prudentia et zelo Parochi C.

Haec quoque Ordinario transmissa fuere; qui responsionis litteras claudebat: «postridie amantissimi mei genitoris obitum scribo, Eme Domine, et Deus scit, me, nisi animarum salutem mihi creditarum, quaerere cum remotionem petierim Parochi illius, causa occasionalis tot perturbationum ».

Die 15 septembris iterum réclamât Parochus in sui defensionem, et S. C. Episcopo rescripsit ut etiam Parochum moneret antequam *suspensione a divinis* eundem impeteret.

Episcopus mandatis morem gerens parochum monuit, atque eidem pensionem adpromisit dummodo paroeciam dimitteret. Parochus iterum tractare coepit de paroecia dimittenda, sed praeter expensas pro damnis passis ascendentes ad lib. 1572,39, petiit ut pensio hypotheca fulciretur. Provicarius eidem respondit; quod Curia cum Fabrica ageret ut iura Parochi eo modo quo posset defenderet; quoad hypothecam nil fieri posse, cum id praeter Ecclesiae consuetudines sit. Parochus modis respondit irfitatis et duris, ex quibus collegit Ordinarius nihil confici posse.

Disceptatio synoptica.

IURA PAROCHI. EX officio observatum fuit Parochum percuti nequivisse gravissima poena suspensionis *a divinis* aliisque canonicis monitionibus, ex ea simplici causa qua regimen Fabricae non dereliquerat post decretum latum anno 1869. Neque obiici iuvat has solemnitates adhiberi oportere cum

solemni procedatur forma iudiciali; non autem cum procedatur *extraiudicialiter* **et cum** *Superior* **praeceptum imponit** *sub censura suspensionis.* **Nam S. C. C. in Senogallien. suspensionis et irregul. 21 ian. 1857 habet:** *Iura, quae monitiones iubent, nullum inter unum alterumque, iudicialem scilicet, vel extraiudicialem procedendi modum, discrimen faciunt, ut adeo quolibet in casu praescriptionem hanc aequissimam vim exerere suam putandum sit. Quidquid vero sit de contraria nonnullorum sententia doctorum, quoad casum quo feratur praeceptum comminata suspensionis poena transgressoribus ipso facto incurrenda, firmum tamen immotumque manere caput Reprehensibilis 26 Decret, de appellat., quo statuitur ut nimirum nec Praelati nisi canonica monitione praemissa suspensionis vel excommunicationis sententiam ferant in subiectos, nisi forte talis sit culpa, quae ipso suo genere suspensionis vel excommunicationis poenam inducat, etc.*

Quod si uti valida retineri poena haec possit, uti iniusta censenda esset, nisi causa gravis concurreret. Satius perpendendae erant causae, quibus innitebatur Parochus ad oppositionem faciendam aliis administratoribus, qui eiusdem iura, ut ipse reclamando exposuit, usurpare satagebant.

Et quatenus rationalis oppositio a Parocho fieret: causa infligendi suspensionem haud ita gravis esset.

Ad remotionem quod attinet praemittendum venit Parochum protestare se numquam dimittere adpromisisse paroeciam, cuius ab anno 1862 regimen retinuerat. Hoc posito, Parochus, vi sui officii inamovibilis, removeri nequit a Paroecia nisi convictus delicti pro quo a iure remotio constituta sit, *Concil. Trid. Sess. 21, cap. 6, et cap. 14, de ref. Siquidem coactiva huiusmodi remotio* **gravissima est poena, qua ex iure canonum clericus plecti nequit, nisi post aeque gravissimum crimen, de quo, praehabitis monitionibus ac formali confecto processu solemni iustaque iudicis sententia fuerit convictus** ad **monita per Reiffenst.** *in lib. i de renunc.* **post censuram Trident,** *in Sess. 24, cap. 4 et Sess. 11, cap. 6, de ref.* **Cui**

quidem saluberrimae iuris dispositioni perpetuo adhaesit praxis S. C. C. quae ubi alicuius Parochi delictum evidenter probatum non foret, aut forma a ss. Canonibus praescripta servata ad unguem non esset favore parochi iugiter respondit, privationemque Paroeciae seclusit, uti *in Camerinen. 8 maii 1784, S. Severini 4 aprilis 1778 ; in Cracovien, parochialis 16 februarii 1770 ac in Piacentina Reintegr. in integrum.*

In themate nullus adfuit processus ; nam ipse Episcopus ait, nisi presbyter ille removeatur, res componi nequire.

Accusationes contra parochum factae elidi possent a testimonio trium parochorum ; qui calumniarum victimam referunt eumdem, ob conditiones politicas adversus quas dimicare praesumpsit.

Etiamsi parochus privari beneficio non deberet, sed removeri ad tempus, eius existimationi semper esset consulendum. Nam si Ordinarius sua uti potest auctoritate, sacerdos ad famam suam ius habet. Hinc canonistae omnes respuunt remotionem, quae iustae causae non innitatur. Ideoque Cardinalis de Luca *Discept. 97, n. 1 1 ,* sic limitat removendi facultatem. *Quarum limitationum prima est ubi amotio fieret odio vel calumnia. Secundo limitatur ubi ex amotione dedecus, vel infamia, seu aliud praeiudicium eiecto causaretur iuxta decisionem 6, de restii, spoliat.* Ex quibus exurgit causam nedum esse debere rationabilem, sed dependentem a facto imputati. Quamobrem inimicitia irrationalis haud attendenda est, cum parochus nullo esset inquinatus crimine sed religionis zelum ostendisset. Dein *odium plebis* utique *voluntarium* exhibet titulum, minime vero *necessarium* ut obstringi possit Rector beneficio nuncium mittere in cuius possessione est, ceu legitur in *cap. Nisi io de renunciat.* Ex quibus principiis exurgit parochum delicti expertem, non posse ad renunciationem beneficii obstringi.

IURA EPISCOPI. Memoria imprimis repetendum, agi in themate de simplici censura medicinali (quam Parochus vitare poterat obedientiam Episcopo praestando, atque a moderatione Fabricae recedendo) neque monitiones requiri sicuti in iudi-

cialibus sententiis. Ita sentit S. C. C. in *Suessana Reintegrati onis et emendationis damnorum* **8 iulii 1854 §** *Perperam vero de monitionis ac sententiae defectu conqueri adversarium, ac si de poena proprie dicta ac non potius de censura ageretur. Ac plane suspensionem hanc non ad ulciscendum crimen, sed ad contumacis emendationem, et ad tempus indefinitum latam non poenae sed censurae rationem habere docet Suarez de censur. Disp.* ***25*** *sept. i, n.* ***2.*** **Episcopos facultate pollere suspendendi a divinis nemo negat ; quae suspensio sustinetur quoties probatum fuerit odium defuisse atque vindictam Superioris, et adfuisse causam rationabilem, etsi non ita gravem ; Bened. XIV De Synod. Dioeces. 1. io, c. 5, Devoti** *Instit. canonicae. Nulla suspensio sine causa ferenda est, quamquam ea non ita gravem requirat culpam, qualem excommunicatio aut interdictum.*

Odio aut ira motum non fuisse Episcopum factorum series demonstrat ; sed a reclamationibus gravibus et repetitis et a consilio alterius Episcopi. Quae reclamationes porro suaserunt Ordinario ut animarum saluti prospiceret absque strepitu iudicii, sed tramite paterno.

Quoad remotionem a Paroecia notandum esse Parochum socordiae erga moribundos accusari, ita ut aliquis sine sacramentorum solamine mortuus sit. Relatum etiam fuisse eumdem loqui de rebus ad religionem pertinentibus ironice, ita ut quasi res istas spernat. Ideoque indifferentia quoad religionem ita progressa sit, ut in illa Paroecia ex mille habitantibus conflata, vix 10 infantes instructionem religiosam adeant. Dein haud obliviscendum, quod aliquando omissa stricta iudiciali forma, multa a iure Episcoporum prudentiae remittuntur in viam oeconomicam et administrativam ; ceu innuit *Cap.* **5,** *tit. iç, de rerum permutatione. Si autem causam inspexerit necessariam, licite poterit de uno loco ad alium transferre personas ; ut quae uni loco sunt minus utiles, alibi se valeant utilius exercere.* **Et ideo censent Canonistae Episcopum obstringere posse parrochum derelinquere beneficium quatenus publicum bonum id expostulet, Reiffenst. ad** *cit. cap. n. 38. Quod*

Episcopus subinde possit etiam cogere clericum ad permutandum cum alio beneficium, si nempe gravis id causa postulet, vel quia minus est idoneus ad praestanda munera beneficii. **Schmalzgrueber cit. tit. idem retinet** *si utilitas vel necessitas* o *Ecclesiae suadeat v. g. quia minus idoneus est ad administrandum, vel quia causavit scandalum in populo.*

Haec obtinuit maxima, nedum pro permutatione et renunciatione obligatoria, sed etiam pro remotione et privatione beneficii post Concilium Trid. *Sess. 24, cap. i, de ref.* **quum Episcopi procedunt tamquam Delegati Apostolici** *ex informata conscientia* **aut etiam iuxta** *cap. 6, Sess. 21 de ref. Quia illitterati et imperia Parochialium Ecclesiarum rectores sacris minus apti sunt officiis...* **Et sub hoc imperitorum nomine vident canonistae venire illos qui nedum scientia carent speculativa, sed etiam practica seu ut Trid. ait, illos,** *qui sacris minus apti sunt officiis,* **quique inhabiles sunt ad exploranda ea quae incumbunt muneri, ac oneri beneficii quod habent, et secundum dignitatem, statum et officium ad quod assumuntur.**

Cum autem spirituale et publicum bonum sit omnino sequendum, minus attendendum videtur ad odii iniustitiam vel iustitiam ; seu an odium causam voluntariam aut necessariam suppeditet ; qua parochus paroeciae nuncium mittat. Nam iuxta Can. Scias 35 caus. q. i, *plurimorum utilitas unius utilitati praeferenda est, atque pro bono pacis relaxanda sunt iuris praecepta.* **Ad rem Reififenstuel.** *Si exurgat gravis aversio et odium populi adversus parochum, ita ut huius verba nihil amplius Jructificent, populus divina contemnet vel scandalum nascatur.* **Quod S. C. C. pluries confirmavit praecipue in** *Limburg en. permutationis paroeciae* **27 ianuarii et 19 dec. 1857,** *Eystetten. permutationis paroeciae* **25 septem. 1742.**

Sacra Cong. EE. et RR. semel et iterum respondit *dilata* **et ad** *mentem;* **mens autem fuit ut nihil intentatum relinqueretur ad inducendum Parochum ad spontaneam Paroeciae renunciationem: sed omnia in irritum cessere. Tunc ideo resolvenda formiter proposita fuere**

Dubia.

I. An et quomodo suspensio a Divinis sustineatur in casu?

II. An et quomodo removendum sit Parochus C. e Paroecia S. in casu?

III. An et quomodo expensae et damna compensanda sunt favore eiusdem Parochi in casu?

RESOLUTIO. **Sacra E. et R. Congregatio, omnibus ponderatis, sub die 12 aprilis 1878 censuit respondere:** *Ad 1, 2 et 3 ad mentem; mens est ut Episcopus suspendat Parochum C. ab exercitio paroeciali, eidem assignando pensionem ex annuis libellis 400 super ipso beneficio, et ut assignet oeconomo curato, ab eodem Episcopo nominando, praeter residuum paroecialium redituum, compensationem, mediis ab eo indicatis per litteras ad S. Congregationem datas die 3 februarii 1878, Pensio Parocho C. constituta asservabitur ei donec idem molestias non afferat Episcopo et oeconomo et amplius.*

Ex QUIBUS COLLIGES :

I. Ex Tridentino removeri posse, aut suspendi ab officio parochiali parochos *omnes qui sacris minus apti sunt officiis ;* **idest omnes qui inhabiles sunt ad exploranda ea quae incumbunt muneri atque oneri beneficii quod habent.**

II. Et ideo ex DD. non solum scientia carentes speculativa, sed etiam qui scientiae practicae expertes sunt removendus esse ; utpote qui nesciant onera adnexa implere iuxta dignitatem, statum ac officium ad quod assumuntur et spirituale bonum detrimentum patiatur.

III. Post *Trid. Sess. 21, cap. 6* **Episcopos, etiam tanquam Apostolicos Delegatos procedentes, removere posse quomodocumque inhabiles a Paroecia, quando utilitas vel ecclesiae necessitas id postulet.**

IV. Utilitatem et ecclesiae necessitatem apprime expostulare videntur parochi remotionem, qui scandalum in populo

causavit ; ita ut eius verba nihil amplius fructificent, populusque divina contemnet.

V. Namque cum bono populorum spirituali sit imprimis prospiciendum, et quum plurimorum utilitas unius utilitati praeferenda sit, dubio locum non esse, quin removeri possit parochus scandala praebens, et quem plebs odit, ne temporalis honor anteponi videatur aeternae saluti. [1]

VI. Parochum in themate nedum expertem fuisse scientiae practicae, qua implere iuxta dignitatem sui officii onera posset; sed scandala et dissensiones ita multiplicavit, ut plebs eidem credita .omnino illum despiceret et odio prosequeretur.

VII. In iudicialibus sententiis trinas monitiones requiri, aut saltem unam, quae loco trium stet, quatenus censura pro crimine irroganda sit; nullam vero requiri monitionem quum simplex censura medicinalis alicui infligitur, non ad ulciscendum crimen sed ad conturtiacis emendationem.

EX S. CONGREGATIONE INDULGENTIARUM

DUBIORUM.

Super accessione et accumulatione indulgentiarum.

DECRETUM. **Romani Pontifices in concedendis indulgentiis moderamen semper consueverunt observare, ne** *per indiscretas et superfluas indulgentias et claves Ecclesiae contemnantur et poenitentiae satisfactio enervetur cap. cum ex eo 14 de poenit. et remiss.* **Eodemque consilio ducti haud unquam omisere indulgentias, quas moderaminis fines excessisse perspexerunt intra eosdem cohibere. Sacrosancta item Tridentina Synodus**

[1] Apostolus ait: « Si esca scandalizaverit fratrem meum non manducabo carnem in aeternum ».

sess. 23 Decret de indulg. **veteri et probatae Ecclesiae consuetudini inhaerens, moderationem in indulgentiarum concessione enixe inculcat,** *ne nimia facilitate Ecclesiastica disciplina enervetur.* [1] **Abusus vero qui in indulgentias irrepserint** *emendatos et correptus cupiens* **Episcopis mandat, ut eos Ecclesiae suae diligenter quisque colligat, et ad** *Summum Romanum Pontificem* **deferat,** *cuius auctoritate et prudentia, quod universali Ecclesiae expediet, statuatur.* **Quae auctoritas a Romanis Pontificibus per Sacram Indulgentiarum Congregationem post ipsius institutionem solet exerceri.**

Quare varii abusus, quos in nonnullis regionibus adversus adeo salutarem Ecclesiae disciplinam inolevisse compertum est, propositi fuerunt in Congregatione generali habita in Palatio Apostolico Vaticano die 14 decembris 1877 sub forma sequentium dubiorum :

r. Potestne Episcopus vel alius quicumque Praelatus eidem actui pietatis sive eidem pio Sodalitio, cui a Romano Pontifice iam Indulgentiae sive plenariae sive partiales concessae sunt, alias Indulgentias adiungere? Potestne crucibus, coronis, sacris Imaginibus a Papa vel Sacerdote legitima facultate munito benedictis, novas adnectere Indulgentias?

2. Potestne Episcopus fidelibus Dioecesis non suae Indulgentias rite concedere si Ordinarius loci consentit? [2] **potestne**

[1] *In his tamen concedendis moderationem iuxta veterem et probatam in Ecclesia consuetudinem adhiberi cupit; ne nimia facilitate ecclesiastica disciplina enervetur. Trid. Sess. 25 Decret, de Indulgentiis.*

Loquens autem de abusibus invectis quoad Indulgentias, prosequitur .S. Synodus. *Ceteros vero qui ex superstitione, ignorantia, irreverentia, aut aliunde quomodocumque provenerunt cum ob multiplices locorum et provinciarum, apud quas hi committuntur, corruptelas commode nequeant specialiter prohiberi, mandat omnibus Episcopis, ut diligenter quisque huiusmodi abusus Ecclesiae suae colligat, eosque in prima Synodo provinciali referat, ut aliorum quoque Episcoporum sententia cognita, statim ad summum Pontificem deferantur.*

[2] *Indulgentias vero, ait Trid. Sess. 21, cap. 9, aut alias spirituales gratias, quibus non ideo Christifideles decet privari, deinceps per Ordinarios locorum, adhibitis duorum de Capitulo, debitis temporibus, populo publicandas esse decernit.*

tollerari huiusmodi praxis si nihil aliud intenditur nisi ut per maiorem numerum Praelatorum Indulgentias concedentium summa dierum Indulgentiarum eidem actui devoto adnexarum multiplicetur:

3. Potestne Episcopus eidem rei vel eidem actui pietatis, cui iam Antecessor Indulgentias adnexuit novas Indulgentias applicare ?

4. Potestne Episcopus in partibus infidel, quamvis auxiliarius Ordinarii alicuius Dioecesis Indulgentiam quadraginta dierum concedere sicut Dioecesanus?

5. Potestne Episcopus quin limites sui iuris excedat ad augendas Indulgentias eumdem actum pietatis in partes dividere et ex. gr. pro omni verbo Salutationis Angelicae quadraginta dies Indulgentiarum concedere.

6. Potestne Delegatus Apostolicus virtute facultatum quas a Summo Pontifice accepit in concedendis Indulgentiis concurrere cum uno vel altero Episcopis territorii Delegationis suae ut idem obiectum vel eumdem actum pietatis Indulgentiis ditet?

7. Praelati, quibus privilegio apostolico data est facultas concedendi in quibusdam solemnibus festivitatibus per annum Indulgentias plenarias, debentne hac facultate uti per modum actus toties quoties talis solemnitas occurrit, an vero possunt unica concessione eamdem Indulgentiam extendere ad omnes solemnitates periodo annorum recurrentium aut in perpetuum?

Sacra Congregatio respondendum duxit ut infra

Ad primum - Negative nisi novae conditiones adimplendae praescribantur.

Ad secundum - Negative ad utrumque.

Ad tertium — Negative.

Ad quartum - Negative.

Ad quintum - Negative.

Ad sextum - Consultius ut se abstineat.

Ad septimum - Affirmative ad primam partem. Negative ad secundam.

Facta autem per infrascriptum Sac. Congregationis Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX relatione in audientia habita die 12 ianuarii 1878, Sanctitas Sua praedictas responsiones probavit et publicari mandavit.

Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis die 12 ianuarii 1878.

Al. CARD. OREGLIA A **S.** STEPHANO, *Praef.*

A. Panici, *Secretarius.*

CONSULTORIS VOTUM. **Iam a die 8 maii 1874 proposita et resoluta fuerant dubia haec. Quoad primam partem secundi dubii tamen** S. **Congregatio exquisivit votum Consultoris : qui sic se habuit. Pro certo tenendum est, Episcopum extra suam Dioecesim nullam iurisdictionem tamquam propriam exercere posse. Attamen si Episcopus alienae Dioecesis consentit, tunc videndum esset quomodo intelligendus sit consensus iste.**

Non potest Episcopus consentire ut alienus Episcopus in Dioecesi non sua iurisdictionem, tamquam sibi propriam, exerceat; nam talem iurisdictionem non habet, et esset contra bonum ordinem hierarchiae. Si vero consentire idem est ac delegare tunc utique dico posse Episcopum in aliena Dioecesi ex delegatione ordinarii, iurisdictionem exercere, Indulgentias concedere. Si exempli gratia Episcopus propter infirmitatem vel aliud impedimentum Ecclesiam non potest consecrare, nec clericos ordinare, nec confirmationis sacramentum conferre vel alias functiones sacras peragere, tunc utique sive Episcopum auxiliarem, sive Ordinarium alterius Dioecesis ad faciendas illas functiones invitare, eique facultatem publicandi Indulgentias competentes et sibi benevisas delegare potest. Igitur in hoc casu delegationis fidelibus Dioecesis non suae Indulgentias concedere potest intra limites iuris, scilicet usque ad 40 dies.

ANIMADVERSIONES EX OFFICIO. **Animadversum fuit cum Bened. XIV,** *De Synod. Dioeces., lib. 13, cap. 18, § 2.* **« Peri-**

« culosum nonnullis videtur hoc rerum genus (inquirere nempe << an abusus invecti sint quoad alicuius loci, aut rei, vel acti « pii Indulgentias) nimis diligenter scrutari et excutere, -p.ro- '< pterea quod si hinc urget necessitas exposcendi opportuna « remedia ne christifidelibus imponatur, inde obstat timor ne «. detecto per ipsos Indulgentiarum insubsistentia, quae antea « eos latuerat, nec eis denuntiata fuerit ab eis, qui rerum « veritatem ipsis sine fuco demonstrare debebant, turbentur « illi, offendantur, indeque occasionem arripiant obloquendi in «eos qui ecclesiastici regiminis veluti habenas moderantur».

Exposito periculo ab ablatione abusuum, quoad Indulgentias, derivanti, opportunum Pontifex suggerit remedium, ita prosequendo : « verum haud ita difficile et arduum est viam « adinvenire, per quam ex hoc impedito, ut isti putant, laby- « rinto evadatur. Si enim in Indulgentiarum discussione, quam « in sua Dioecesi instituit Episcopus, aliquas repererit quae « dubiae fidei sibi videantur, non negligat easdem recensere « in relatione status suae Ecclesiae ; quod cum praestiterit, « opus erit Congregationis Concilii huiusce rei motionem « remittere ad alteram Congregationem Indulgentiarum. Quo- « ties autem examine facto huiusmodi indulgentias apocryphas « declarari contigerit, si rogetur Pontifex ut Indulgentiis apo- « cryphis veras canonicasque Indulgentias subrogare velit et « (ut sperandum est) consonum votis rescriptum obtineatur ; « non solum hac ratione incommodis omnibus cumulate con- « sultum erit, sed insuper fideli populo spiritualis veraeque « laetitiae occasio exibebitur ».

Remedium huiusmodi ab ipso Benedicto XIV adhibitum fuit die 6 martii 1856 quoad indulgentias quae vulgo dicebantur concessae Coronae B. Ioannae Valeriae. Quod cum suggestum fuerit S. Congregationi a Consultore in Mexicana diei 30 martii 1856, S. Congregatio post declaratas apocryphas Indulgentias et privilegia de quibus agebatur, curavit ut a Summo Pontifice nova concederentur, ceu concessa fuerunt sub die 14 aprilis 1856.

Relate ad Indulgentias, de quibus pertractatur, relata etiam fuit praxis quae viget apud Hispanos Episcopos. Etenim Episcopi iuxta hanc praxim, quam antiquissimam autumant, vel concedere solent Indulgentias intra Dioecesim suam, et Metropolitani intra provinciam suam, vel concedunt Indulgentias in Dioecesi sua pro non Dioecesanis ad ipsorum petitionem vel concedunt Indulgentias extra Dioecesim pro non Dioecesanis ad horum petitionem. In primo casu eas concedunt iure suo in forma Ecclesiae consueta. In altero iure suo quoad concessionem, at vero quoad lucrationem, operumque praescriptorum approbationem iuxta voluntatem proprii Ordinarii his verbis: *habito prius beneplacito Ordinarii pro lucratione et executione.* **In tertio cum duplici beneplacito Ordinarii proprii sub iis verbis :** *supposito beneplacito Praelati Dioecesani pro concessioue et lucratione.* **Petierunt, ceu relatum est, ut Sacra Congr. dignetur de validitate Indulgentiarum concessarum vel concedendarum ab eisdem Episcopis et iuxta consuetudinem eiusmodi decerneret. Verumtamen nullum extat vestigium apud S. Congregationis acta tum suppositae consultationis, quam responsionis.**

Quibus aliisque praenotatis S. C. Indulgentiarum septem propositis dubiis praebuit responsa iam relata.

Ex QUIBUS COLLIGES :

I. Apostolicae Sedi, omni in adiuncto, cordi esse ut praescriptiones Tridentini quoad Sacras Indulgentias impleantur; ex quo fit ut Ecclesiae disciplina non enervetur per nimiam easdem concedendi facilitatem.

II. Ea propter haud permitti ut eidem rei, aut acto pietatis eidem, quibus indulgentiae iam adnexae fuerint pontificio aut episcopali indulto, aut aliis Indulgentiis iam concessis, addantur etiam aliae ab eodem Episcopo aut ab Ordinariis et Praelatis diversis.

III. Episcopos nequire Indulgentias concedere nisi in propriis Dioecesibus (infra tamen iuris limites) eo quod Triden-

tinum iam constituerit Indulgentias indici per alios non posse, quam per Episcopos aut Ordinarios locorum.

IV. Proinde neque Episcopum *in partibus inftd.* **quamvis auxiliarium Ordinarii alicuius, concedere posse Indulgentias quadraginta dierum, eo quod non sit Ordinarius loci.**

V. **Gravissimumque Episcopis onus incumbere, ut scrutentur diligenter quoad Indulgentias, in sua propria iurisdictione ; ita ut quas dubiae fidei repererint, in relatione status suae Dioecesis recenseant, ne fidelis populus decipiatur.**

DECRETUM.

URBIS ET ORBIS.

Quo inolita consuetudo reiicitur adscribendi absentes Piis Sodalitiis.

Cum in nonnullis ex piis Sodalitiis hisce potissimum temporibus institutis inter Sodales adscribendi absentes etiam consuetudo inoleverit, quae reprobata iamdiu fuerat ab hac Sacra Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, praesertim in Americana novi Regni Hispanici die 28 aprilis 1761, relatione de hoc facta Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per me infrascriptum Secretarium dictae S. Congregationis in audientia habita die 13 aprilis 1878; Sanctissimus praevia sanatione omnium adscriptionum hactenus haud rite factarum, mandavit, ut in posterum serventur, atque ad observantiam revocentur resolutiones praefato anno 1761 editae, quas ad istiusmodi effectum una cum praesenti decreto evulgari iussit.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis die 13 aprilis 1878.

AL. **Card.** OREGLIA A **S.** STEPHANO, *Praefectus.*

L. JUS.

A. Panici, *Secretarius.*

Americana novi regni hispanici.

Fel. rec. Benedictus XIV per suas Literas Apostolicas in forma Brevis sub datum Romae apud S. Mariam Maiorem die vigesima quinta maii 1754 cuius initium: *Non est equidem,* **etc., confirmavit omnes et singulas Indulgentias, ac privilegia in perpetuum concessa Congregationi, seu Confraternitati B. M. V. Guadalupensis Patronae novi Regni Hispanici in America, nonnullasque alias per dictum Breve Indulgentias concessit cum facultate ut eas Confratres etiam absentes et ubicumque Locorum commorantes lucrari possint. Ampliavitque dictum Privilegium Regibus, Principibusque, et eorum consanguineis usque ad secundum inclusive gradum adscribendi se Confratres, et acquirendi omnes et singulas Indulgentias praedictae Congregationis etiam absentes. Hinc exortum est dubium,** *an Fideles absentes possint admitti, et adscribi in Confratres?*

Ratio dubitandi ea potissimum videtur, quod impedimentum absentiae non tanti habitum est a Summo Pontifice, ut ex eo absentes Confratres, et Reges ac Principes ab acquisitione Indulgentiarum excluderet; adeoque absentes a numero Confratrum non forent reiiciendi. Attamen cum declaraverit Pontifex defectum absentiae non obesse Confratribus iam adscriptis et Regibus et Principibus, quibus specialis adscribi in Confratres facultas impertita est, nullo pacto videntur admittendi absentes, qui neque vi admissionis, aut gratiae dici possunt Confratres.

Additur in precibus, quod si absentes nequeant admitti in Confratres, dignentur EE. VV. rescribere, quod admitti valeant, et ad minus Incolae novi Regni praedicti, ad quod extenditur Patronatus praedictae Beatae Mariae Virginis, quemadmodum nonnullis similibus Confraternitatibus Europaeis clementer indultum est, et signanter Confraternitati Sanctissimae Conceptionis Liciensis.

Dignabuntur itaque EE. VV. declarare :

1. An absentes admitti possint in Confratres?

Et quatenus Negative.

2. An supplicandum sit SSmo pro eorum admissione, vel ad minus pro admissione Incolarum praedicti novi Regni Hispanici?

Sacra Congregatio, die 28 aprilis 1761 respondit:

Negative in omnibus.

N. Card. ANTONELLUS, *Praef.*

L. 41 **S.** -

J. De Comitibus, *Secret.*

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Inolitam consuetudinem adscribendi piis Sodalitiis etiam absentes omnino a R. Pontifice reiectam fuisse; ideoque nisi praesentes [1] adscribi possunt, ut rite indulgentiis atque privilegiis, eisdem Sodalitiis pontificio indulto concessis, perfrui valeant.

II. Attamen Sanctissimum Patrem, ex benignitate, sanavisse omnes adscriptiones anteacto tempore factas, dum aboleret consuetudinem, in vim revocando relatum decretum

[1] Ad maiorem rei intelligentiam quoad absentes duo notare libet.

1. Quod post huiusmodi decretum, nemo absens adscribi *rite* potest alicui pio Sodalitio, nisi prius adeat locum in quo idem Sodalitium erigitur, ibique per se petat obtineatque in adscriptorum numero cooptari. Neque per litteras, neque per aliam personam id perficere posset, nulliterque ageret.

2. Quod generaliter non licet adscriptis cuilibet pio Sodalitio, longe morari a loco, ubi idem Sodalitium erigitur, ut lucrari possint bona spiritualia, et privilegiis ditari. Saepe saepius enim, ad hunc finem consequendum ipsis imponitur ut omnia, aut partem ex operibus iniunctis conficiantur in Ecclesia eiusdem Sodalitii. Possent Sodales, post adscriptionem, personaliter factam, longe abesse a loco Sodalitii, quatenus eisdem tantum imponerentur opera, quae *compossibilia* dicuntur; quaeque ubicumque impleri possunt; ceu sunt visitatio infirmorum, eleemosynae pauperibus erogandae et talia huiusmodi.

S. C. Indulgentiarum; ita ut, ex gratia, etiam absentes iam adscripti frui gratiis prosequantur et privilegiis, quibus Sodalitium praeditum est.

III. Proinde ab huius decreti publicatione frustra adscribi inter Sodales alicuius pii Sodalitii quemlibet absentem; utpote qui neque privilegiis neque gratiis, aut bonis spiritualibus eiusdem Sodalitii ditari, neque frui valeret.

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

DE CONSISTORO SECRETO.

HABITO DIE **15** IULII **1878.**

Sanctissimus Pater Leo XIII cupiens Ecclesiae catholicae necessitatibus providere, hac mane, in Aedibus Vaticanis, sequentes proposuit Ecclesias:

ECCLESIAS SUBURBICARIAS OSTIENSEM ET VELITERNENSEM **invicem perpetuo canonice unitas; quas qptavit Emus Cardinalis Camillus di Pietro Sacri Collegii Decanus, translatus a Portu et S. Rufina.**

ECCLESIAS SUBURBICARIAS PORTUENSEM ET S. RUFINAE **invicem perpetuo canonice unitas ; quas optavit Emus Cardinalis Carolus Sacconi traslatus a Praeneste.**

ECCLESIAM SUBURBICARIAM PRAENESTIN. **; quam optavit Emus Cardinalis Antoninus de Luca, dimisso titulo SS. Quatuor Coronatorum. Munus Vice-Cancellarii S. R. E. et Summistae Literarum Apostolicarum collatum fuit Emo Cardinali Antonino de Luca, cui in commendam assignatur Ecclesia S. Laurentii in Damaso.**

ECCLESIAM CATHEDRALEM DE MONTEVIDEO **ex nova erectione, pro R. P. D. Hyacintho Vera translato a Megara** *in part. infid.*

ECCLESIAM EPISCOPALEM SEMENSEM; **pro R. P. D. Nicolao de Martino Episcopo renuntiatario Venusii.**

PATRIARCHALEM ECCLESIAM CONSTANTINOPOLITAN. in partibus infidelium vacan, per assignationem Tituli S. Laurentii in Panisperna factam Emo ac Rmo Domino Rogério Aloisio Emidio S. R. E. Presbytero Cardinali Antici Mattei; ad memoratam Ecclesiam Sanctissimus Pater evexit R. P. D. Iacobum Gregorium e comitibus Gallo ex legitimis catholicis, nobilibusque parentibus Auximi progenitum, ac septuagesimum primum aetatis suae annum supergressum. Patriarchalis Archibasilicae Lateranensis prius, hucusque vero Vaticanae Basilicae Canonicatum assequutus, ac inter Sanctitatis Suae Praelatos Domesticos et Abbreviatores Maioris Praesidentiae adscitus, Commissionis subsidiis elargiendis praepositae Praefectus, Congregationis Indulgentiarum a Secretis, et in Congregatione Concilii alter ex addictis revisioni relationum Ecclesiarum adlectus est. Sacrae Consultae Ponentis, Signaturae Votantis perfunctus muneribus, ac ad praesens S. R. E. Vice-Camerarius existens.

Constantinopolis, prius Bizantium, a Constantino Magno instaurata, et imperii sedes constituta, caput fuit provinciae Thraciae, quae Romania a graecis appellatur. A Turcis deinde capta, eorumque sedes effecta, adhuc infidelium iugo miserrime subest; quocirca infandus eius status silentio praeteritur.

METROPOLITANAM ECCLESIAM RHEDONEN. vacan, per obitum clar. me. Godefridi dum viveret S. R. E. Presbyteri Cardinalis Brossais Saint Marc ultimi illius Archiepiscopi extra romanam curiam defuncti; Sanctissimus ad nominationem perillustris Viri Mauritii de Mac-Mahon Ducis Magentae Gallicae reipublicae Praesidis, transtulit ad recensitam Ecclesiam R. P. D. Carolum Philippum Place; cuius qualitates ab Apostolica Sancta Sede adprobatae fuere, cum de mense iunio 1866 Massiliensi Ecclesiae praefectus fuit.

Rhedones urbs et caput provinciae Eliae et Vicenoniae in planitie ad confluentem Eliae ac Vicenoniae sita, salubri potitur aere, et quadraginta circiter continet incolarum millia sub temporali Gallico dominio.

Metropolitana Ecclesia ampla satis atque decens, Sancti Petri Apostoli titulo gloriatur, ac tres eidem suffragantur Episcopi.

Eius Capitulum novem cum theologo ac poenitentiario recenset Canonicos titulares, quibus plures adiunguntur Presbyteri et Clerici ac diebus solemnioribus alumni seminarii pro divino servitio.

Animarum cura ipsamet, exercetur in Metropolitana.

Septem praeterea Rhedonensi in urbe recensentur paroeciales Ecclesiae baptismali fonte munitae, nonnullae virorum, ac mulierum religiosae domus, aliquot laicorum sodalitates, hospitale, magnum ac parvum seminarium; mons autem pietatis desideratur.

Archidioeceseos ambitus totam complectitur provinciam Eliae et Vicenoniae, et sexcenta sub se continet incolarum millia.

ARCHIEPISCOPALEM ECCLESIAM SIRACEN. in partibus infidelium vacan, per obitum bo. me. Eduardi Hurmuz ultimi illius Archiepiscopi apud romanam curiam defuncti; Sanctissimus transtulit ad eamdem Ecclesiam R. P. D. Rochum Cocchia, cuius qualitates ab Apostolica Sancta Sede ad probatae fuere cum de mense iulio 1874 Oropiensi Ecclesiae praefectus fuit.

Sirace urbs Armeniae maioris in eiusdem nominis provincia sita, adhuc ab infidelibus miserrime detinetur; quocirca status eius infandus silentio praeteritum

ARCHIEPISCOPALEM ECCLESIAM HADRIANOPOLITAN. sub Patriarcha Constantinopolitano in partibus infidelium vacan, per obitum bo. me. Emmanuelis Ioachimi a Silva ultimi illius Archiepiscopi extra romanam curiam defuncti; Sanctissimus transtulit atque in Apostolicum Administratorem Ecclesiae Cathedralis ac dioeceseos Perusinae, quam praefata Sanctitas Sua retinet, tam in spiritualibus, quam in temporalibus ad ipsiusmet Sanctitatis Suae ac Sanctae Sedis Apostolicae beneplacitum, deputavit R. P. D. Ioannem Baptistam Paolucci, cuius qualitates ab Apostolica Sancta Sede adprobatae fuere, cum de mense ianuario 1876 Ecclesiis Sutrinae ac Nepesinae sibi invicem perpetuo unitis praefectus fuit.

Hadrianopolis urbs Thraciae maxima, Hebro fluvio divisa, Turcarum regia ante captam Constantinopolim, sedesque regni electa, adhuc sub infidelium iugo miserrime ingemiscit; quocirca status eius infandus nequit referri.

METROPOLITANAM ECCLESIAM NEAPOLITAN. vacan, per obitum clar. me. Xisti dum viveret S. R. E. Presbyteri Cardinalis Riario Sfortia ultimi illius Archiepiscopi extra romanam curiam defuncti; Sanctissimus promovit ad recensitam Ecclesiam Metropolitanam R. P. D. Guillelmum Sanfelice e ducibus Aquaevellae ex legitimis, catholicis, nobilibusque parentibus Aversae progenitum et in quinto supra quadragesimum aetatis suae anno constitutum. Inter alumnos Congregationis Cassinensis a prima iuventa adscitus penes coenobium SSmae Trinitatis Cavae, Neapolitano Clero dein adscriptus, et insuper in Ordine S. Benedicti Congregationis Cassinensis SSmae Trinitatis Cavae solemnia vota nuncupatus, ibique Presbyteratus ordine, ac tum in sacra theologia tum in iure canonico, cuius fundamenta typis emisit, doctorali laurea dudum donatus est. Decanus Cassinensis, Abbatialis dioeceseos Nullius SSmae Trinitatis Cavensis Exa-

minator prosynodalis, atque Vicarius in spiritualibus Generalis hucusque renunciatus est.

Neapolis urbs Italiae amplissima, emporium celeberrimum, totius Italiae populosissima, agri Neapolitani caput ac provinciae Terrae Laboris primaria, ad maris mediterranei meridionale litus partim in planitie, partim in colle aedificata, septem fere milliarium est ambitus, eamque cum suburbiis ultra quinquagentas mille incolunt cives.

Metropolitana Ecclesia, ampla satis, veterisque structurae, Bmae Virginis Mariae in coelum Assumptae titulo gloriatur, nullius magni momenti eget reparationis et quatuor eidem suffragantur Episcopi.

Eius Capitulum triginta cum theologo ac poenitentiario recenset Canonicos in quatuor ordines dispertitos, viginti duos Hebdomadarios, octodecim.- Beneficiatus quarantistas, aliosque Presbyteros et Clericos divinae rei operam navantes.

Per Vicarium-Curatum perpetuum concursu electum et ab Archiepiscopo adprobatum animarum cura ipsamet exercetur in Metropolitana.

Quamplurimae insuper recensentur Neapoli paroeciales Ecclesiae baptismali fonte munitae, earumque altera sub titulo S. Ioannis Maioris est etiam Collegiata ; nonnulla praeterea virorum ac mulierum monasteria, plures laicorum sodalitates, non pauca nosocomia et conservatoria, mons pietatis ac duplex seminarium.

METROPOLITANAM ECCLESIAM MONACEN, et FRISINGEN. vacan, per obitum bo. me. Gregorii Scherr ultimi illius Archiepiscopi extra romanam curiam defuncti; Sanctissimus ad nominationem Serenissimi Bavariae Regis vigore Indulti Apostolici, evexit ad memoratam Ecclesiam R. D. Antonium Steichele ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in vico Mertingen Augustanae dioeceseos prope Donauwoerth progenitum, et sexagesimum secundum aetatis suae annum supergressum. Ad philologicum studium intendens animum et Augustanae dioeceseos historiam in lucem emittens, illius Ecclesiae Cathedralis Vicarius, Canonicus dein, atque Praepositus hucusque renunciatus est.

Monacum et melius Monachium totius regni Bavariae caput, et Regum eius sedes, plano in loco ad laevam ripam fluminis Hisarae sita amplae satis est magnitudinis et monumentis eminet, decem circiter mille continet domos una cum suburbiis, atque a biscentum fere millibus inhabitator catholicis incolis et a septemdecim pene mille acatholicis sub temporali dominio praefati Serenissimi Regis.

Metropolitana Ecclesia, magnae molis et styli gothici, Beatissimae Virginis Mariae titulo gloriatur.

Eius Capitulum duas recenset dignitates, quarum post pontificalem prima Praepositura, decem cum theologo ac poenitentiario Canonicos, atque sex Praebendatos Vicarios, quatuor cooperatores,

duos concionatores, sexdecim beneficiatos, quibus et alii Presbyteri ac Clerici adiunguntur pro divino servitio.

Penes Capitulum extat animarum cura.

Novem praeterea reperiuntur in civitate Monachii, eiusque suburbiis paroeciales Ecclesiae baptismali fonte exornatae, Collegiata in Templo S. Caietani, Abbatia S. Benedicti ad S. Bonifacium, tria virorum ac duo mulierum monasteria, binae religiosae domus, plures laicorum sodalitates, hospitale, et quatuor hospitia, tres montes pietatis, collegium Georgianum, et Schirae ac Frisingae triplex seminarium cum alumnis.

COADIUTORIAM cum futura successione Cathedralium Ecclesiarum Aquinaten. Pontis Curvi ac Soran. invicem perpetuo canonice unitarum. Infirma enim valetudo ac luminum iactura, queis R. P. D. Paulus de Niquesa illarum Ecclesiarum Episcopus gravatur alterius opem.exigit ad pastoralia munia illis in civitatibus ac dioecesibus utiliter obeunda. Quocirca Sanctissimus Pater deputavit in Coadiutorem cum futura successione R. P. D. Pauli de Niquesa Antistitis Aquinatensis, Pontis Curvi ac Sorani R. P. D. Ignatium Persico Neapolitanum, Ordinis Minorum Capulatorum S. Francisci, cuius qualitates ab Apostolica Sancta Sede adprobatae fuere cum variis ecclesiis in partibus infidelium praepositus fuit.

Aquinum, Fregellae ac Sora Latii civitates in Terra Laboris apud Lirim sitae conspiciuntur. Earum prima bismille circiter continet incolas. Fregellis vel Pontis Curvi mille et quingentae continentur aedes, in quibus ter fere mille habitant cives. Sora autem in planitie posita ter mille recenset domos, et sexdecim circiter mille complectitur incolas.

CATHEDRALEM ECCLESIAM AQUAEPENDENSEM; Sanctissimus transtulit ad memoratam Ecclesiam R. P. U. Conceptum Focaccetti Administratorem Apostolicum qui modo, Ioanne Baptista Pellei bo. me. e vivis sublato, ipsiusmet Ecclesiae titulum etiam assumit.

Acula, Aquaependens, seu Aquipendium nuncupata, civitas Patrimonii Sancti Petri ad Paleam flumen partim in plano, partim in monte aedificata, in suo trium circiter milliarum ambitu octingentas domus, et quatuor fere mille continet incolas.

Cathedralis Ecclesia SSmi Sepulchri Domini Nostri Iesu Christi titulo gloriatur, et Apostolicae Sanctae Sedi est immediate subiecta.

Eius Capitulum binas recenset dignitates, quarum prima post pontificalem est Archidiaconatus, duodecim cum theologo ac poenitentiario Canonicos, quatuor Capellanos, totidem Beneficiarios, aliosque Presbyteros et Clericos divinis inservientes.

CATHEDRALEM ECCLESIAM BARCINONEN, vacan, per translationem R. P. D. Ioachimi Lluch et Garriga ad Metropolitanam Sedem Hispalensem; Sanctissimus ad praesentationem Serenissimi Regis Catho liei, transtulit ad eamdem Ecclesiam R. P. D. Iosephum Mariam de

Urquinaona et Bidot, cuius qualitates ab Apostolica Sancta Sede adprobatae fuere, cum de mense iunio 1868 Ecclesiae Canadensi praefectus fuit.

Barcino civitas et caput homonymae provinciae in Catalaunia prope Mediterraneum fertili in loco aedificata et frequenti florens commercio ab ultra tercentum millibus inhabitator incolis sub temporali dominio praefati Serenissimi Regis Catholici.

Eius Capitulum ex Apostolicis Literis *Ad vicariam* datis nonis septembris 1851 quinque adnumerat dignitates, quarum post pontificalem, prima Decanatus, quatuor insuper cum theologo ac poenitentiario Canonicos *de oficio,* duodecim *de gracia,* sexdecim Beneficiatus, aliosque Presbyteros divinis inservientes.

CATHEDRALEM ECCLESIAM MASSILTEN, vacan, per translationem R. P. D. CarolkPhilippi Place ad Metropolitanam Sedem Rhedonen" sem; Sanctissimus ad nominationem perillustris Viri Mauritii Mac-Mahon Ducis Magentae Gallicae reipublicae Praesidis, transtulit ad recensitam Ecclesiam R. P. D. Ioannem Ludovicum Robert, cuius qualitates ab Apostolica Sancta Sede adprobatae fuere cum de mense maii 1872 Constantinianae Ecclesiae praefectus fuit.

Massilia civitas et caput provinciae Ostiorum Rhodani partim in monte, ac partim in planitie ad Mediterranei litus aedficata, optimo fruitur aere, et ab ultra tercentum quinquaginta millibus inhabitatur incolis sub temporali gallico dominio.

Veteri Cathedrali Ecclesiae, sub invocatione Sanctae Mariae Maioris, iam destructae nova substituitur, quae magnificentissime aedificatur sub titulo S. Lazari.

CATHEDRALEM ECCLESIAM MONTIS FALISCI vacan, per translationem ad Sedem Aquipendensem R. P. D. Concepti Focaccetti; Sanctissimus evexit ad memoratam Ecclesiam R. P. D. Aloisium Roteili ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in Terra Curtiani Perusinae dioeceseos progenitum et in quadragesimo quinto aetatis suae anno constitutum. Apud Patrium seminarii Collegium eloquentiae, italicae, graecae ac latinae literaturae, logices, metaphisicae, ethices, ac iuris naturalis Cathedraticus adlectus, ac ad praesens usque theologiae dogmaticae Professor renunciatus est. Inter socios Collegii theologici et Examinatores pro-Synodales ipsiusmet dioeceseos ac inter Sanctitatis Suae Praelatos Domesticos adnumeratus est. Perusina in Cathedrali Archidiaconatum huc usque assequutus est.

Mons Physcon civitas Patrimonii S. Petri supra montem aedificata, unius fere miliarii est ambitus, mille domos ac sex mille incolas complectitur.

Cathedralis Ecclesia S. Margaritae V. et M. titulo gloriatur, et Apostolicae Sanctae Sedi est immediate subiecta.[1]

[1] Reliquas propositiones eiusdem diei dabimus in sequenti fasciculo.

ISTRUZIONE

del Card. Raffaele Monaco La Valletta Vicario Generale di S. Santità Leone XIII ai parrochi di Roma.

La Santità di N. S. Leone P. XIII, Pastore supremo di tutta la Chiesa, ed in modo speciale di questa sua diletta Chiesa Romana, la quale in Lui e per Lui, secondo la divina disposizione, tiene il primato della podestà ordinaria su tutte le chiese dell'universo, ed è madre e maestra di tutti i fedeli (Conc. Lugd. II e Vatic.) siccome é fortemente rammaricato delle persecuzioni che dovunque oramai soffre la santa Chiesa di Gesù Cristo, cosi è afflittissimo per gii sforzi che si fanno qui in Roma affine di rapire dal cuore de' Romani il prezioso tesoro delia fede. Una delle cose che amareggiano l'animo paterno del Santo Padre, secondochè scorgesi dalla Lettera

(Versio).

INSTRUCTIO

Emi Card. Raphaelis Monaco La Valletta Vicarii Generalis SSmi Domini Nostri Leonis Papae XIII pro parochis Romae.

Sanctissimus D. IV. Leo Papa XIII Supremus totius Ecclesiae Pastor, specialique modo huius suae dilectae Ecclesiae Romanae, quae in Eo et per Eum, iuxta divinam dispositionem, ordinariae potestatis primatum tenet super omnes universi Mundi Ecclesias, et omnium fidelium mater est et magistra **(Conc. Lugd. II et Vatic.)** *ceu ex corde persecutiones dolet, quas dudum ubique terrarum sacra Iesu Christi Ecclesia patitur, sic vehementer conamina moeret, quae, ad pretiosissimum Fidei thesaurum e Romanorum corde auferendum, Romae diriguntur. Inter alia, amantissimum SSmi Patris animum prae-*

che si è degnato d'indirizzarmi sotto il 26 di giugno p., è l'improntezza con cui eretici di varie sètte sono venuti a stanziarsi qui in Roma, e vi fanno scuola di eresia, per pervertire questo popolo e per insidiare in specie la gioventù incauta e facile a piegarsi all'errore siccome al vizio.

Purtroppo si avvera al presente quel che il martire Cipriano scriveva al santo Pontefice Cornelio, essere tale l'ardimento degli eretici, che osano navigare fino alla cattedra di Pietro ed alla Chiesa principale, da cui l'unità sacerdotale trae la sua origine. Ma dall'altra parte vi è tutta la ragione a sperare, che abbia ad avverarsi quel che il santo martire subito soggiungeva, cioè che gli eretici non riflettono trattarsi di Romani, la cui fede è stata celebrata in tutto il mondo dall'apostolo Paolo (Rom. I 8), sicché ad essi la perfidia non trova accesso (Cypr. ep. ad Corn., ed. Baluz., p. 86).

Sono veramente grandi gli sforzi che fanno in Roma, fin da quando fu essa tolta al regime temporale della Santa Sede,

cipue torquet, ceu colligi potest ex litteris, quas mihi dare dignatus est sub die 26 praeter lapsi iunii, audacia, qua ex variis septis haeretici, prop?'ium Romae domicilium figentes, haeresim docent, ut hunc pervertant populum, et insidias iuventuti struant incautae et cereae in errorem et in vitium ßecti.

Accidit procul dubio, nunc, quod S. Pontifici Cornelio martyr Ciprianus scribebat, tale haereticorum esse ausum ut naves appellere non erubuerint ad Petri Cathedram, et ad Ecclesiam principem, a qua propriam Sacerdotalis unitas ducit originem. Ceterum sperandum omnino est id evenire posse quod illico sanctus adiecit martyr, haereticos nempe oblivisci rem cum Romanis agendam, qiwrum in omnes gentes celebravit fidem Paulus Apostolus **(Rom. I, 8)** *ita ut aditu perfidia apud eos careat* **(Cypr. ep. ad Corp. ed. Baluz., p. 86).**

Vehementer equidem Romae conantur, ex quo Civitas temporali regimini S. Sedis subducta est, haeretici atque septarii

gli eretici ed i settari coll'oro che ricevono in gran copia dai paesi di oltremare. Oltre a parecchi tempi, e sale di conferenze cui eressero nelle vie più popolose quasi ad insulto, sonosi aperte ben dieci scuole maschili e femminili, nonché alcuni convitti ed asili diretti da protestanti con la mira ben palese di diffondere il veleno de' loro errori insieme col pane e cogli aiuti materiali, di cui son larghi a' loro uditori e scolari, abusando della miseria sempre crescente in mezzo a questa popolazione. Ma a gloria di Dio, e ad onore de' fedeli di Roma ho la consolazione di poter confessare pubblicamente con S. Cipriano, testé mentovato, che per quanto siano grandi e soprammodo seducenti questi sforzi ereticali, pure non riescono gran fatto nel loro reo intendimento : le loro conquiste sono scarsissime, e tra i Romani molto meno che fra le persone sopravvenute in Roma in questi ultimi anni. Ciò nondimeno e Romani e quanti convengono da tutte le parti in Roma versano in pericolo di perdere la fede, dono preziosis-

per aurum, quod a populis ultramare morantibus affatim excipiunt. Praeter complura templa, et collationum aulas erectas, quasi ad illudendum, in viis ubi numerosior adsit populus, decem praesto sunt scholae pro masculis et foeminis, nec non collegia et asyla nonnulla per Protestantes moderata, eo consilio, probe noto, ut suorum venenum errorum diffundant, una cum pane et materialibus auxiliis, quae propriis auditoribus et discipulis largiuntur, miseria quae crescit in diem apud populum hunc, abutendo. Verumtamen, ad gloriam Dei, et honorem Romae fidelium, gaudeo palam profiteri posse cum S. Cypriano, nuper citato, haereticorum conatus, utut maximos et illecebrarum referios, mediocriter perfidam attingere metam ; tenues vero istorum esse profectus apud gentem, quae nuper Romam incolit, tenuissimos vero apud Romanos. Hi tamen et quotquot undique Romam petunt, in discrimine versantur amittendae fidei, quae donum optimum et omnium coelestium bono-

simo e fondamento di tutti i beni celesti, se non sono premuniti contro le frodi e le seduzioni ereticali.

E cosa veramente deplorevole che si abbiano a premunire i Romani contro l'eresia protetta e favorita nella loro città, capo e centro della Chiesa di Gesù Cristo. Ma poiché siamo costretti di veder profanata questa Città santa, e l'eresia alzar la testa sotto gli occhi del maestro infallibile della fede, e provocare il popolo romano alla ribellione contro la Chiesa Romana che ne forma il maggior vanto : ho giudicato debito del mio officio di richiamare alla memoria di tutti, che gli apostati, gli eretici e gli scismatici di qualsivoglia setta, e con qualunque nome si chiamino contraggono la scomunica maggiore riservata in modo speciale al Sommo Pontefice; ed ho stimato pur necessario di tracciare alcune norme, mercé le quali coli'aiuto dei parrochi e dei confessori, i fedeli siano avvertiti de' loro doveri di fronte alle insidie lusinghevoli degli eretici.

rum fundamentum èst, nisi adversus haereticorum fraudes et deceptiones praemuniantur. Deplorandum quidem est, Romanos praemuniri debere adversus haeresim protectam et patrocinatam in eorumdem civitatem, caput centrumque Iesu Christi Ecclesiae. Quoniam vero prospicere cogimur sanctam civitatem profanationi subiici, et haeresim caput attollere in conspectu ipsius Magistri Fidei infallibilis ; atque ad rebellionem lacesseri in Romanam Ecclesiam populum Romamtm, cuius maximum ipsa efficit decus ; mei muneris onus reputavi in omnium memoria revocare, apostatas, haereticos et schismaticus septae cuiuslibet, et quocumque appellentur nomine, maiori subiici excommunicationi, speciali modo Summo Pontifici reservatae ;[1] *atque opoi'tere duxi me nonnullas constituere normas, per quas, cum Parochorum et Confessorum auxilio, fideles propria edoceantur onera, adversus haereticorum insidias, blanditiis cumulatas.*

[1] In Constitutione *Apostolicae Sedis,* Cap. I.

Queste norme sono state assoggettate, come è dovere, al supremo giudizio del Santo Padre, il quale, udito il parere di una Congregazione di Emi Cardinali, miei colleghi, le ha sancite ne' termini seguenti:

1. Incorrono la scomunica maggiore riservata al Papa tra le specialissime tutti coloro, i quali anche senza l'animo di aderire all'eresia, e per solo rispetto umano danno il loro nome alle sètte degli eretici di qualsiasi denominazione.

2. A **più forte ragione incorrono la stessa pena quelli, che prendono parte alle funzioni acattoliche o** *servizii* **come s'usa dire, ovvero ascoltano il predicante coll'animo di arrendersi a lui, quante volte, com'essi empiamente dicono, li persuada.**

Huiusmodi normae, uti decuit, supremo SSmi Patris iudicio suppositae fuerunt, qui consilio audito Congregationis Cardinalium , collegarum meorum, easdem sancivit sequentibus verbis.

1. *Excommunicationem incurrunt Pontifici reservatam inter specialissimas, omnes illi, qui etiam sine voluntate adhaerendi haeresi, et solummodo humani respectus gratia, sua dant nomina haereticorum septis, denominationis cuiuslibet.*[1]

2. *A fortiori poenam incurrunt eamdem, qui intersunt acatholicis functionibus, aut* **servitiis** *ceu dici solet, aut praedicantem audiunt, eo consilio ut eidem sese dedant, quatenus, uti impie dicunt, ab eo persuaderi possint.*[2]

[1] Est quaedam extensio excommunicationis latae in praecedenti Capite, cui merito subiiciuntur, tum quia hi fidem erubescunt, atque contra Christi praeceptum agunt dicentis Luc. 9,26 *Qui me erubuerit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet cum venerit,* tum quia sese periculo amittendae fidei exponunt; tum quia scandalo fidelibus sunt; tum demum quia etsi interne catholici sint, tamen, uti veri haeretici a fidelibus habentur; *Homo enim videt ea quae parent, Deus autem intuetur cor (1, Reg. XVI, 7).*

[2] Hi prae primis delinquunt. Illi enim sine animo haeresi adhaerendi, ideoque interne plane catholici, haereticorum sectis dant, humani respectus causa, nomina. Hi autem cum intersint acatholicis functionibus, col-

3. Così pure incorrono la medesima scomunica quelli, che, fattisi autori dell'altrui spirituale rovina, inducono in qualsivoglia modo e fanno andare o venire altri nelle sale e nei tempii eretici, ad udire le *conferenze.*

4. E finalmente sono pure innodati della stessa pena tutti coloro che pubblicano colle stampe gl' inviti alle sopradette conferenze, ed i temi delle medesime, a causa del favore che prestano con tale azione alla propagazione o alla conferma dell'eresia.

E severamente proibito di entrare per mera curiosità scientemente nelle sale e ne' templi protestanti nell'ora delle

3. Ita etiam eamdem incurrunt excommunicationem qui alterius spiritualis ruinae fautores effecti, inducunt quomodocumque, et curant ut alii eant aut veniant ad aulas vel templa haereticorum ad audiendas collationes. [1]

4. Tandem eadem innodantur poena omnes qui typis publicani invitationes ad praefatas collationes, *et themata earumdem ; propter favorem quem, tali actione, praebent haeresis propagationi aut confirmationi.* [2]

Strictissime autem vetatur ingredi, mera curiositate et scienter, aulas et templa protestantium, tempore collationum ; et gr a-

lationibus, servitiis, eo animo ut haeresim amplectantur, si sibi persuadeatur, iam de fide dubitant et ab ea aliquantulum recesserunt. Dubium enim cum fide consistere nequit. Exponunt insuper sese evidenti periculo verae fidei abiurandae ; cum enim plerumque idonea scientia destituantur, quomodo haereticorum cavillationes, falsa ratiocinia, corrupta sacrae scripturae et Patrum testimonia, depravata documenta ex historia praesertim ecclesiastica deprompta aliasque fraudes detegere, et refutare poterunt?

[1] Et quidem iure meritoque. Hi enim habendi plerumque sunt ut veri haeretici, cum secus ad Collationes haereticorum audiendas alios non inducerent.

Dixi *plerumque;* nam possunt hoc munus genere turpis lucri, vel alia ex causa, quin animo haeresi adhaereant. Verum ex hoc excommunicationem non effugiunt.

[2] In Cap. 1. Constitutionis *Apostolicae Sedis* excommunicatione innodantur *Fautores* haereticorum. Nullimode vero dubitandum est, quin typographi eiusmodi favorem haereticis praestent tales invitationes publicando, quacumque demum de causa id faciant.

conferenze, e peccano pur gravemente tutti coloro che per mera curiosità ascoltano le conferenze dei protestanti, ed assistono sia pure materialmente alle cerimonie acattoliche, e tutti quegli artisti che, anche solo per fine di lucro, vanno a cantare e sonare nei tempi protestantici ; e i tipografi, anche subalterni che, per non essere cacciati via dai loro capi, compongono i caratteri per la stampa dei libri degli eretici; con questo di più che se trattisi di quei libri di eretici nei quali è insegnata e sostenuta l'eresia, anche i tipografi secondari incorrono la scomunica maggiore riservata in ispecial modo al Papa.

viter peccant omnes qui, mera curiositate, collationes protestantium auscultant, et adsistunt, quamvis materialiter, caeremoniis acatholicis ; [1] *et omnes artifices, qui, etiam sola lucri ratione, cantant aut sonant, in protestantium templis ;* [2] *et typographi, etiam secundarii ministri, qui, ne a superioribus eiiciantur, litteras colligunt ad excudendos haereticorum libros ; quinimo si de haereticorum libris agatur, quibus haeresis educetur atque sustinetur, etiam ministri typographi secundarii maiorem incurrunt excommunicationem speciali modo Pontifici reservatam.* [3]

[1] Graviter enim peccant et ob periculum cui se amittendae fidei exponunt, et ob scandalum quod ingerunt.

[2] Ob easdem rationes. Hi insuper in causa sunt quare protestantium templa et facilius, et numerosius fideles adeant.

3 Itaque si hi secundarii ministri, qui vulgo *compositores* vocantur, caracteres colligunt ad excudendos haereticorum libros qui haeresim neque doceant, neque defendant, graviter utique peccabunt, excommunicationem tamen non incurrent; secus si libri excusi haeresim doceant et defendant. Attamen ab eiusmodi excommunicatione et etiam a peccato illos compositores excusarem, qui nihil de libro, quem typis componunt, intelligunt, et nihil a maioribus ministris de eo noverunt; neque sciunt an liber sit catholicus vel haereticus, a catholicis vel haereticis exaratus. Ad peccatum enim et ad excommunicationem incurrendam requiritur scientia. Compositores autem huiusmodi plerumque scientia quacumque carent, neque libri, quem componunt, materiam intelligunt, ea etiam de causa, quoad folia his et illis componenda distribuuntur; ad materiam libri insuper plane non attendunt.

Attamen si contingat ut haeresim, in libro componendo, animadvertant, ad excommunicationem vitandam, debent illico et immediate compo-

Né da peccato mortale vanno scagionati gli architetti, appaltatori e capomastri, i quali prestano la loro opera, e lavorano per la costruzione ed ornato di un qualche tempio protestante. Ma quanto ai muratori ed altri operai subalterni potranno essere scusati da peccato, purché nel fatto loro non siavi scandalo, né si faccia il lavoro in disprezzo della religione cattolica. Ma sarà a tutta cura e diligenza dei parrochi e dei confessori l'istruire questa povera gente che anche da

Neque a peccato mortali eximuntur arckitecli, conductores, fabrorum magistri, qui propriam conferunt operam, atque laborant ad exlruendum aliquod protestantium templum. '

Quoad structores aliosque operarios inferiores a peccato eximi poterunt, dummodo in eorum facto absit scandalum, neque opus fiat in Religionis Catholicae contemptum.[2] *Ast Parochi et confessores sedulam navabunt operam ut eiusmodi gentem moneant necesse esse a tali opere materiali abstinere, quatenus opus*

sitionem derelinquere. Quid autem de iis qui vulgo *correctores* dicuntur? Hi enim typos non colligunt, sed corrigunt tantummodo impressiones factas, italice *g li stamponi?*

Resp. R. Pontifex Leo XIII maiori ierit excommunicatione typographos, et etiam secundarios ministros. Correctores autem recensentur inter praecipuos ministros. Quare excommunicatione et ipsi mulctantur: veniunt enim sub typographorum nomine, neque enim eo intelliguntur typographi et Officinae domini tantummodo, sed omnes qui in Typographio officium habent.

[1] Scientes enim et volentes, nullaque inducti necessitate, ad extruenda protestantium templa operam conferunt.

[2] Et quidem plerumque abest scandalum, cum omnes sciant hos operarios inferiores operam suam conferre penuriae et miseriae causa, atque iis in templis extruendis insudare, quod alibi mercedem non invenerint. Parochi tamen et Confessarii adamussin monita servent a SS. Papa nostro Leone XIII hac in re praescripta. Exhibet enim criteria quibus dignosci possit quando nam opus sit in religionis catholicae contemptum. Certissima autem res est, in spretum praesentis Leoninae excommunicationis, nunc operarios inferiores ad extruenda acatholica templa vocari ob odium in catholicam religionem. Quare Parochi et Confessores diligenter eiusmodi operarios interrogent.

tale opera materiale **è** debito l'astenersi, quando il lavoro si ritenga comunemente come segno protestativo di falsa religione ; e quando l'opera stessa con qualche cosa che sola e direttamente significhi o riprovazione del culto cattolico od approvazione del riprovato culto ereticale; o quando consti ch'eglino sono dagli eretici astretti o chiamati a lavorare in disprezzo della cattolica religione : e poi in nessun caso è lecito d'intendere di cooperare al culto ereticale.

Molto più finalmente si fanno rei di peccato enormissimo i padri e le madri, che, veramente crudeli verso le anime dei figliuoli, mandano questi alle scuole protestantiche, e peggio anche se ad andarvi li costringono. E evidente che questi tali genitori sono al tutto da riprovare e detestare nel loro misfatto, e deve procurarsene il ravvedimento in tutti i modi possibili, e frattanto devono essere tenuti lontano, come manifestamente incapaci ed indegni, dai Sacramenti, finché non abbiano ritirato i loro figliuoli da sì ree scuole.

communiter habeatur ceu indicium protestans falsae religionis; et quatenus opus idem aliquid praeseferat quod solum et directe significet aut cultus catholici reprobationem, aut reprobati haereticalis cultus approbationem ; aut cum certum sit eosdem ab haereticis cogi aut vocari ad laborandum in Religionis Catholicae contemptum ; nulloque in casu licitam esse intentionem cooperandi haereticali cultui.

Tandem eo magis rei fiunt enormissimi peccati patres et matres, qui, vere crudeles in animas filiorum suorum, eosdem mittunt ad scholas protestantium; et etiam deterius si illos ire cogant. Res evidens est, parentes huiusmodi esse in illorum crimine reprobandos et detestandos, et omnibus modis possibilibus eorum emendationem curandam esse, et interdum tenendos esse longe a Sacramentis utpote incapaces et indigni, donec filios suos revocaverint ab eiusmodi scholis.

Anche i figliuoli per la cosa in sé considerata, certamente accedendo a tali scuole si fanno rei di grave peccato. Ma nel caso di vera coazione, il confessore, pesate le circostanze di persone e di fatto, adoperi verso loro colle regole da provati autori suggerite per simili contigenze.

Sia cura dei rev. parrochi di tener vive queste prescrizioni nella mente dei fedeli, e leggere questa istruzione nella Messa parrocchiale o in altra funzione più frequentata nei dì festivi.

Roma dal Vicariato ai 12 luglio 1878.

R. Card. VICARIO.

Filii quoque, pro re in se considerata, certe tales adeundo scholas, gravis culpae rei fiunt. Ast in casu verae coactionis, confessor, ponderatis personae atque facti circumstantiis, erga illos agat iuxta regulas a probatis auctoribus pro casibus huiusmodi propositas.

Satagant Rmi Parochi ut has praescriptiones servent in mente fidelium, et ut legant instructionem hanc tempore Missae parochialis, vel alterius functionis frequentioris in diebus festis. [1]

Romae e Vicariatu die 12 iulii 1878.

R. Card. *VICARIUS.*

[1] **Neque semel aut iterum, neque cursim. Instantius enim a Parochis hac in re agendum est, et saepius monendi fideles atque edocendi praescriptiones huiusmodi a SS Domino nostro latas, illaeque lucidissime et ad omnium captum explicandae. Arguant autem, obsecrent, et increpent parentes praecipue, qui filios vel mittunt vel ire cogunt ad Protestantium scholas. Contra hos tamquam leones rugiant, memores verbi Domini «Adulescens iuxta viam suam etiam cum senuerit, non recedet ab ea» (Prov. XXII, 6.). Neque Episcopos, ea qua par est reverentia, rogare praetermittimus (non enim Romae tantummodo a Protestantibus vel templa eriguntur, vel aperiuntur scholae), ut edictis latis, Parochis mandent in re eiusmodi sedulam navare operam. A Pastoribus enim et Ecclesiae catholicae ministris strenue agentibus haereses et vitia semper contrita fuere.**

E contra: cum dormirent homines, « venit inimicus homo et superseminavit zizania in medio tritici » (Matth. XIII, 25).

EX S. CONGREGATIONE GONGILI!

APERITIONIS ORIS ET RESIDENTIAE.

Sess. VI, Cap. II, de Reform.

Die 22 septembris 1877.

Compendium facti. - In perantiqua et illustri urbe A. Cathedralis extat Ecclesia, cuius Capitulum decem Canonicis et duabus dignitatibus constituitur. Huiusmodi autem, penes hoc Capitulum, obtinuit immemorabilis consuetudo, ut qui Capitulares ex eadem urbe A. originem haud nacti fuissent, non in hac, ut residentiae lex exigere videbatur, commorari soliti fuerint, sed in urbe alia P., tribus dissita miliarüs ab Ecclesia Cathedrali ac octo millibus incolis frequente; in qua Episcopus cum suo Seminario ac universa civilia officia in praesentiarum resident. Nec quidquam exinde detrimenti divinus cultus patiebatur ; cum Canonici in urbe P. residentes ad Cathedralem Ecclesiam, pro divinis laudibus ceterisque ecclesiasticis functionibus explendis, quotidie accederent. Huiusce autem consuetudinis causa fuisse videtur aeris insalubritas, pestes ac terraemotus, a quibus ita depopulata fuit civitas A. ut neque tutum asylum, neque opportunas habitationes amplius praeberet, in quibus Canonici sese reciperent.

Licet autem per huiusmodi longissimi et immemorialis temporis decursum, non pauca etiam occurrerint, quae ab ipsa S. Sede favore Canonicorum in urbe P. habitantium constituta fuerunt, et quae in synoptica disceptatione in medium adducentur; nihilominus anno 1853 capta occasione Bullae Pontificiae, qua, oppido P. in civitatem erecto, Episcopo facultas facta fuit in hac urbe P. residendi, omnes Canonici civitatis A,

ceteris autem in civitate P. residentibus inconsultis, et omnibus silentio praeteritis quae istis favebant, ad S. Congregationem Consistorialem confugerunt plurium dubiorum solutionem proponentes, inter quae illud quod Canonicorum in civitate P. morantium residentiam attingit.

S. Congregatio Consistorialis igitur ad quartum dubium circa Canonicorum residentiam sic respondere censuit: « 4. Denique civitates A. et P. censendas esse haud omnino aequiparatis, nec esse ullatenus aequiparandas quoad eos canonicos effectus, quorum alter in eo praesumitur, ut A. Cathedralis 'Canonici sibi arrogent residentiali obligationi satisfacere, dummodo in civitate P. incolatum degant ».

Canonici in civitate P. commorantes ab Episcopo pressi, ut praedictum decretum executioni mandarent, nil reliquum habuerunt quam ut ad sacratissimum Principem recursum facerent. Et revera sub die 4 maii anno 1876 Canonici illi numero quinque ad Eum recursum obtulerunt, postulantes, ut, praevia memorati Consistorialis decreti revocatione, declararetur .Capitulares tum praesentes tum futuros residentiae oneri satisfacere, tametsi in civitate P. incolatum habeant ; idque eo vel magis, quod servitium chorale ab ipsis laudabiliter persolvatur.

Oratorum preces Episcopus commendavit missa epistola ad S. Congregationem Concilii, in qua, post laudatam Canonicorum recurrentium sedulitatem in divinis officiis penes Cathedralem Ecclesiam quotidie persolvendis, graviter et ipse dubitat de aeris salubritate in urbe A, domorum in eadem defectum ad decentem Canonicorum habitationem adhuc perdurare affirmant, et extra dubitationem omnem esse testatur, quod Canonici originem ex civitate A. non ducentes, in urbe P. anteactis semper temporibus fuerint Commorati. Tandem illud ut motivum praecipuum, ex quo Oratorum preces exaudiantur in medium adducit, quod scilicet non modo utilis, sed necessaria prorsus appareat Canonicorum saltem quinque residentia eo loci ubi Episcopus residet.

Hisce acceptis S. Concilii Congregatio sub die io maii anni eiusdem rescripsit : « Eidem Episcopo Coadiutori, qui audiat Capitulum in scriptis ac referat, quomodo se gesserint Canonici post decretum S. C. Consistorialis de quo in precibus ».

Episcopus S. Congregationis mandatis morem gessit et audito Capitulo, huius sententiam scripto exaratam ad eamdem S. Congregationem remisit ; quae sententia septem Canonicorum votis suffulta (quinque enim Canonici recurrentes ab edendo suffragio abstinuerunt) postulationi sodalium erat contraria. Addebat autem Episcopus S. Congregationis Consistorialis decretum semper servatum fuisse ea ratione, ut non residentibus nonnullorum iurium exercitium fuerit denegatum, quae residentibus de more debentur.

Rebus sic perstantibus die 31 iulii anno 1876 rescriptum prodiit: « Ex audentia SSmi 7 augusti 1876. SSmus annuit ut causa disceptari possit in plenario Emorum PP. Consessu, cum clausula de aperitionis oris arbitrio et ponatur in folio ».

Disceptatio Synoptica.

CANONICORUM URBIS **P.** IURA. **Scitissimi iuris est, adversus Decreta seu Rescripta Pontificum, praesertim vero cum per ea ius alicui quaesitum sublatum esse ostendatur, oris aperitioni locum fieri, si quid in iis obtinendis necessarium non est expressum, vel si quid falsum allegatum** *Cap. super Uteris de Rescriptis: Cap.* ***19*** *de Rescriptis et Cap. i de Constit, in 6.* **Concinit Rota in** *Tefracinen,* **seu** *Setina aperitionis oris i y iunii 181**9** p. 3 coram Emo Odescalchi etc.* **Iam vero in obtinendo Decreto Consistoriali contra Canonicos in urbe P. incolatum habentes, plura ab adversariis reticita fuisse, necessario patefacienda ; adeoque decretum huiusmodi subreptionis vitio laborare, plane constat.**

Etenim in dubiorum propositione, S. Congregationi Consistoriali facta, reticitum fuit in primis factum omnibus per-

spectum, quod scilicet Canonici non ducentes originem ex urbe A, ab immemorabili tempore ad urbem P. suos lares transtulerint, in eaque semper fuerint commorati.

Et quoniam Canonicis his nimis difficilis, imo et propemodum impossibilis, longo praesertim itinere intercedente, reddebatur quotidianus et bis in die ad Ecclesiam Cathedralem pro divinis laudibus persolvendis accessus, s. Concilii Congregatio, audito Ordinario, benigne indulsit, ut Capitulares integrum de mane etiam cum vesperis et Completorio recitarent Officium, donec ab universitate civitatis A. obligationi satisfactum non fuerit, qua domus canonicalis construendae sese obstrinxerat. Quod rescriptum iterum ab eadem s. Congregatione confirmatum fuit die 6 septemb, an. 1726. Ex quibus rescriptis argui posse videtur canonicos degere posse in urbe P. donec universitas extruxerit canonicales domus ; quod nondum confecit. Porro de his etiam indultis nulla vel levissima facta est mentio ab adversae partis Canonicis.

Silentio insuper praeterita fuere Capitularia statuta a Canonicis omnibus diei 30 decemb. anno 1703 accepto habita et a Rmo Porfirio Episcopi munus gerente adprobata. Haec, casu quo mors alicuius Canonici in urbe P. degentis obvenerit, statuunt articulo VII, **ut Canonicus qui supremum diem obiverit capitulariter associetur; item. artic.** VIII **Curatori mandant, ut omnes de Capitulo in urbe P. inhabitantes praemoneat et advocet, si ecclesiasticae functiones in Cathedrali Ecclesia sint celebrandae. Et quoniam decursu temporis factum est, ut Canonici civitatis A. semet conferrent ad associandum defunctorum cadavera, confratribus in regione P. commorantibus antea non commonefactis, Episcopus ipse per edictum die 25 ianuarii 1716 illorum Canonicorum agendi rationem statutis Capitularibus contrariam improbavit.**

Tandem ne verbum quidem pariter factum est de eo, quod Episcopi in relationibus suae Dioeceseos huiusce non residentiae constanter mentionem fecerunt, quin s. Congregatio Concilii vel questus moveret vel providentiam in futurum sugge-

reret. Imo volvente anno 1779 cum Canonici in regione P. residentes chorali servitio praestando non intervenirent, et cum huiusmodi onus obirent Canonici in urbe A. degentes, distributionibus negligentium sibi adsignatis, s. Congregatio Concilii de re monita illico rescripsit, Canonicos absentes ad quotidianum Cathedralis Officium adstringendos esse, quin aliquid de eorum domicilio in civitate A. constituendo praescriberet.

Ex his omnibus in medium adductis Canonici recurrentes inferebant praesumendam esse existentiam Indulti Pontificii sibi concessi in urbe P. residendi ; licet nullum de eo documentum reperiatur.

Quod quidem nemini mirum accidere debet, si paulisper attendatur, quod Archivium tam Curiae quam Cathedralis Ecclesiae terraemotibus ac incendiis pluries subiectum fuit.

Cum igitur ea omnia, quae ab adversae partis Canonicis reticita fuerint, talia sint, quae necessario fuissent patefacienda : hinc concludebant Decretum Consistoriale tali modo impetratum subreptionis vitio infectum esse et adversus illud oris aperitionis arbitrio locum dandum.

Constito igitur de subreptione impetrati rescripti, Canonici in urbe P. commorantes, sequentibus ostendebant, se non teneri ad residendum in urbe A.

Etenim si in residentiae onere non id quod materiale est, sed id quod est formale spectetur, residere non tam importat corporaliter in loco beneficii praesens esse, quam potius teste Fagnano *in Cap. Conquerente, n.* /7, *de Cleric. non resid., et cap. Licet, n. 23, de Praebend.* propriae Ecclesiae in divinis officiis inservire: propter officia enim beneficia instituta sunt, et ad ea persolvenda residentiae inducta obligatio ordinatur. Fagnano concinit Pirhing in *lib. 3, Decret, num.* /, qui insuper tradit clericum uti non residentem habendum esse, etiamsi personaliter quidem in loco beneficii existat, officium tamen suum numquam praestet. Iam vero Canonici apud urbem P. degentes, in locum sui beneficii singulis diebus se conferre,

servitio Ecclesiae Cathedralis sedulo incumbere, divinisque persolvendis officiis operam dare, ex memorata superius epistola ab Episcopo ad s. Congregationem Concilii missa evincebant.

Praeterea animadvertebant cum Fagnano in *Cap. De Cetero, De Cleric. non resid., n. 12 et 13* **quod Canonici absentes ab Ecclesia beneficii pro Episcopi servitio** *iuris censura praesentes reputantur, et censentur inservire Ecclesiae... cum Ecclesia sit in Episcopo Cap. Scire debes 7, çu. i, Cap. Similiter 16, qu. i; Cap. Haec huius placiti 12, qu. 2, et notat hic Glossa i, Host, in princip. et reliqui omnes.* **Iam vero, aliquot Canonicorum in urbe P. commorationem nedum utilem sed prorsus necessariam esse habendam, eruebant ex praefatis Episcopi uteris. Si enim, arguebat Episcopus, ex iuris praescripto Capitulum Cathedralis Ecclesiae Senatum Episcopi constituit, quomodo hic dioecesim recte gubernet, integro Capitulo alibi commorante? Verumtamen si etiam concedatur exigi a iure corporalem praesentiam ; ab hac dispensati fuere Canonici tum a s. Congregatione Concilii, quae concessit Capitulo recitare posse totum officium de mane; tum a statutis et ab immemorabili consuetudine. Huiusmodi enim est longissimi temporis vel immemorabilis consuetudinis natura et vis, ut qui eam adducit, allegare possit titulum de mundo meliorem.** *Card. De Luca, De benef., disc. 32, n. 2 et 4. Bonf. de Iure Fideicom., disp. 114, n. 31 ; Rota coram Olivatio, decis. 624, n. 8 et coram Ansaldo, dec. 346, n. 11 ,* **ubi habetur quod immemorabilis seu centenaria « existit adeo efficax, ut suppleat vices expressi privilegii Apostolici, cum ea sola nominali differentia, quae inest inter tacitum et expressum...».**

Neque, aiebant, ad huiusmodi doctrinam infirmandam iuvat regerere re, quod *Concil. Trident., sess. 24, cap. XII, de reform.* **contraria statuta vel consuetudines expresse damnaverit, quae propterea induci non possunt. Sapientissime enim observat** *Card. De Luca, De Can. et Cap. disc. 12, n. g:* **« Attamen « id recte procederet, quando allegatur sola consuetudo tam-**

« quam purum beneficium temporis, seu tamquam praescri-
« ptio ; secus autem ubi allegatur specialis concessio Apo-
« stolica, ad cuius probationem adducitur observantia, tam-
« quam probatio praesumptiva, cum tunc non sit de directo
« ferire decretum irritans, sed agere de eius non comprehen-
« sione ».

Concidebant Canonici sibi licitum fuisse morari in urbe P. etiam post decretum Concistoriale, neque obstringi posse ad residentiam in urbe A : in qua adhuc desunt habitationes, et aeris salubritas. Propter quod Curia Episcopalis cum Seminario et officia publica translata fuere in urbe P.

CANONICORUM URBIS A. IURA. E contra Canonici in urbe A. residentes contendebant, decretum Congregationis Consistorialis a se impetratum nulla laborare subreptionis labe, ideoque adversus illud locum non esse dandum aperitionis oris arbitrio. Tunc enim decreta uti subreptitia habentur et nullius sunt roboris, cum aliquid tacetur, quod si fuisset cognitum decretum non concessum, vel aliter responsum fuisset. Hoc autem in casu profecto non verificatur. Recursus enim ad S. Congregationem promotus fuit pro resolutione quorumdam dubiorum, quae nullam neque dependentiam, neque relationem praeseferebant cum rationibus facti vel possessionis quamtumvis immemorabilis, sed quae ex iuris dumtaxat principiis dirimenda erant. Igitur cum ea omnia, quae iuxta adversarios manifestanda erant, ad rem non facerent, neque in rescribentis voluntatem valerent innuere, erat prorsus inutile ut de illis mentio fieret.

Ad residentiae onus devenientes, quo devinciuntur Canonici in urbe P. degentes, recolebant tritissimi iuris esse, Canonicos omnes ad personalem residentiam in suis sive Cathedralibus sive Collegiatis Ecclesiis adstrictos teneri. Haec siquidem obligatio ex iuris communis dispositionibus satis aperte profluit, ceu videre est *in Cap. Quia nonnulli j • cap. Relatum 4; et Cap. Conquerente 6, De Clericis non Resia[7].* Et concordat textus in Concilio Trident. *Sess. XXIV, Cap. XII,*

de Reform. « Praeterea obtinentibus in eisdem Cathedralibus aut Collegiatis Dignitates, Canonicatus, Praebendas aut Portiones non liceat vigore cuiuslibet statuti aut consuetudinis, ultra tres menses, ab eisdem Ecclesiis quolibet anno abesse ».

Quibus iuris communis principiis admissis, aiebant, adversarios ad causas ab huiusmodi legis obligatione excusantes inutiliter confugere. Sane urbs A. in praesenti domibus et habitationibus adeo frequens est, ut asylum conveniens et satis commodum Canonicis in civitate P. adhuc commorantibus praebere valeat. Clementiam vero caeli et aeris salubrità tem haud ibi deficere patet ex eo, quod civium numerus a 1600 ad 3000 paucos post annos excrevit, et omnes optima valetudine fruuntur, ipsis Canonicis non exceptis dies suos in urbe A. ducentibus, quorum plerique, licet alibi nati sint, ad tardam usque senectam tamen pervenerunt.

Nihil pariter proficit, prosequabantur Canonici, consuetudo, quam adversarii acriter propugnant ; haec enim cum a iure reprobata sit, nullam vim vel efficaciam praeseferre potest iuxta citata verba concil. Trident. *Sess. 24, cap. 12, de reform.* **Huiusmodi Tridentinae dispositioni concinit sequens pontificia declaratio anno 1573 emanata Lib. i, Decret. Congr. Conc., P^a^g- 33 ^a^ tergo: « SS. D. noster etiam ex sententia s. Con- « gregationis Concilii declaravit immemorabilem consuetudinem « non excusare a residentia in Ecclesiis Cathedralibus et Col- « legiatis insignibus : in Collegiatis autem non insignibus posse « excusare, etc. ». Cum igitur quaevis consuetudo licet immemorabilis nihili facienda ac quovis valore prorsus destituta sit ; ideo canonici adversarii nullum ex ea deducere possunt privilegium seu indultum, alibi commorandi. Quod si supponi velit indultum, utpote odiosum, stricte accipiendum est, et quod sit sub conditione concessum, nempe perdurantibus causis, quibus concessum fuit. Quae causae desunt in casu ; cum aptae domus et aeris salubritas adsint.**

Neque Episcoporum relationes, occasione visitationis ad limina, neque constitutiones capitulares attendi posse. Eo quod,

veluti accessorium, innituntur supposito indulto pontificio ; quod in casu conditionatum, ut dictum est,, debet censeri.

Quod autem praesumpti Indulti tenor sic accipiendus sit, ex verbis eruitur quibus s. Congregatio Consistorialis ad primum dubium relate ad Episcopi residentiam respondit. In eo siquidem legitur obligatio imposita Episcopo ad urbem A. remeandi, statim ac id commode exequi poterit: « debeatque (Episcopus) in eadem A. dumtaxat civitate residere, statim ac id poterit convenienter contingere ».

Quibus praenotatis sequentia enodanda proposita fuere

Dubia.

I. *An sit locus aperitioni oris in casu.*

Et quatenus affirmative

II. *An Canonici teneantur in urbe A. residere in casu.*

RESOLUTIO. **S. Congregatio Concilii die 22 septemb. 1877, visa causa, respondere censuit:**

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Negative, et nihil innovandìim in praesenti rerum statu.*

EX QUIBUS COLLIGES:

I. Concedi oris aperitionem[1] adversus pontificium rescriptum quoties aliquid necessarium non est expressum, vel quid falsum allegatum fuerit in eius impetratione; idque eo fortius si ius tertii quaesitum, sublatum fuerit.

II. Ad obtinendum tamen arbitrium aperitionis oris necesse esse ut aliquae prodeant suspiciones in discrimen revocantes Pontificis voluntatem, ne iniustae atque futiles moveantur lites.

III. Proinde oris aperitionem esse denegandam quoties exulent obreptio et subreptio ; quia pontificum decreta sem-

[1] Aperitio oris est venia, quam impetrare oportet a R. Pontifice antequam quis disceptare adhuc possit super lite ad quam finiendam decreta pontificia lata fuerint.

per reverenda sunt etiamsi *{ex motu proprio)* **iuri tertii derogatum fuerit per rescriptum clausola** *non obstantibus* **munitum.**

IV. In themate Canonicos in Urbe A. morantes in supplici libello multa reticuisse videri, quae si nota fuissent, aliter forsan sese habuerit consistoriale decretum.

V. Consuetudinem longissimi temporis aut immemorabilem legis scriptae vim secumferre, ceu titulum meliorem de mundo censeri, et praeseferre indulti pontificii praesumptionem, quin necesse sit illud probari ; eoquod immemorabilis locum probationis teneat.

VI. Immemorabilem videri, modo indirecto, exerere vim suam etiam in Tridentinum ; si ipsa non allegetur ceu purum beneficium temporis seu praescriptio ; sed quatenus adducatur tamquam praesumptiva probatio alicuius concessionis Apostolicae ; quia tum decretum Tridentini irritans non feritur directe, sed potius agi videtur de eius non comprehensione. [1]

[1] **Tridentinum** *Sess. 24 cap. 12* **loquens de Canonicorum residentia disposuit:** *«-praeterea obtinentibus in eisdem Cathedralibus, aut Collegiatis Dignitates, Canonicatus, praebendas aut portiones, non liceat vigore cuiuslibet statuti aut consuetudinis, ultra tres menses ab eisdem ecclesiis quolibet anno abesse* **». Scientes ideo** *ex* **communiori sententia, Canonici longe a Cathedrali vitam degentes, inutiliter quamlibet consuetudinem adduci adversus decreta Tridentina, apte usi sunt immemorabili consuetudine abessendi a Cathedrali, non ad vulnerandum. Tridentini decretum, sed ad evincendum aliquid Indultum pontificium, quo olim ob domorum defectum et aeris insalubritatem Canonici a residentia in Civitate Cathedralis dispensati fuerint. Idque faciliter perfecerunt, quia ex Canonistarum sententia, talis est vis et natura consuetudinis immemorabilis, ut qui eam adducit allegare videtur titulum de mundo meliorem, etiam privilegium, vel decretum seu indultum atque beneplacitum Apostolicum.**

Diximus ex communiori sententia quamlibet consuetudinem haud derogare posse decretis Tridentini; eoquod in Bulla Pii IV, quae legitur in fine eiusdem Concilii, habetur decretum irritans ea omnia quae obstant eidem sacro Concilio; ex quo fluit ut irritatio ista cadat super omnia obstantia singulis capitulis eiusdem.

Diebus tamen nostris non ita generalis eiusmodi manet opinio; quia plures incipiant dubitare an consuetudo inolita contra Tridentini decreta, possit eisdem aliquid detrahere, non obstante decreto irritanti, quo reiiciuntur. Ut alios posthabeam en qualiter sese habet in subiecta materia illustris Professor De Angelis in suo opere neoterico: « *Praelectiones iuris canonici lib. 1, tit. 4, n. 12* **». « An contra Decreta disciplinaria Concilii**

VII. In themate consuetudinem immemorabilem, alio suffultam indulto pontificio recitandi de mane totum officium cum Vesperis et Completorio, allegatam fuisse a Canonicis in Urbe P. morantibus, ceu probationem praesumptivam alicuius pontificii indulti; quo a residentia exonerarentur; minime vero ut directe denegaretur decreto Tridentini per inolitam contrariam observantiam.

SUPER ADSISTENTIA INFIRMORUM.

PER SUMMARIA PRECUM.

Die 23 martii 1878.

Episcopus B. supplici libello S. C. Congregationi dato sequentia exposuit:

«Etsi Rituale Romanum, cum suis commentatoribus... « clare innuant, parochos teneri moribundis adsistere... nihil- « ominus de facto, quia operosa res est, in pleno robore « vix unquam fuit haec salutaris disciplina et nunc saepius « obsoleta videtur, ita ut Sacramentis administratis ac infir-

« Tridentini possit inolescere consuetudo? Concilium Tridentinum eamdem « habet auctoritatem ac coetera Concilia Generalia; si valet ergo consuetudo praeiudicium inferre canonibus Generalium Conciliorum, valebit et « idem praestare contra canones disciplinares Tridentini. Ex altera parte « Romani Pontifices istorum decretorum observantiam inviolabilem prae- « cipientes, non derogaverunt vi consuetudinis, quae praedictas qualitates « haberet. Hoc potius notandum est, plures contra decreta istius Concilii « inolescentes consuetudines improbari quia sunt irrationales, et iudex « super ^rationabilitate, ut diximus, est Superior ; et in casu Pontifex Roma- « nus, vel s. Concilii Congregatio. Quod vero consuetudo aliquid valeat « etiam contra decreta Concilii Tridentini, ille tantummodo negare valebit, «qui ex. gr. retineat omnes provisiones beneficiorum parochialium ubique « terrarum factas absque concursu, vel eo non peracto ad formam aCon- « cilio Tridentino praescriptam Sess. 24, cap. 18, de ref, esse subreptitias, « et taliter provisos aut institutos carere iurisdictione ; quod serio affirmari « non potest ».

« mis pluries visitatis, *adsistentiam moribundorum* **absque ullo « conscientiae stimulo praetermittant parochi multi, praesertim « in populosis paroeciis, tantum boni pastoris munus et tam « necessarium misericordiae opus vel mulieribus committentes. « Hinc ut in tanto negotio, a quo pendet aeternitas, quivis «c error sedulo praecaveatur, ac omnis corruptela stirpitus « eradicetur, sequentia dubia benigne enucleanda humillime « et suppliciter proponuntur. Commendant equidem Ordinarii « in suis statutis parochialem ministerium erga Moribundos, « sed accipiunt Parochi non ut officium obligatorium, bene « vero uti purum putumque consilium. Quem abusum corrigere « valet sola Sanctae Romanae Ecclesiae summa auctoritas, « ius clare definiens ».**

« Quaeritur ergo:

« I. An teneantur parochi aliique animarum cura geren- « tes, Moribundis adsistere, etiam si eos Sacramentis rite « munierint?

« II. An haec obligatio sit sub gravi?

« III. An eadem urgeat obligatio erga Moribundos, qui « pie vixerint ac bene dispositi videantur?

« IV. An parochi impediti alium sacerdotem, si haberi « possint, sufficere teneantur?

« V. An in longa agonia usque ad extremum spiritum « perstare teneantur?

« VI. An ad mentem S. Caroli Borromaei *duae* **tantum « adnitantur causae ab obligatione Moribundis adsistendi «.dispensantes; necessitas videlicet aliis infirmis Sacramenta « administrandi, vel aliae necessariae occupationes?**

« VII. Inter caeteras excusationes, quae afferri possunt, an « speciatim parum firma valetudo, negotium non ita urgens, « locorum distantia, viarum difficultas, tempus nocturnum, coeli « intemperies, contagionis vel alicuius mali periculum, incerta « agonia, defatigatio non minima, familiae infirmi repugnantia, « nimium frequentes casus agonizantium, ut in nosocomiis, «sint legitima impedimenta?

«VIII. An teneantur parochi: i) Parochianos inassuetos « praemonere de necessitate parochum vocandi pro mori- « bundis et de obligatione ipsi facilem accessum praebendi. « 2) Óbices serio removere ut sibi viam ad moribundos ster- « nant? ».

Disceptatio synoptica.

Et ad primum quod attinet dubium haec advertenda esse ex officio arbitratimi est. Iuxta verba S. Scripturae: *Descendit ad vos diabolus habens iram magnam, sciens quia modicum tempus habet (Apoc. 12),* **nemo non videt quanta cura sit praestanda illis, qui in extremo vitae periculo positi sunt. Etenim «** *callidissimi atque nequissimi hostes animarum nostrarum daemones* **» - ita** *Dionys. Carthus. in tract, de Morte art. j* **- agnoscentes mortem esse terminum merendi et demerendi, et animas in ea affectione in qua per mortem recedunt a corporibus immutabiliter permanere, in ipsa hora mortis acerrime tentant agonizantes. Ideoque benigna Mater Ecclesia saluberrimas super hac materia statuit dispositiones, inter quas imprimis heic meminisse iuvat, quae in Rituali Romano, iussu Gregorii XIII, in principio capitis** *Modus adiuvandi morientes* **leguntur.**

Nec secus in Rit. Rom. recognito a Bened. XIV, in c. *De administratione Extremae Unctionis,* **ibi : « Admoneat (parochus) « etiam domesticos et ministros infirmi, ut si morbus ingra- « vescat vel infirmus incipiat agonizare,** *statim ipsum paro- « chum accersant ut morientem adiuvet eiusque animum Deo « commendet;* **sed si mors immineat priusquam discedat sacer- « dos animam Deo rite commendabit ». Et in sequenti** *Cap.- de modo adiuvandi morientes,* **ibi : « Ingravescente morbo Paro- « chus infirmum frequentius visitabit et ad salutem diligenter « iuvare non desinet ;** *monebitque instante pericido se confestim « vocari, ut in tempore praesto sit morienti ».*

Quae sollicitudo benignae Matris Ecclesiae erga Moribundos maxime clarescit ex dispositionibus, quae in Ritualibus

particularium dioecesium continentur, quaeque omnes sacerdotibus adsistere moribundis usque dum exspiraverint praescribunt. *Martène in lib. j de antiquis Ecclesiae ritibus.* **Quibus, una voce concinunt Synodi tam Provinciales quam Dioecesanae, Bened. XIV in sua Constit.** *Firmandis n. io* **et Frassinetti in suo opere manuali de Parocho novello, ait : « Quum sacramenta administraverit Parochus adesse debet infirmo usque ad ultimum exitum ; valdeque exprobanda est consuetudo, seu melius abusus inolitus aliquibus in locis, quo fit ut Parochi, collatis sacramentis infirmo, eius domum amplius non adeant ».**

Ad secundum dubium descendens in quo quaeritur an haec obligatio sit sub gravi ? in duplicem abeunt DD. sententiam. Alii enim tenent istiusmodi obligationem Parochum urgere sub gravi: *Barbosa, « de Officio parochi» part. I, c. VII, n. 26* **ita tenet : « Si infirmus incipiat agonizari, advertat paro-
« chus maiorem ei incumbere adiuvandi obligationem ac ma-
« gnum et necessarium ministerium esse moribundis opem
« ferre in eo statu a quo vel in bono vel in malo dependet
« aeternitas. Ob hanc rationem penitus reiicienda est quorum-
« dam opinio, eximens parochum a mortali culpa non assi-
« sten tem infirmo morti proximo post recepta Sacramenta;
« gravissimae enim culpae reus esset ; si cum commode posset
« eum desereret; cuius quidem culpae repetenda est gravitas
« ab ea temporis circumstantia, in qua infirmus, si quando
«. sui pastoris ope indiget, tunc certe est, cum diabolus ipsius
« calcaneo insidiatur. Huic necessitati accedit et alia gravior
«animadversio, quod nempe infirmus indigeat iterum ob ali-
« quod novum peccatum confiteri, qui casus cum non raro
« contingat quisque intelligit parochum dictum infirmum dese-
« rentem a mortali culpa excusari non posse ». Quibus adiungi debent statuta plurium Synodorum tam Provincialium quam Dioecesanarum, quae graves infligentes poenas contra id negligentes indubie retinuerunt huiusmodi defectum lethale peccatum importare.**

Contra vero non desunt qui in contrarium tenent, quos inter recensendus Possevinus qui in tractatu *De officio Curati c. XIII, num. ij* **postquam asseruerat pastorem animarum teneri ad praestandam moribundis adsistentiam quaerit an sub gravi ? et respondet : «** *Non credo, quia videtur res levis nisi « in eo qui ad talem statum sit redactus cum mortali... vel « cum perseverantia in statu mortali* **quia iste cum sit in « magna indigentia poenitentiae videtur Curatus tamquam « pastor teneri omni modo et via dum superest halitus, illius « salutem procurare et tanto gravius teneri credo quanto « periculosius est damnum vicinum et irreparabile moribundi ».**

Ad tertium quod attinet dubium observandum puto, quod certo certius in extrema vitae hora daemones maximos faciunt impetus, ut aeternaliter devorent et auferant animas, hinc non est dubium, quin maiori periculo expositi sint qui in prava habitudine et vitiose vixerunt quam qui piam et honestam vitam duxerunt. Proinde etiam maior urget obligatio erga Moribundos, in quibus ille habitus vitiosus remanet et qui infernalibus hostibus facilem accessum praebet, quam erga illos qui christiane vixerunt. Exinde etiam mox enunciatus auctor cit. loco rite animadvertit: «cum iste sit in magna « indigentia poenitentiae, videtur Curatus tamquam pastor « teneri omni modo et via, *dum superest halitus,* **illius salutem « procurare et tanto gravius credo teneri,** *quanto periculosius « est damnum vicinum et irreparabile moribundi ».* **Maiorem hanc necessitatem adiuvandi Moribundos male dispositos etiam Rit. Rom. agnoscit, ceu in** *cap. de Modo adiuvandi moribundos* **sese exprimit. Ipsum igitur Rit. Rom. maiorem fervoris gradum admittit in illis, qui maiori indigent auxilio in extrema lucta. Demum notandum est: si moribundi pie vixerunt et bene dispositi videntur, assistentia parochi est quidem bona, sed non necessaria «** *consuetudine generali ita interpretante »* **uti observat idem auctor** *loc. cit. num.* **5.**

Ad quartum descendens dubium animadverti posse videtur. Quamvis ad daemonum artes illudendas impetusque fran-

gendos cuiuslibet sacerdotis praesentia plurimum valet, maxime tamen illa parochi iuvabit, quia cum sit a Deo constitutus illius animae pastor et custos, credendum profecto est, Deum summe misericordem uberiora charismata esse largiturum pro salute animae, cuius cura ei est demandata. Parochus igitur infirmo se subtrahens post administrata Sacramenta privat illum singulari beneficio, quod ex pastorali eius assistentia in extremo vitae discrimine sperare potest. Attamen quia multiplex est parochorum occupatio, proinde facile evenire potest, ut duo concurrant officia quae simul perfici nequeunt ita ut visitatio et assistentia morientium saepe saepius omitti debeat. Ideoque Rit. Rom., hunc praevidens casum, statuit: « *Quod si parochus legitime impeditus, infirmorum ut quando plures sint, visitationi interdum vacare non potest, id praestandum curabit per alios sacerdotes* **». Licet nunc Rituale Romanum modo generali ita locutum sit, non distinguens inter varios infirmorum gradus, nihilominus admittendum putarem etiam prae oculis habuisse casum, quo quis in extremis sit constitutus.**

Quapropter praetermissis Synodis Provincialibus et Dioecesanis statuentibus Parochum per seipsum vel per alium sacerdotem teneri ad praestandam moribundis adsistentiam, satis sic mihi referre verba S. Caroli Borromaei in Conc. Mediolan. IV ubi statuit, ut procuretur alius sacerdos in casu, quo parochus legitime impeditus fuerit morientibus assistere, ibi : « Ubi hoc officium (administrationem SS.) pie accurateque K praestiterit (parochus) si aeger adhuc vivit aut animam agit, « ne eidem praesens adesse omniaque salutaria officia prae- « stare omittat. *Si vero adesse aliquando non potest* **vel quia « aliis graviter aegrotantibus Sacramenta ministrare necesse « habet vel quia in necessariis parochialis curae occupatio- « nibus aliis impeditur,** *tunc ea pietatis oficia illi a sacerdote, « si quis alius eo loco est, sollicite praestari curet ».*

Circa quaestionem, quae in quinto dubio proponitur, observandum puto cum Possevinio loc. cit. qui quaerens: *An Curatus teneatur apudmoribundum manere die ac nocte?* **Respondit:**

« Si moributidus sit impoenitens credo teneri omni modo et < via, dum superest halitus, illius salutem procurare et tanto « gravius teneri, quanto periculosius est damnum vicinum et « irreparabile moribundi. Si vero is recepit Sacramenta et « christiane vixerit est bonum apud illum manere sed non « necessarium, consuetudine generali ita interpretante ».

Circa sextum et septimum propositum dubium dubitari nequit quaestiones has varios in se continere casus. Difficillime siquidem esse videtur determinare, in hoc vel alio speciali casu veram et propriam adesse rationem dispensationis ab officio assistendi moribundis. Ponderandae potius viderentur circumstantiae parocho occurrentes, necnon status moribundi, eiusque morales qualitates. Etiam S. Carolus Borromaeus, hanc praevidens difficultatem, casus pro dispensatione occurrentes enumerare abstinuit et modo tantum generali locutus est conscientiae parochi relinquens, quando illae circunstantiae evenire possent.

Ex iis quae hucusque disputata sunt plane descendere videtur ad ultimum dubium responsio. Si enim Rituale Romanum praescribit ut parochus moneat domesticos et ministros infirmi ut si morbus ingravescat ipsum accersant, si omni modo curare debet salutem animarum, quae eius curae commissae reperiuntur haud ambigendum videretur quod non modo Parochus inassuetos parochianos praemonere debet de obligatione ipsum vocandi, ipsique facilem accessum praebendi, verum etiam et ad óbices serio removendos teneatur ut sibi viam ad moribundos sternat. Qui enim tenetur ad finem tenetur etiam ad media.

Quibus animadversis remissum fuit EE. CC. prudentiae decernere quo responso essent proposita dubia dimittenda.

RESOLUTIO. **S. C. Congr. causa discussa sub die 23 martii 1878, respondere censuit:** *Standum praescriptionibus Ritualis Romani, in reliquis consulat probatos auctores.*

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Noluisse forsan S. C. Congregationem aliquid determinare, per suum iudicium, in hoc gravi negotio cum et Rituale Romanum et graves probatique auctores saepe innuant strictam obligationem, qua Pastores animarum premuntur quoad sedulam adsistentiam moribundis praestandam.

II. Si enim ex S. Scriptura in hora suprema mortis « *descendit ad vos Diabolus habens iram magnam, sciens quia modicum tempus habet* » **quilibet conspicit, Parochum aliumve ad id officium habentes, teneri curas ingeminare ut in extremo mortis periculo subducant animas ex unguibus hostis callidissimi.**

III. Erui ex gravissimis auctoribus, nedum ex charitate, sed ex iustitia quoque Parochos onere obstringi animas sibi creditas coadiuvandi in eo extremo puncto, a quo vel in bono, vel in malo dependet aeternitas, neque facile excusari a laetari qui id conficere despiceret.

IV. Eoque fortiu s obligationem assistentiae eiusmodi, sive per seipsos sive per alios peragendae, urgere Parochos quoad illos morti proximos, qui quum vitiose habitualiter vixerint, maiori indigent auxilio in extrema lucta ut malignum hostem profligare valeant.

V. Tandem S. C. Congregationem ideo, forsan, noluisse certam determinare normam in subiecta materia ; quia cum ex altera parte certum sit onus adsistendi moribundis obligare Parochos sub gravi ; ex altera vero difficillimum sit enumerare casus, in quibus animarum pastores levari ab hoc onere possunt, tum a propriis circumstantiis, tum a statu moribundi, eiusque moralibus qualitatibus.

VI. Proinde videri Parochorum conscientiae relictum fuisse stricte pensitare circumstantiarum diversarum qualitatem casus cuiuslibet; iudiciumque instituere an eaedem tales sint, quae sollertem animarum pastorem, ab huiusmodi gravi onere eximere valeant, prae oculis habendo tum Ritualis Romani praescriptiones, tum probatorum auctorum sententias.

EX S. CONGR. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

REINTEGRATIONI^.

Compendium facti. Ad confratres alliciendos ut sacris adstarent, in Sodalitio *N.* quotannis quatuor dotalia subsidia dirhibentur quibus *a frequentia* titulus adiicitur. Ius ad huiusmodi consequenda subsidia peculiares Sodalitii constitutiones conficiunt. His capite 37 statutum est « ad dubia et contro« versias quae circa dotes de frequentia oriri possent remo« vendas ... dotale subsidium sortiri debere eos tantum qui « integri anni puncta pro quinque e sex partibus fuerint asse« quuti ». Verum ut cuiusque puncti assequutio certis legibus ordinaretur, cautum est eodem capite 37 « i. unumquemque « ex fratribus qui ad dotes de frequentia concurrat, curare « debere ut, per Secretarium în frequentiae libro proprium « nomen scribatur statim ac Oratorium ingreditur.

« 2. Sacris adsentiam ei non opitulari qui post incoeptam « primam officii lectionem venerit.

« 3. Infirmis punctum non concedi nisi Confraternitatis « Gubernatorem de propria infirmitate certiorem reddide« rint ».

Mense augusti 1875, prouti Sodalitii mos ferebat, Secretarius punctorum notulam confecerat ac in Oratorio exposuerat, ut cuilibet interesse habenti innotesceret. Integro anno (a mense septembris 1874 ad mensem augusti 1875) maxima frequentia constabat punctis septuaginta duo: et punctorum quinque partes numero sexaginta.

Quidam *Z* quinquaginta novem puncta tantum fuerat consequutus. Is in generali coetu diei 25 augusti coepit querelas movere, eo quod a subsidiorum sortitione excluderetur, opponens se quandoque morbo impeditum sacris haud interfuisse:

et ad normas constitutionum aegrotos tamquam praesentes esse habendos: ideoque tresdecim deficientium punctorum unum saltem sibi concedi posse. Obstiterunt alii confratres omnes ; et cum in facto constitisset quoties *Z.* de propria infirmitate certiorem Sodalitii Gubernatorem reddidisset, toties ipsi punctum fuisse concessum, eius querelae reiectae sunt. Quamobrem *Z.* Sacrae Congregationi Episcoporum et Regularium libellum obtulit ut suspensa interim dotalium subsidiorum distributione, quaestionem de frequentia ad iuris tramites dirimeret.

Re ad Ordinarium delegata pro *informatione et voto,* **hic confratres iterum congregari iussit ut** *Z.* **preces expenderent. Itaque comitia habita sunt die 26 martii 1876 : qua quidem die ad suffragiorum pluralitatem responsum est: confratris** *Z.* **querelas excipi nullo modo posse.**

Interea *Z.* **qui a natura rixosum animum sortitus est, quique iam haud semel ob iniurias in Sodalitii confratres ac moderatores coniectas, fuerat correptus, ac etiam suspensione mulctatus; ita saeviebat, ut eius provocationibus continua iurgia instaurarentur, in rixas mox convertenda. Ita factum est ut confratrum alii rogavissent ad scandalum removendum,** *Z.* **licet absentem tamquam praesentem habendum esse, dummodo a functionum frequentia abstineret: alii a frequentia ipsa destitissent ; ne ibi scandalum ac propriae animae discrimen immineret, ubi in Deo solamen praestolabantur. Quapropter die 27 augusti 1876 nova comitia habita sunt, ut perduellioni confratri sanctiones applicarentur iuxta constitutiones confraternitatis, quae incorregibilem confratrem ex albo Sodalitii delendum esse praecipiunt.**

Deinde qui ex confratribus, aestiva tempestate Roma abierant et Congregationi diei 27 augusti haud interfuerant, cum resolutionem noverunt, eam solemniter confirmaverant : protestantes omnes velut unus, se confraternitatem relicturus si *Z.* **inter confratres iterum cooptaretur. Et revera maxima ac melior sodalium pars huic protestationi subscripserat.**

Etiam hac de re Ordinarii votum sciscitati est S. Congregatio, quod in utraque quaestione Sodalitio adversum prodiit.

Causa oeconomice proposita fuit in coetu die 16 februarii 1877, qua die responsum est *ad Eminentissimum Ponentem.* **Verum cum Emi Ponentis curae ad animos conciliandos in irritum cessissent, nova disputatione instaurata acriter hinc inde certatum est prout sequitur.**

Disceptatio Synoptica.

QUAE CONFRATER *Z.* AFFEREBAT. **Duplicem rei tractationem pro binis quaestionibus instaurabat ipse ; alteram de exclusione a subsidiorum dotalium sortitione, alteram de expulsione a sodalitio. Quoad primum caput, constitutiones Confraternitatis invocabat quibus sancitum est, aegrotos absentes tamquam praesentes esse habendos. Se pluries revera aegrotasse, et nihilominus tamquam absentem habitum fuisse. Quapropter cum de unico puncto ageretur ut sortitionem subsidiorum dotalium admitti posset, nonnisi per aemulationem ac patenti iuris violatione dotium sortitionem sibi fuisse praepeditam.**

Quoad vero alterum controversiae caput, iniuria se albo Sodalitii erasum esse contendebat ex ipsius Sodalitii constitutionum *Capite VII,* **in quo legitur: neminem a Sodalitio expelli posse nisi triginta confratribus votum ferentibus, quorum viginti expulsionem admittant: nec non ex** *Capite XXXIV* **constituente « quoties adveniat ut aliqua resolutio in plenis « Sodalitii comitiis excipienda sit, nonnisi adstantibus confra- « tribus numero viginti quinque, validum decretum haberi « posse ».**

Iamvero nihil huiusmodi in casu servatum fuisse. Etenim non triginta aut sin minus viginti quinque, sed tantum quinque super decem sodalibus votum ferentibus se albo fuisse erasum. Nec quidquam facere, subsequentem protestationem

triginta fratrum adfirmantium se resolutionem diei 27 augusti 1876 in omnibus ita ratam habere, et si contigerit *Z.* **iterum inter sodales admitti, se omnes a sodalitio iri recessurum. Hanc enim protestationem nihil commune habere cum resolutione secretis suffragiis ferenda, quae nisi fuerit solemnitatibus cumulata a lege peculiari sodalitii requisitis, nullitatis vitium quo inficitur, numquam oppido sanare aliunde poterit.**

Tandem magnis viribus laborabat in facto *Z.*, **ut quas eius culpas confraternitatis moderatores prae oculis habuerant cum albo eum eraserunt, penitus excluderet.**

QUAE CONFRATERNITAS RESPONDEBAT. **Confraternitas orationis initium duxit praeponens tralatitium illud iuris Ecclesiastici, nempe controversias alicuius capituli vel confraternitatis non aliter esse dirimendas quam ad tramites constitutionum quae** *ius proprium* **moralis corporis exhibent. Ita** *Card. De Luca de iudiciis diseurs. 25, num. 44 «primum locum in iudicando occupat illud ius quod supra ultimo loco est recensitum, nempe particulare ... quod habeat aliqua universitas subalterna et quae comparative ad universitatem totius loci singularem personam repraesentat ... quod ius proprium et particulare praevalet iuri magis generali.* **Quibus praemissis pro utraque quaestione firmum manebat, nonnisi Sodalitii constitutionibus in subiecta materia esse certandum.**

Dein ad subiectam materiam descendens Confraternitatis orator primo loco de dotalibus subsidiis sermonem facturus, praemonebat, strictius ipsis constitutionibus esse adhaerendum: id enim expresse sancitum voluisse *Sacram Congregationem quam Summus Pontifex Innocentius XII deputavit ut bono regimini ac rectae administrationi piorum Urbis locorum consuleret,* **cuius decreta refert** *Bassi de Sodalitiis et Confraternitatibus Quaest. VII, num. 13* **«** *Ut dotalia subsidia quae « fidelium pietas reliquit ad subveniendum pauperibus honestis- « que puellis recte ac sine personarum acceptione distribuantur, « Sacra Congregatio iussit ; in omnibus dotalium subsidiorum*

< distributionibus, quae vel collegialiter a quodam sodalitio per^-
« ficiuntur, vel singillatim ab Officialibus et Deputatis, quam-
« vis ex illis sint quae superextantibus redditibus confici, vel
« alio quovis reditu assignari solent, quaeque vel monacandis
« vel matrimonio iungendis conferre debeant, inviolabiliter testa-
« torum mens servetur, ac respective ea omnia quae cuiusvis
« pii loci dolantis constitutiones praecipiunt in ea tantum parte,
< quae non officit testatorum dispensationibus ».

Itaque cum non liceret confraternitati vel minimum a pro prits constitutionibus discedere, quin hanc legem violaret ; strictissime iisdem adhaerendum erat. Verum in Capite XXVII constitutionum, frequentiae leges ita fuerunt conceptae ut quaevis exularet dubitatio circa subsidiorum dotalium distributionem. Et de fratribus infirmis expresse cautum est, ut ipsi tamquam praesentes non haberentur « nisi eos visitave-
« rint infirmorum visitatores aut saltem a Patre Gubernatore,
« et eo absente, a primo vel altero ex consiliariis, voce per
« aliquem ex confratribus non petierint ut visitentur, vel,
« quia accidere potest ut inopinate aliquis die ipsa congre-
« gationis morbo concipiatur, nec tempus subsit ad modera-
« tores Sodalitii monendos, fidem medicam non exhibeant ».

Ab hac Statuti ipsius Sodalitii proprii dispositione nullo modo deflectere licebat ; siquidem, agebatur de iuribus confratrum vel laedendis vel minuendis ad notas *leg. final, in fine ff. de pactis et leg. id quod nostrum est ff. de regul. iuris* **quibus praescriptum est, quod** *ius alicui quaesitum eo invito tolli non potest:* **nec non ad** *Regul. 18 Cancellariae de non tollendo ius tertii quaesitum.* **Et revera ius quaesitum erat confratribus qui sexaginta punctorum numerum attigerant, ut dotem consequerentur sortitione facta inter se; cuius quidem iuris discrimen passi fuissent, si alius confrater quilibet, qui tantum quinquaginta novem puncta fuerat assequutus, ad sortitionem admitteretur; quo enim maior sortem experientium est numerus, eo minor unicuique est praemii obtinendi probabilitas.**

Haec in iure. In facto ostendebatur toties confratri *Z.* **punctum fuisse concessum, quoties propriae infirmitatis certiores reddiderat confraternitatis moderatores. Quapropter (ita concludebatur) omnino non habetur unde pro** *Z.* **punctum sit accipiendum quod ipse quaerit.**

Secundam quaestionem de expulsione a Sodalitio aggressus Orator, excludebat applicationem Capitis XXXIV Constitutionum: cum *Z.* **erasatus albo fuerit ad normam capitum VII et XXIX. Iam in capite VII statutum est « quoties aliquis a « Gubernatore correptus et poenis mulctatus, quin se ipsum « corrigat in contumacia perseveret, si post secundum et ter- « tium monitum maioribus semper poenis adiunctis, in con- « tumacia adhuc insordescat, ipso facto eradatur ». Huius capitis applicationem esse faciendam in casu; nam expulsioni monita et poenae praecesserant, nec non suspensio fratris** *Z.* **quam confratres fere omnes in generali coetu diei 26 nardi 1876 solemniter probaverant. Contumacia vero ac ins* rdescentia eo usque processerant, ut alii sodales qui frequentiae operam navabant, supplices preces offerrent ultro spondentes: se puncta** *Z.* **absenti tamquam praesenti concessuros, dummodo idem a functionibus abstineret.**

Capitis autem XXIX omnes fere casus *Z.* **aptari quibus albo aliquem ex confratribus erasandum praecipitur: nam ipse in confraternitate et extra se talem gessit ut nemo qui a iurgiis et dissidiis abhorreret possit cum eo quiete ac pacifice vivere.**

Caeterum hoc peculiare accidisse in Sodalitio ut impossibile fere esset pro actuali confratrum numero resolutionem ullam validam habere, si stricte Capiti XXXIV esset adhaerendum. Totius vero confraternitatis maximam partem ac procul dubio meliorem contra *Z.* **recurrentem in comitiis diei 26 martii 1876 votum dedisse, suspensiones ad eam diem ipsi inflictas plenis fere suffragiis ratihabuisse, et licet in Congregatione diei 27 augusti 1876 ob plurimum confratrum discessum numerus suffragiorum haud magnus fuerit, non defuit**

postea plenissimum universae confraternitatis votum pro firmitate expulsionis in praedicta Congregatione constitutae, ita ut pleno iure dici possit: etiam ad tramites capitis XXXIV constitutionum, iure ac merito *Z.* **albo confraternitatis fuisse erasatum. Talia enim sunt aequipollentia, ut confratrum omnium assensus, quem constitutio XXXIV in prolatis esse vult, plenissimus in subiecta materiam habeatur.**

His aliisque disputatis propositum fuit

Dubium.

An et quomodo admittendi sint recursus Fratris Z. relate ad exclusionem a sortitione subsidiorum dotalium, nec non ad expulsionem a confraternitate in casu.

RESOLUTIO. **S. Congregatio in plenis comitiis diei 28 septembris 1877 responsum dedit:**

Negative in omnibus

Ex HIS ERUES :

I. Omnibus in quaestionibus quae internum alicuius moralis corporis gubernium respiciunt, peculiares constitutiones ab Ecclesiastica auctoritate approbatae *ius proprium* **ipsius entis conficere, ad cuius tramites quaestiones sunt dirimendae.**

II. Cum vero agitur de controversiis circa distributiones subsidiorum dotalium succurrere etiam provisiones S. Congregationis a Summo Pontifice Innocentio XI pro bono regimine et recta administratione locorum piorum Urbis Romae deputatae.

III. Licet eae provisiones tantum urbis pia loca complexae sint, ad omnia sodalitia tuto aptari posse eas leges quae constitutiones peculiares piorum locorum et testatorum voluntates servare praescribunt.

IV. Fortius tandem constitutionibus esse inhaerendum si laesio iuris tertio quaesiti contingeret.

V. Admitti non posse quaerelas pro violatione vel abusus constitutionum si is contra quem quaerela proponitur, quae per se facere potuisset, voluit et aliis proponere ut tutius procederet.

VI. In quibusdam casibus, etiamsi de odiosis agatur, per aequipollentiam probationem facti exiberi posse, dummodo factum probandum nulli dubitationi locum praebeat.

EX 8. CONGREGATIONE INDICIS

DECRETUM.

Feria II die 1 iulii 1878.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONE PAPA XIII Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae eorumdemque proscriptioni, expurgationi et permissioni, in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano die i iulii a. I8J8 damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur Opera.

Caverni Raffaello. De' nuovi studi della Filosofia. Discorsi a un giovane studente. Firenze, 1877, *Auctor laudabiliter se subiecit et opus reprobavit.*

Martig Emmanuel. Manuel d'enseignement pour les écoles et les collèges. Genève, 1876. Idem Opus sub hoc titulo:

Manuel d'histoire religieuse á l'usage des écoles et des collèges. Genève, 1877, *Opus praedamnatum ex II Reg. Ind. Trid.*

Soury Jules. Jésus et les Evangiles. Paris, 1878.

Réveillaud Eug. avocat, rédacteur en chef de *XAvenir républicain* **de Troyes. La question religieuse et la solution protestante. Paris, 1878.**

La crise de l'Eglise. Bruxelles, Imprimerie Van der Ghem rue de Leopold, 27.

Straud William. The physical Cause of the Death of Christ. London, 1871. - *Latine:* **Causa physica mortis Christi** *Opus praedamnatum in Regulis Ind. Trid. Decr. S. Off., fer. Vf* ***15*** *maii* ***1878.***

Datum Romae, die io iulii 1878.

ANTONINUS **Card.** DE LUCA, *Praefectus.*

L. $ S.

Fr. Hieronymus Pius Saccheri Ord. Praed.
S. Ind. Congreg, a Secretis.

Die 31 iulii 1878 ego infrascriptus magister Cursorum testor supradictum Decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.

Philippus Ossani, ***Mag. Curs.***

Feria II die 29 iulii 1878.

Jesualdus (P.) a Bronte Ord. Cappuccinorum. Consecrator christiani matrimonii in verum et proprium Sacramentum Novae Legis. Secunda editio. Catanae, 1876. *Decr. S. Off., Fer. IV, die* ***17*** *iulii* ***18/8.*** *Auctor laudabiliter se subiecit et opus reprobavit.*

Lazzaretti David. Opuscula omnia quocumque idiomate edita, *idest:*

— **Rescritti profetici ; o il Risveglio dei popoli, preghiere, profezie, sentenze e discorsi morali e famigliari dedicati ai miei fratelli italiani. Arcidosso, 1870,** *Decr. S. Off. Feria IV, die 24 iulii 1878.*

— **Regole del pio istituto degli eremiti penitenzieri e penitenti. Montefiascone, tip. del Seminario, 1871,** *Eod Decr.*

— **Avvisi e predizioni di un incognito profeta. Prato, 1871.** *Eod. Decr.*

— **Lettera diretta ai Parrochi. Arcidosso, tip. Gorgoni, 1873.** *Eod. Decr.*

— **Lettera anonima di profetici avvenimenti diretta a tutti i miei fratelli in Cristo. Arcidosso, 1873.** *Eod. Decr.*

— **Lettere profetiche di S. Francesco di Paola relative al gran Monarca ed all'Ordine dei Santi Crociferi di Gesù Cristo, lettere ai Romani e popoli d'Italia, avvisi alle Nazioni, e Monarchi di Europa. Napoli, 1873.** *Eod. Decr.*

— **Sogni e visioni. Prato.** *Eod. Decr.*

— **Cristo duce e giudice. Completa redenzione degli uomini. La mia lotta con Dio, ossia libro de' sette sigilli, descrizione e natura delle sette città eternali, Bourg, tip. Villefranche.** *Eod. Decr.*

•— **Le livre des fleurs célestes. Lyon - Pitrat.** *Eod. Decr.*

— **Manifeste aux peuples et aux princes chrétiens, suivi d'opuscules inédits du même auteur, et de quelques documents justificatifs relatifs à son procès. Lyon - Pitrat.** *Eod. Decr.*

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, quocumque loco, et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus ea tradere teneatur sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus Sanctissimo Domino Nostro LEONI PAPAE XIII per me infrascriptum S. I. C. a Secretis relatis, Sanctitas

Sua Decretum probavit, et promulgari pyraecepit. In quorum fidem, etc.

Datum Romae die 31 iulii 1878.

Fr. THOMAS M. **Card.** MARTINELLI, *Praefectus*

L. © S.

Fr. Hieronymus Pius Saccheri, Ord. Praed.
S. Ind. Congreg., ***a Secretis.***

Die 3 augusti 1878, ego infrascriptus magister Cursorum testor supradictum Decretum affixum et pubblicaturn fuisse in Urbe.

Philippus Ossani, ***Mag. Cur s.***

EX S. CONGREGATIONE SS. RITUUM

Dubia.

QUOAD OBLIGATIONES, QUAE REGULARIBUS VENIUNT POST FESTORUM REDUCTIONEM IN GALLIA, ANNO **1802** PERACTAM.

Hodiernus Kalendarista Carmelitarum Excalceatorum Provinciae Aquitaniae in Gallia, attenta opinionum varietate circa obligationes quae Regularibus veniunt ex indulto Card. Caprara 9 aprilis 1802 pro reductione festorum in Gallia, a Sacrorum Rituum Congregatione humiliter insequentium dubiorum solutionem expostulavit, nimirum:

Dubium I. **An Regulares, qui celebrant solemniter in proprio die Festum SS. Apostolorum Petri et Pauli, et Festum S. Stephani Protomartyris, item omnia festa Apostolorum**

iuxta ritum in Breviario assignatum, debeant, sicut Clerus saecularis, facere commemorationem Omnium Apostolorum die 29 iunii, et Omnium Martyrum die 26 decembris?

Dubium II. **An Regulares, qui celebrant cum solemnitate in proprio die Festa Epiphaniae Domini, SSmi Corporis Christi, SS. Apostolorum Petri et Pauli et Patroni Dioecesis vel Loci, debeant, sicut clerus saecularis, cantare Missam solemnem votivam eorumdem Festorum in Dominica infra Octavam eorum occurrente?**

Dubium III. **Cum Carmelitani Excalceati celebrent Dedicationem omnium Ecclesiarum Ordinis die 31 augusti, sub ritu primae classis cum octava, an debeant etiam celebrare Dedicationem omnium Ecclesiarum Galliae in Dominica post octavam Omnium Sanctorum sub ritu primae classis cum octava?**

Dubium IV. **Cum ex Indulto speciali, Festum S. Remigii T octobris, elevatum fuerit pro Gallia, ut aiunt, ad ritum dupl. min., quaeritur utrum istud officium sic elevatum obliget Regulares, et etiam illos qui, sicut Carmelitani, habent Kalendarium proprium a Sacrorum Rituum Congregatione approbatum?**

Sacra porro Rituum Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, audita sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibus mature perpensis ac consideratis rescribendum censuit :

Ad I. Affirmative iuxta Indultum 1802.

Ad II et III. Affirmative pariter iuxta citatum Indultum.

Ad IV. Dilata et exquiratur et examinetur concessio in dubio citata. — Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 4 ianuarii 1877.

A. Ep. Sabinen. Card. BILIO, **S. R. C.** *Praefectus.*

L. © S.

Piae. Ralli, S. R. C. *Secretarius.*

MONITUM.

QUOAD LITTERAS PII PAPAE IX INFRA RELATAS.

Quum omitti nequeat ob eius intrinsecum meritum huiusmodi documentum, utpote quod Ordinarii Parisiensis sapienter gallicanas refutet doctrinas, ideo illud referimus. Attamen nonnulla esse opportune praenotanda censuimus, ne memoria Archiepiscopi illius ulla gravetur ignominia, aut ne ullius offensionis causa fiat apud Catholicos Romanos. Hinc haud pretereundum illum litteras dedisse Pontifici Summo Pio IX sub die 2 martii 1871 quum Pedemontis copiae Romam iam, hostium more, invasissent, in quibus, inter alia, legere est... « Je m'en voudrais, si je ne prenais occasion de la présente « lettre, très Saint-Père, pour vous déclarer que j'adhère « purement et simplement au décret du 18 juillet 1870. [1] **« Peut-être que cette déclaration paraîtra superflue après la « note que j'ai eu l'honneur de remettre à Votre Sainteté le « 16 juillet de concert avec plusieurs de mes collègues; mais « il suffit que la chose vous soit agréable, comme on me « l'écrit, pour que je la fasse avec plaisir, surtout dans les « circonstances que vous traversez... » (latine vero). « Equidem, Sanctissime Pater, vellem, ni praesentes litterae occasionem darent, Tibi declarare, me** *pure et simpliciter* **adhaerere decreto diei 18 iulii 1870. Supervacua forsan videri posset declaratio istaec, post notam, quam Sanctitati tuae remisi die 16 iulii una cum pluribus meis collegis ; at sat est, ceu scripto certior fio, rem tibi cordi esse, ut eam libenter conficiam, praecipue ob temporum adiuncta, quae Te premunt ». Cui Sanctissimus Pater respondit: « Adhaesio tua pura et simplex Dogmaticis definitionibus Concilii Oecumenici Vaticani, maximam nobis**

[1] Hac die solemniter in Concilio Vaticano magisterium Romani Pontificis infallibile declaratum fuit. Quo facto Gallicanismum diem vidit supremum.

attulit laetitiam. Et arbitror Te, absque ulla mora, fidei populj tui propositurum quidquid ipse credere profitens ».

Dum Summi Pontificis implere desideria conabatur Archiepiscopus Darboy, captus est et in carcerem detrusus per feros Lutetiae Pasisiorum Socialistas qui, belluarum more, victimarum sanguine madefacti, caedes et rapinas inhiando, extremo affecerunt supplicio tum Archiepiscopum tum alios Sacerdotes eius infortunii socios. Martyrii palma, ut pie creditur, decorati isti confessores, generosam efflaverunt animam in Fidei Christi testimonium.

LITTERAE

SSmi D. N. Pii Papae IX ad R. P. D. Darboy, Archiepiscopum Parisiensem.

VENERABILI FRATRI GEORGIO

ARCHIEPISCOPO PARISIENSI, LUTETIAM PARISIORUM

Die 26 octobris 1865.

PIUS PP. IX

VENERABILIS FRATER

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Ex Epistola quam manu Nostra exaratam, die 24 mensis novembris, anno proxime superiore ad Te dedimus, perfacile noscere potuisti, Venerabilis Frater, Paternam Nostram in Te benevolentiam. Ea profecto spe nitebamur fore ut illis amantis Nostri in Te animi sensibus permotus, velles Nostrae erga Te dilectioni studiosissime respondere, Nostrisque desideriis perlibenter obsecundare, Tuamque erga Nos et hanc Petri Cathedram Observantiam ac Devotionem luculenter ostendere, veluti Catholicum Antistitem omnino decet. Atque eo magis id speramus quod cum ad istam Parisiensem Archiepiscopalem Ecclesiam fuisti designatus, Tuas ad Nos litteras perferendas curasti, quibus profitebaris Te Nobis et huic Apostolicae Sedi esse addictissimum et summa Nos eamdemque Sedem Reverentia colere. Hac igitur spe freti, in commemorata Nostra Epistola ne verbum quidem facere existimavimus de Tuis litteris, Kalendis mensis septembris, eodem superiore anno datis, quibus respondisti Nostrae Epi-

stolae, die 26 aprilis eiusdem anni tibi scriptae circa aliquas res ad istam Tuam Dioecesim pertinentes, quae Tuae litterae non leviter Nobis admirationi et tristitiae fuerunt, cum ex illis, praeter omnem expectationem Nostram intellexerimus Te eas habere opiniones quae divino Romani Pontificis in universam Ecclesiam Primatui omnino adversantur.

Et sane asserere non dubitas Romani Pontificis Potestatem in Episcopales dioeceses nec *Ordinariam* nec *Immediatam* esse. Opinaris Romanum Pontificem tunc dumtaxat in alienam Dioecesim posse Suam interponere Auctoritatem quando dioecesis ipsa ita aperte sit inordinata ac perturbata ut Summi Pontificis interventus sit unicum remedium quo animarum saluti et Pastorum negligentiae consulatur. Divinum autem ius, ex quo Episcopus est solus in Sua dioecesi Iudex, minime recognosci arbitraris, cum Summus Pontifex extra commemoratum evidentis necessitatis casum Sese dioecesis negotiis commiscet. Atque existimas dioecesim canonice erectam in qua Hierarchia est constituta, in missionum regiones converti, si Romanus Pontifex extra praedictum casum, Suam Potestatem erga dioecesim exerceat. Insuper, in sermone potissimum a Te ad istum Senatum habito, affirmasti abusum esse appellationes ad hanc Apostolicam Sedem, et oppugnas ius quo singuli fideles potiuntur appellandi ad Summum Pontificem, et inquis id impedire ac prope impossibilem reddere dioecesis administrationem.

Dum vero hanc doctrinam manifestare minime haesitas, claré aperteque declaras quibus modis uti velis ad eam firmiter servandam. Namque significas Tibi in animo esse totis viribus obsistere et curare ne directus Romani Pontificis interventus extra saepe repetitum necessitatis casum locum habeat, asserens Regularium et istius Nunciaturae et Romanarum Congregationum agendi rationem eo spectare ut Summi Pontificis interventus directo in dioeceses inducatur. Ac praeterea ais Te velle, tum alios Venerabiles fratres Galliae Sacrorum Antistites excitare ut una Tecum conspirent, tum ad vulgus appellare apta adhibita instructione.

Eodem autem sermone a Te penes istum Senatum recitato haud veritus es varios in medium proferre modos supremae Romani Pontificis et Apostolicae huius Sedis Auctoritati maxime contrarios, retinendi scilicet Apostolicas Litteras, illasque civilis Auctoritatis arbitrio placitoque subiiciendi, et confugiendi ad laicam Potestatem. Quo sermone, typis in lucem deinde edito, verba etiam faciens de articulis organicis, quamdam eisdem Auctoritatem et Reverentiam referendam censuisti, utpote respondentibus praeexistenti et graviori Societatis conditioni ac necessitati, cum haud ignores quomodo Apostolica Sedes contra eosdem articulos a laica Potestate editos et Catholicae Ecclesiae Doctrinae eiusdem Iuribus ac Libertati adversos protestan nunquam omiserit.

Equidem, Venerabilis Frater, nunquam credere potuissemus Te hisce sensibus esse animatum nisi illos ex praedictis Tuis Litteris mense septembri ad Nos datis, et ex memorato Tuo sermone, cum summo animi Nostri dolore agnovissemus. Non possumus enim non vehementer dolere et angl, cum praeter omnem opinionem cogitationemque Nostram, hac Tua sentiendi agendique ratione videaris favere falsis et erroneis Febronii Doctrinis, quas, ut noscis, haec Sancta Sedes reprobavit, damnavit et Catholici scriptores doctissimis operibus reprobarunt et profligarunt. Ac per Te ipse, perfacile intelligere potes, Venerabilis Frater, quanta afficiamur admiratione, dum animo reputamus eas a Te proferri sententias, quae Catholicae Doctrinae repugnant et a quibus idcirco, uti Ecclesiae Catholicae Antistes, vel maxime abhorrere debes.

Et quidem asserendo Romani Pontificis Potestatem in singulas dioeceses non esse ***Ordinariam*** sed ***Extraordinariam,*** propositionem enuntias omnino adversam Concilii IV Lateranensis Definitioni, in qua luculentissima ac decretoria illa leguntur verba: « Romana « Ecclesia, disponente Domino, super omnes alias Ordinariae Pote« statis obtinet Principatum utpote Mater Universorum Christi Fide« lium, et Magistra (Conc. IV, cap. 5) », scilicet eorum omnium qui pertinent ad Christi Gregem. Quae gravissima eiusdem Concilii Verba, Tibi apprime nota ac perspecta esse debent, Venerabilis Frater. Neque ignorare potes eamdem Tuam propositionem plane contrariam esse constanti usui et Doctrinae ab Universali Catholica Ecclesia, omnibusque eius Episcopis cum omni Veneratione exceptae ac traditae secundum quam, tum praesenti, tum praeteritis aetatibus, Ecclesia semper tenuit ac docuit, et docet ac tenet Divina illa Verba « pasce Agnos meos, pasce Oves meas » Beatissimo Apostolorum Principi ita a Christo Domino dicta fuisse, ut eorumdem verborum vi, omnes et singuli fideles Petro, eiusque Successoribus velut Supremis et Ordinariis totius Ecclesiae, omniumque Sacrorum Antistitibus immediate subiecti esse debeant, sicuti ipsi Christo Domino, cuius Romanus Pontifex verus est his in terris Vicarius ac totius Ecclesiae Caput omniumque Christianorum Pater et Doctor.

Non parum autem miramur, cum, quin forsitan animadvertens, ex Febronianis placitis sentias, ex commemorata doctrina, dioeceses, in missionum regiones et Episcopos in Vicarios Apostolicos converti, cum omnes cognoscant a Catholicis merito responderi, id tam esse falsum quam falsum est asserere in civili ordine, Ordinarios provinciarum Praefectos, Iudices, aliosque Magistratus non posse amplius nominari Magistratus Ordinarios, propterea quod Rex vel Imperator directa seu immediata et ordinaria Potestate et in singulos sibi subditos potiuntur. Qua aptissima sane similitudine utitur Doctor Angelicus cum inquit: «Papa habet plenitudinem Pontificalis Pote« statis, quasi Rex in Regno ; sed Episcopi assumuntur in partem

« sollicitudinis, quasi Iudices singulis civitatibus praepositi » (S.Thom., q. 26, art. 3).

Atque etiam non possumus non mirari Te, Venerabilis Frater, queri de petitionibus et appellationibus quae ad Romanum Pontificem deferuntur, quaeque ab ipso excipiuntur, quandoquidem, uti Catholicus Antistes, scire optime debes, appellationum ius ad Apostolicam Sedem, veluti innuit Immortalis Memoriae Benedictus XIV Decessor noster, « adeo necessario connexum, cum Romani Pontificis in Uni- « versam Ecclesiam Iurisdictionis Primatu, ut nemo possit illud in « controversiam adducere, nisi et hunc velit praefracte inficiari » (Bened. XIV, *De Synodo dioec,* lib. IV, cap. 5). Quod quidem ius adeo omnibus fidelibus notum est ut S. Gelasius Praedecessor item Noster *[Epist. VII, ad Episc. Sardin.)* scriberet : « Cuncta per Mun- « dum novit Ecclesia quoniam quorumlibet Sententiis ligata Ponti- « ficum, Sedes Beati Petri Apostoli, fas habeat resolvendi, utpote « quod de omni Ecclesia ius habeat iudicandi, neque cuiquam de « eius liceat iudicare iudicio; si quidem ad illam de qualibet mundi -< parte Canones appellari voluerint, ab illa autem nemo sit appel- « lari permissus ».

Hinc admirationem moves, cum affirmas Huiusmodi Apostolicae Sedis morem excipiendi eorum querelas, qui ab Episcoporum iudicio ad eamdem Sedem appellant, Tibi impossibilem reddere Tuae dioecesis administrationem. Talis enim impossibilitas a nullo Catholicae Ecclesiae Episcoporum tum praesenti, tum superioribus aetatibus fuit unquam cognita. Quod si huiusmodi impossibilitas a Te asserta existere unquam posset, eam Romanus Pontifex sentire deberet qui gravissima omnium Ecclesiarum sollicitudine distentus omnium dioeceseon petitiones excipere, easque accurate examinare ac dirimere tenetur; numquam vero simplex Episcopus qui de propriae dioecesis factis tantum respondere debet, quae totius Catholicae Ecclesiae exigua pars est.

Atque huiusmodi Tuae quaerimoniae contra appellationum ius ad Romanum Pontificem et contra ordinariam ac directam eiusdem Pontificis in omnes dioeceses iurisdictionem, et maiorem excitant admirationem, quod omnis religiosae mentis Episcopus ex eodem iure ac iurisdictione, veluti per Te ipse noscere potes, Venerabilis Frater, maximum solatium, consolationem ac robur percipit coram Deo et Ecclesia et coram ipsis Ecclesiae hostibus. Et quidem coram Deo: propterea quod, dum ex parte se a reddenda vilicationis suae ratione eximit, salutari Apostolicae Sedis lumine perfusus, magis in dies dirigitur ad suam dioecesim prospere administrandam; coram Ecclesia: nam hoc facto eam maiore usque coniunctione ac firmitate et regiminis unitate vigere et florescere videt ; coram Ipsius Ecclesiae inimicis : propterea quod contra ipsos hac ratione Episcopus fortior et constantior evadit. Omnibus enim probatum exploratum-

que est Episcoporum, non solum debilem, verum etiam adversariorum ludibrium tunc maiorem in modum fieri, cum Ipse minus adhaeret Immobili Illi Petrae super Quam Christus Dominus Suam aedificavit Ecclesiam et adversus quam inferi portae nunquam praevalituras esse promisit.

Quod autem declaras Te vel resistere, aliosque Galliarum Episcopos commovere et ad vulgus appellare, vides profecto hisce seditiosis sane modis a Febronio contra Apostolicam Sedem propositis, et Ipsum Divinum Ecclesiae constitutionis Auctorem graviter offendi et maximam tum Tuis Collegis, tum Catholico Galliarum populo iniuriam inferri.

Iam vero, de Regularium quaestione loquentes, scias imprimis velimus, Regulares ipsos nihil omnino ad Nos detulisse, cum visitatione a Te ipsis factam aliunde noverimus. Hac de re praedictis Nostris Litteris, die 26 aprilis datis, Te amanter monuimus: et idem Nostrum monitum tibi *sententiam* appellare placet, *parte inaudita* latam; et inquis, id esse contra iuris praesumptionem, quam semper pro Superiore stare existimas, quando inter Superiorem et inferiorem, veluti sunt Regulares, habito ad Te respectu, agitur controversia.

Vix credere possumus id ad Te dici, Venerabilis Frater, cum notissimus sit Tibi liber Decretalium Praedecessorum Nostrorum, et idcirco scias, omni semper aetate, hoc in more positum fuisse Romanorum Pontificum, ut cum audirent aliquid ab Episcopo quolibet minus recti specie peractum, ad Eumdem libere scripserit exprimendo propriam aegritudinem. Et quam plurimi existunt Canones incipientes illis verbis: «Relatum... Quaerelam ... Ad audien- « tiam... Ad Nostram Audientiam... Ad aures... etc. ». Neque Episcopi, huiusmodi Romanorum Pontificum Litteras unquam acceperunt veluti *sententias, inaudita parte editas,* neque unquam indignati sunt; sed easdem Litteras eo quo scriptae fuerant sensum exceperunt, scilicet tamquam invitationes, vel ad comprobandam rem a se peractam, vel ad recognoscendum malefactum, illudque reparandum. Diversa agendi ratio nimis difficile Christi in terris Vicario redderet totius Ecclesiae Regimen, et Episcopali mansuetudini haud satis esset consentanea.

In plures autem ambiguitates Te incidisse dolemus, Venerabilis Frater, quoad Regularium negotium. Nam, pro Tua prudentia, pri mum serio consideres velimus hic agi de Episcopali visitatione, tum Religiosis Societatis Iesu, tum Franciscalis Ordinis Capucinorum viris facta qui pluribus ab hinc annis in ista Parisiensi civitate, et sub variis Archiepiscopis Tuis Praedecessoribus commorantes, pacifica eorum Exemptionis possessione potiebantur; et proinde Apostolica etiam Sedes peculiari seu privativa sua in ipsos Iurisdictione pollebat. Itaque de spolio agitur per factum patrato contra possessionem quam Apostolica Sedes et Regulares habebant. Hinc verus est

quaestionis status, ex quo perfacile perspicis Apostolicam Sedem iuste egisse, etiam si placeret in Iudicium Sententiamque convertere verba illa quibus Te monendum duximus. Etenim, Venerabilis Frater, quamquam plenam haberes rationem, tamen minime ignoras ex utriusque iuris praescripto neminem de possessione deturbari posse. Quamobrem antequam Regulares et Apostolicam Sedem propria possessione ac Iure spoliares, Tuum erat, tum Reverentiae, tum Iustitiae causa, eamdem Sedem de Tuis rationibus certiorem facere, et ab eadem Sede expectare responsum. Quae Apostolica Sedes iustissime est operata, quandoquidem apprime noscis quod intercedat discrimen inter *iudicium petitorium* et *possessorium iudicium,* ac quae utrumque ius praecipue statuat circa cuiusque generalis spoliorum et ausuum iudicia. Vehementer optamus, Venerabilis Frater, ut id pro Tua prudentia sedulo considerare et intelligere velis.

Arbitraris autem Apostolicam Sedem ex praesumptionis iure, pro Superiore semper stare debere, quando inter dispares gradu quaestio habetur, ac regulam proponis illi longe dissimilem quam Sanctus Bernardus Innocentio II Decessor! Nostro proposuit illis verbis : « Hoc, « inter caetera Vestri singularis primatus insignia specialius nobilius « que nobilitat, Vestrum et inclytum reddit Apostolatum, si **eripias** « pauperem de manu fortiorum eius » (S. Bernardus, Epistolae 198).

At contendis Religiosas familias, Lutetiae Parisiorum degentes, haud posse perfrui exemptionis iuribus, propterea quod ipsae, veluti Tibi videtur, tres ob causas, non sunt canonice erectae. Et primum, quia istius Status leges non tribuunt Regularibus legitimam existentiam; secundo propterea quod ipsae leges non sinunt Regularium domos alicuius Dominium rei et Possessionem habere, ex quo evenit ut minime possit executioni mandari quod Apostolicae iubent Constitutiones, quae praescribunt ut ante fundationem omnino constet quomodo se decenter sustentare queant ; ac denique propterea quod Tridentina Synodus et Romanorum Pontificum Constitutiones, ad canonicam Regularium in dioecesibus existentiam requirunt Episcopi consensum, quem asseris nunquam impertitum fuisse Regularibus de quibus sermo est. Atque etiam asseris praecedentis existentiae factum nullo modo Canonicum eorumdem Regularium statum efficere posse: non titulo implicitae approbationis, quandoquidem Pontificiae Constitutiones et Concilium Tridentinum postulant, veluti opinaris, ut huiusmodi Episcopi Consensus, et Auctoritas sit expressa et scripto data, ante Regularium adventum ; non titulo praescriptionis, propterea quod ais agi de Lege irritante ac de Lege publici Ordinis quae, uti existimas, praescriptionem haud admittunt. Sed non dubitamus, quin per Te ipse cognoscas, Venerabilis Frater, huiusmodi argumenta nullam plane vim habere, pro Sua intelligentia, serio perpendas quae dicturi sumus quaeque a Te sedulo considerari summopere cupimus.

Et sane quoad legis Status quae Legitimarn seu Civilem Regularibus Ordinibus existentiam denegant et vetant illorum domos alicuius possessionis Dominio potiri, et ita impediunt quominus impleatur conditio a Canonicis Sanctionibus eorumdem fundationi imposita, ut nempe constet quomodo se cum decentia alant: quid valere unquam possunt huiusmodi Civiles Leges ad Ecclesiasticorum iurium rationem administrationemque? Te minime latet has Civilis Status Leges, hisce praesertim turbulentissimis, miserrimisque teterrimae ac perniciosissimae rebellionis temporibus, posse etiam Episcopalibus et cuilibet alii Ecclesiasticae Institutioni denegare in dies legitimam seu civilem existentiam, quemadmodum Ipsis omnem cuiusque rei possessionem Dominiumque iniustissime denegant. Ipsis igitur canonica existentia et propria eorum Ecclesiastica iura erunt unquam deneganda? Probe cognoscis Evangelicorum consiliorum exercitium, ad Christianam assequendam perfectionem maxime necessarium, faci lius in Religiosis Familiis obtineri posse. Poteruntne Civiles Leges Christianae Perfectionis exercitium in statu impedire, et Episcopi eiusmodi legibus Canonicam vim attribuere debebunt? Omnes quidem, et Episcopi imprimis, agnoscunt quae semper fuerit ecclesiae et huius Apostolicae praesertim Sedis, omnium Ecclesiarum Magistrae, agendi ratio circa huiusmodi Leges Regularibus inimicas et infestas. Episcopus igitur possetne ab huiusmodi traditione discedere, ac deserere locum quem in Ecclesia tenet, hasce leges sancire eisque coram Ecclesia aliquem attribuere effectum ? Quae quidem considerationes evidenter ostendunt quam inanis sit oppositio ex eiusmodi civilibus legibus petita.

Quod autem hae leges per summam iniustitiam decernunt Religiosas domos nihil omnino posse Dominii iure possidere, et idcirco censes haud posse impleri conditionem a Sacris Canonibus Regularium fundationi praescriptam, ut nempe constet de eorum decenti sustentatione, si eorumdem, quos appellas Canonum, spiritum et litteram penitus et accurate perspexeris, Venerabilis Frater, certe videbis te falli ac decipi. Etenim quidnam Canones postulant praescribendo illam conditionem ? Nihil profecto aliud exigunt et volunt nisi eorumdem Regularium bonum tum Singulorum tum recti praesertim cuius que Religiosae Familiae regiminis et administrationis ratione habita. Itaque cum omnino impossibile ipsis sit illam exequi conditionem, qua aequalitate posset in eorumdem damnum verti quod pro ipsorum bono est constitutum? Notissimae Tibi sunt de hac re non solum Canonum (Cap. Quod ob gratiam de Reg. iuris in 6), sed etiam Civilium legum regulae (Leg. null. 25 ff. de legit.) : « Nulla iuris ratio « aut aequitatis benignitas patitur ut quae salubriter pro utilitate « hominum introducuntur ea Nos duriore interpretatione contra ipso- « rum commodum producamus ad severitatem ».

Si autem Canonum litteras inspicias, num ipsi praecipiunt ut

Regulares quemadmodum Tibi videtur, possessionibus dumtaxat eorum dominii alantur et sustententur? Non certe. Hi Canones sunt: Constitutio « *Cum alias* » Gregorii XV Decessoris Nostri, die 17 augusti 1622 edita: Constitutio « *Cum saepe*» Urbani VIII item Decessoris Nostri, die 21 iunii 1625, et Constitutio « *Nuper* » Innocentii XII item Decessoris Nostri, die 23 decembris 1697. Ac satis erit eam afferre quae recentior est aliasque duas complectitur. Haec igitur Constitutio ita loquitur: «Deinceps vero monasterium conventus, «domus, etc.... Regularium nullibi recipiatur nisi in singulis huius» modi locis duodecim saltem religiosi degere et ex *redditibus et « consuetis eleemosynis,* detractis detrahendis, competenter sustentari « valeant ». Itaque Canones minime loquuntur unice de possessionibus, sed generatim de redditibus et eleemosynis contenti sunt.

Sed iam loquamur oportet de alia conditione seu de Episcopali Venia et consensu quem Tridentina Synodus et Pontificiae Constitutiones ad Canonicam Regularium domorum existentiam constituendam requirunt. Nemo certe, Venerabilis Frater, de huiusmodi Episcopalis Consensus necessitate dubitare potest, sed in praesenti quaestione est videndum, si hic Consensus sufficienti modo extiterit. Ac rebus omnibus sedulo examinatis, qua aequitate negari unquam poterit eiusmodi extitisse Consensum? Et sane, ut caetera omittamus, omnes norunt, Venerabilis Frater, commemoratos Religiosos tum Franciscalis Ordinis, tum Societatis Iesu viros reipsa plures abhinc annos istic extitisse sub variis Parisiensibus Antistitibus Tuis Praedecessoribus, qui eorumdem Regularium opera ad Animarum Salutem curandam, et ad omnia Sacri Ministerii Munia obeunda quam libentissime usi sunt, quique eosdem Regulares omnibus benevolentiae et honoris significationibus sunt prosequuti. Quae tuorum praedecessorum erga ipsos regulares agendi ratio clare ostendit Canonicum Consensum sufficienti modo expressum fuisse, illumque negari haud posse, quin maxima Tuis ipsis Praedecessoribus inferatur iniuria. Atque percommode cadit quod (de institut, cap. « non amplius ») Fagnanus auctor aequalis et etiam posterior Urbano VIII aliisque Romanis Pontificibus Praedecessoribus a Te appellatis et illarum Canonicarum Constitutionum quas recenses scientissimus scribebat, quin nemo unquam vel antea vel postea adversatus fuerit Glossa ultima in cap. de Monachis quaest. 2, ponderando verbum *probante* notat satis esse ut Episcopi Consensus accedat post erectionem quia ratihabitione potest confirmare et consentiunt ibi Hugo Archidiaconus et alii. Et revera aliter esse non potest, cum ita aequitas exigat, et quemadmodum iurisperiti loquuntur facta potentiora sunt verbis.

Ex quo pro tua sapientia intelligis nullum pondus habere tum animadversionem ex Urbani VIII Constitutione deductam, ut scilicet Ordinarii Venia *expressa* esse debeat et non *implicita* aut *prae-*

sumpta, veluti existimas, quoniam non minus id exprimitur quod certis, evidentibus et longa annorum serie continuatis factis exprimitur, quam quod verbis etiam scripto exprimitur. Ac multo minus valet alia animadversio, ut scilicet haec Episcopalis venia scripto sit tradenda, propterea quod non solum facta potentiora sunt verbis et scriptis, verum etiam propterea quod nulla Canonica Constitutio hanc scripti conditionem statuit. Neque afferri potest argumentum a Concilio Tridentino depromptum, ut scilicet Ordinarii consensus fundationem praecedere debeat. Nam Te minime latet, hunc esse proprium, naturalem et iuridicum omnis ratihabitionis quae ex sequen tibus factis oritur effectum, sanandi scilicet defectum illius actus qui recte praecedere debuisset. Nihil autem ad praesentem quaestionem attinet quod de praescriptione loqueris, cum nemo prorsus intendat aut velit Ordinarii Consensum per praescriptionem excludere, sed unice dicitur huiusmodi Consensum, tot factis, ac longa annorum serie amplissime declaratum, sine dubio ac sufficienti modo existere, ac non solum haud posse eumdem negari consensum, verum etiam pro certo haberi debere, illum omni meliore forma extitisse.

Iam vero dum haec praedictis Tuis potissimum litteris, Kalendis septembris ad nos missis rescribenda Tibique diligenter consideranda esse censemus, haud possumus quin alia quoque non levis certe momenti Tibi significemus. Namque dissimulare non possumus, Venerabilis Frater, summam fuisse Nostram molestiam admirationemque ubi accepimus Te exsequiis interfuisse Magni utriusque militiae Magistri Magnan et Solemnem Absolutionem fuisse impertitum, dum ex illis feretro Massonica etiam extabant insignia, et eidem funeri socii illius damnatae sectae cum eisdem insignibus adsistebant. Tuis litteris, die 1 proximi mensis augusti ad Nos scriptis, asseveras illa insignia nec a Te nec a Tuis Presbyteris visa fuisse, neque ea ullo modo a Te cognosci. Verum optime sciebas, Venerabilis Frater, illum defunctum virum, dum vixit ***Magni*** uti appellant ***Orientis*** munus proscriptae eiusdem sectae misere sustinuisse; et idcirco facile praevidendum erat eiusdem sectae socios illi funeri esse interfuturos ac simul curaturos ut ipsius sectae insignia ostentarentur. Itaque pro Tua Religione omnia Tibi erant sedulo consideranda et omnino ab illis exequiis cavendum ne Tua praesentia et opera excitarentur gravissima illa admiratio et offensio qua Omnes viri Catholici merito affecti fuerunt.

Etenim haud ignoras quomodo, gravibus etiam irrogatis poenis, ***Massonica*** aliaeque huiusmodi iniquitatis societates a Romanis Ponficibus Decessoribus Nostris et a Nobis ipsis damnatae fuerunt (Clemens XII, Constit. « In eminenti » ; Benedictus XIV, « Provideas » ; Pius VII, « Ecclesiam » ; Leo XII, « Quo graviora » ; Nostra Encyclica Ep., die 9 novembris 1846, et alibi). Siquidem huiusmodi impietatis sectae, nomine licet diversae, tamen nefario scelestissimorum

consiliorum foedere inter se coniunctae, ac teterrimo contra Sacrosanctum Nostram Religionem et hanc Apostolicam Sedem odio inflammatae, tum pestiferis scriptis longe lateque disseminatis, tum pravis aliis quibusque ac diabolicis prorsus artibus adhibitis omnium mores mentesque corrumpere, omnemque Honestatis, Virtutis, Veritatis ac Iustitiae ideam de medio tollere, et monstruosa opinionum portenta usquequaque spargere, et abominanda quaeque vitia, et infanda scelere fovere, propagare et Legitimae cuiusque Auctoritatis Imperium labefactare, et Catholicam Ecclesiam, si fieri unquam posset, Civilemque Societatem, funditus evertere, et Deum Ipsum de Coelo detrudere emoliuntur.

Nunc autem silentio praeterire non possumus ad aures Nostras pervenisse istic erroneam aeque ac perniciosam invaluisse opinionem, Apostolicae Huius Sedis acta nullam parere Obligationem, nisi acta ipsa Civilis Potestatis venia, executioni fuerint mandata. Quodquidem quam erroneum et Ecclesiae atque Apostolicae Sedis Auctoritati iniuriosum et Spirituali fidelium bono adversum sit, nemo certe non videt. Suprema enim Ecclesiae eiusdemque Sedis Auctoritas Civilis Potestatis imperio et arbitrio obnoxia nullo modo esse unquam potest in iis omnibus quae ad Ecclesiasticas res ac Spirituale Animarum Regimen quavis ratione spectant; et illi omnes qui Catholico Nomine gloriantur eidem Ecclesiae et Apostolicae Sedis religiosissime obtemperare, debitamque Reverentiam ac Devotionem exhibere omnino tenentur.

Atque hic animadvertas velimus Te, in commemorato sermone penes istum Senatum pronunciato, perperam asseruisse a Felicis Memoriae Benedicto XIV Praedecessore Nostro, in Conventione cum Sardiniae Rege inita, eidem Regi concessum fuisse Regiae executionis ius circa Pontificia Acta, quandoquidem affirmasti in instructione eidem Conventioni adiecta dici: « Pontificias Constitutiones « ad disciplinam pertinentes subiiciendas esse illius Senatus recogni- « tioni, easque Regia executione indigere, ut obligandi vim habeant, « exceptis constitutionibus et Apostolicis Litteris quae ad Dogma «Moresque spectant». Quae falsa sane assertio nunquam fortasse ex ore Tuo excidisset, Venerabilis Frater, si ante oculos habuisses diligenterque attendisses eiusdem instructionis verba. Et requidem vera in articulo III illius instructionis haec verba leguntur:

« Nel concordato del Pontefice Benedetto (XIII) trattossi dell'ese- « cuzione de' Brevi e Bolle apostoliche, come può leggersi nello « stesso Concordato. Fu tollerata la semplice visura, senza porre « alcun decreto in ordine all'esecuzione sopra dette Bolle e Brevi; « e si sa che tutto ciò è stato fedelmente adempito. E benché si « dica con ogni asseveranza, e si creda, che nè il Senato, nè verun « altro tribunale non ha assunta ad istanza di chi si sia la cognizione « sovra la giustizia o pretesa ingiustizia delle Bolle o de' Brevi desi-

« aerandosi nulladimeno, che il tutto mai sempre proceda con una « perfetta armonia, quando mai s'incontrasse qualche difficoltà con« traria all'esecuzione della Bolla o del Breve, e si bramasse di « saperne i motivi, dovranno i Ministri di sua Maestà, con i chiari« menti bastevoli per appagare, informarne o il Ministro della Santa « Sede residente in Torino, oppure i ministri Apostolici residenti in « Roma. Dalla semplice visura poi resteranno eccettuate le Bolle « dogmatiche in materia di fede, le Bolle e i Brevi regolativi del « ben vivere e de' santi costumi, le Bolle de' giubbilei e d'indulgenze, «i Brevi della sacra Penitenzieria,.e le lettere delle sacre Congre« gazioni di Roma, che si scrivono agli Ordinarii, o ad altre persone « per informazione ».[1]

Atque eiusmodi circa Regiae executionis veniam dispositiones nunquam immutatae fuerunt in posterioribus Conventionibus inter hanc Apostolicam Sedem et Sardiniae Regem initis, et in Conventione a recentis memoriae Gregorio XVI Praedecessore Nostro cum defuncto Sardiniae Rege Carolo Alberto super *immunitate personali* anno 1842 facta, ed plenum vigorem revocatae fuerunt praecedentes Conventiones, in iis omnibus quibus per eamdem Conventionem non fuit derogatum.

Tibi autem persuade, Venerabilis Frater, Nos haec omnia pro Supremi Nostri Apostolici Ministerii Munere ac pro Pontificia Nostra in Te Dilectione manifestare debuisse; ac futurum plane confidimus ut pro Tua Religione velis haec omnia Amantissima Nostra Monita ac Documenta quam libentissime excipere, iisdemque studiosissime obsequi, firmiterque adhaerere, ac germanam Catholicae Ecclesiae Doctrinam et Iura strenue tueri, debitamque erga Apostolicam hanc Sedem et Christi his in terris Vicarium Devotionem et Obedientiam

[1] *{Latini versio).* In concordato cum Benedicto XIII actum est de executione Brevium et Bullarum Apostolicarum, ceu legere datum est in eodem Concordato. Simplex visio tolerata fuit, quin ullum apponi liceret signum, aut; confici decretum quoad praedictarum Bullarum et Brevium executionem, scitumque est omnia fideliter adimpleta fuisse. Quamquam asseveranter dicatur et credatur quod neque Senatus, neque ullum aliud Tribunal ad instantiam cuiuslibet, inquisiverint quoad iustitiam aut praetensam iniustitiam Bullarum atque Brevium; tamen quum placeat omnia comiter procedere, si unquam difficultas exurgeret Bullarum et Brevium executioni contraria, cuius causae cognosci vellent, debebunt Suae Maiestatis Ministri, praeviis indiciis ad suadendum aptis, certiorem reddere vel S. Sedis Ministrum Taurini morantem, vel Ministros Apostolicos Romae degentes. A simplici visione excipiuntur Bullae Dogmaticae quoad Fidem, Bullae et Brevia quae normam bene vivendi et sanctos mores moderantur, Bullae Iubilaeorum et Indulgentiarum, Brevia S. Poenitentiariae, et Litterae SS. Congregationum Romae, quae Ordinariis aut aliis personis pro informationibus scribuntur.

omnibus inculcare et omnes boni Pastoris partes quotidie magis explere in hac praesertim tanta temporum iniquitate. Pro certo etiam habe Te apud Nos in praetio et honore esse et a nobis vehementer diligi, atque praecipuae huius Nostrae in Te benevolentiae testem et omnium Coelestium Munerum auspicem esse Volumus Apostolicam Benedictionem, quam toto cordis affectu Tibi ipsi, Venerabilis Frater, et Gregi Tuae curae commisso peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum die 26 octobris anno 1865, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

PIUS PP. IX.

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

Nominationes episcoporum et ecclesiarum descriptiones quibus sunt praepositi.

Die 15 iulii 1878.

Sanctissimus in Consistorio habito die 15 iulii 1878 sequentes proposuit Ecclesias.[1]

CATHEDRALES ECCLESIAS NEPESIN. ET SUTRIN. invicem perpetuo canonice unitas vacan, per translationem R. P. D. Ioannis Baptistae Paolucci ad Archiepiscopalem Ecclesiam Hadrianopolitan. in partibus infidelium; Sanctissimus promovit ad relatas Ecclesias R. D. Iosephum Mariam Costantini ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Aquipendii progenitum et quadragesimum quartum aetatis suae annum supergressum. Romae inter alumnos Pontificii Seminarii Pii, ubi et Vice-Rector emeritus, cooptatus, tum in sacra theologia, de qua publice disceptavit coram fel. rec. Pio PP. IX, atque in utroque iure dudum doctorali laurea donatus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM IPPOREGIEN. vacan, per obitum bo. me. Aloisii Moreno ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti; Sanctissimus evexit ad recensitam Ecclesiam *R.* D. Davidem Riccardi

[1] Alias eiusdem diei nominationes iam retulimus praecedenti fasciculo p. 161 et seqq.

ex legitimis, catholicis, nobilibusque parentibus Bugellae progenitum et quadragesimum quartum aetatis suae annum supergressum. Presbyteratus ordine, ac tum in sacra theologia, tum in utroque iure dudum doctorali laurea donatus est.

Eporedia, vel Eporredia urbs Salassorum inalpinae gentis ad Duriam flumen in edito colle per longum porrecta et in provincia Taurinensi sita, unius fere milliarii est ambitus, eamque ultra decem mille incolunt cives.

Cathedralis Ecclesia Assumptionis Bmae Virginis Mariae titulo gloriatur, optimum et elegans exhibet aedificium, atque Taurinensi Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum quinque recenset dignitates, quarum post pontificalem prima Archidiaconatus, tresdecim cum theologo ac poenitentiario Canonicos, aliosque Presbyteros et Clericos rei divinae operam navantes.

Per Canonicum Honorarium animarum cura ipsamet exercetur in Cathedrali.

CATHEDRALEM ECCLESIAM BELLOVACEN. vacan, per obitum bo. me. Iosephi Armandi Gignoux ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti; Sanctissimus, ad nominationem perillustris Viri Mauritii de Mac-Mahon Ducis Magentae, Galliae reipublice Praesidis, promovit ad recensitam Ecclesiam R. D. Franciscum Eduardum Hasley ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in pago, cui vulgo nomen *Sainte Mère Eglise,* Constantiensis dioeceseos progenitum et quinquagesimum tertium aetatis suae annum supergressus. Presbyteratus ordine dudum insignitus, in ecclesiasticis functionibus obeundis sese laudabiliter exercuit. A Secretis praedefuncti Archipraesulis Rothomagensis olim adlectus, eaque in Metropolitana Canonicatum assequutus, Parochus s. Audonei in Urbe Rothomagensi hucusque renunciatus est.

Bellovaci urbs et caput provinciae Oesiae in Gallia, in planitie optimo sub coelo sita, quindecim circiter mille continet cives, qui pene omnes sunt catholici, sub temporali gallico dominio.

Cathedralis Ecclesia, cuius structura nondum est perfecta, s. Petri Apostolorum Principis titulo gloriatur, gothicum praefert stilum, ampla satis ac decens est, atque Rhemensi Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum octo recenset cum theologo ac poenitentiario Canonicos, duos praebendatos Canonicos, quibus solemnioribus diebus etiam seminarii alumni adiunguntur, pro divino servitio.

Per Archipresbyterum a quatuor Vicariis adiutum animarum cura ipsamet exercetur in Cathedrali.

CATHEDRALEM ECCLESIAM BAIONEN, vacan, per dimissionem a R. P. D.Francisco Lacroix ultro, libenterque in manibus SANCTITATIS SUAE peractam, ab Eademque admissam; Sanctissimus ad

nominationem perillustris Viri Mauritii de Mac-Mahon Ducis Magentae Gallicae reipublicae Praesidis, evexit ad recensitam Ecclesiam R. D. Arthurum Xaverium Ducellier ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco, cui vulgo nomen *Soliers* dioeceseos Baiocensis progenitum, et in quadragesimo sexto aetatis suae anno constitutum. Episcopalis curiae Baiocensis, illiusque Antistitis a Secretis prius, hucusque autem Vicarius in spiritualibus Generalis pro eadem civitate ac dioecesi renunciatus est.

Baiona Galliae civitas in Aquitania et in provincia inferiorum Pirenaeorum ad Aturum flumen, ubi influit in Oceanum post receptum Nivum, ampla, dives et valde munita est, optimo potitur aere, et a viginti circiter millibus inhabitatur incolis sub temporali Gallico dominio.

Cathedralis Ecclesia, ampla satis, gothicaeque structura Beatissimae Virginis Mariae in coelum Assumptae titulo gloriatur, atque Auxitano Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum octo conflatur cum theologo ac poenitentiario Canonicis, quibus quatuor Praebendati ac solemnioribus diebus etiam seminarii alumni adiunguntur pro divino servitio.

CATHEDRALEM ECCLESIAM SPIREN. vacan, per obitum bo. me. Danielis Bonifacii de Haneberg ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti; Sanctissimus ad nominationem Serenissimi Bavariae Regis, vigore indulti Apostolici, promovit ad memoratam Ecclesiam R. D. Iosephum Georgium Ehrler ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in oppido Miltenberg dioeceseos Herbipolensis progenitum et quintum supra quadragesimum aetatis suae annum supergressum. Ab Herbipolensi Antistite ad ipsius dioeceseos loca ab haereticis stipata missus, plures per annos Praedicatores munere in metropolitana Ecclesiae Monacensi ad praesens usque perfunctus est.

Spira Bavariae civitas et caput provinciae palatinatus superioris ad Rheni fluminis ripam sita, ab ultra duodecim millibus inhabitatur incolis, quorum fere pars maior religionem catholicam profitetur.

Cathedralis Ecclesia picturis exornata ac novissime instaurata, mirae est magnitudinis et Byzantinae structurae, Assumptionis Beatissimae Virginis Mariae ac ss. Stephani proto-martyris ac Stephani P. M. titulo gloriatur, atque Bambergensi Archiepiscopo suffragatur.

CATHEDRALEM ECCLESIAM ZAMOREN. in ditione Mexicana Americae Septentrionalis vacan, per obitum bo. me Iosephi Antonii de la Peña et Navarro ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti; Sanctissimus promovit ad relatam Ecclesiam R. D. Iosephum Mariam Cazares et Martínez in quadragesimo sexto aetatis suae anno constitutum. Sacro presbyteratus ordine et in iure canonico dudum doctorali laurea donatus, et Mechoacanensis Ecclesiae Metropolitanae Canonicus Portionarius hucusque renunciatus est.

Zamora, alias Sentica, urbs provinciae Mechoacanensis in Mexicana ditione Americae Septentrionalis, ad fluvium Zamorense sita, optimo gaudet aere, ac duodecim fere mille complectitur incolas catholicos.

Cathedrali Ecclesia Immaculatae Conceptionis Beatissimae Virginis Mariae, ac s. Martini Turonensis Antistitis titulo gloriatur, solidum praesefert aedificium, atque Mechoacanensi Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum, quod septem constare deberet Canonicis ac sex Beneficiatis, presbyterorum deficientia quatuor in praesens enumerat Canonicos, tres Capellanos seu Beneficiarios, caeremoniarum magistrum, et Archidiaconum post pontificalem prima pollentem dignitate; seminarii alumni divinis inserviunt festivis diebus.

Per Parochum-Curatum animarum cura ipsamet exercetur in Cathedrali.

CATHEDRALEM ECCLESIAM SANCTAE CRUCIS DE LA SIERRA in Boliviana ditione Americae Meridionalis vacan, per obitum bo. me. Francisci Xaverii Rodríguez ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti; Sanctissimus promovit ad recensitam Ecclesiam R. D. Ioannem Iosephum Baldivia quadragesimum septimum aetatis suae annum supergressum. Nonnullis sive ecclesiasticis, sive civilibus perfunctus muneribus, ac inter Synodales Examinatores adscitus, tum Pacensis dioeceseos Vicarius in spiritualibus Generalis, tum eadem in Cathedrali Canonicus Doctoralis ad prasens usque renunciatus est.

Fanum s. Crucis de monte, vel s. Crucis de la Sierra, caput homonymae provinciae, civitas est Bolivianae ditionis in America Meridionali ad radices collis aedificata, eamque decem fere mille incolunt cives.

Cathedralis Ecclesia, satis amplae recentisque structurae, Sanctissimae Crucis D. N. Iesu Christi titulo gloriatur, et Archiepiscopo de Plata suffragatur.

Eius Capitulum quatuor cum theologo ac poenitentiario enumerat Canonicos, quos inter duas dignitates, quarum post pontificalem prima Decanatus, duos praeterea Praebendatos, aliosque Presbyteros et Clericos divinis inservientes.

Per Parochum animarum cura ipsamet exercetur in Cathedrali.

EPISCOPALEM ECCLESIAM E VARÍEN, sub Archiepiscopo Damasceno in partibus infidelium vacan, per translationem R. P. D. Pauli Goethals ab Archiepiscopalem Ecclesiam Hierapolitanam pariter in partibus infidelium; Sanctissimus ad dictam ecclesiam promovit atque attenta provecta aetate, aliisque circumstantiis, queis R. P. D. Ludovicus Carolus Feron Antistes Claromontensis gravatur, eidem in Coadiutorem cum futura successione deputa vit, accedente ad hoc perillustris Viri Mauritii de Mac-Mahon Ducis Magentae Gallicae

reipublicae Praesidis, atque praedicti Claromontensis Episcopi expresso consensu, R. D. Ioannem Petrum Boyer in quadragesimo nono aetatis suae anno constitutum. In dioecesi Augústodunensi et in civitate Aquensi Vicarium agens parochialem, et a Secretis Antistitis Aquensis adlectus, hucusque autem Decanus et Professor theologiae dogmaticae in facultate theologica ad Aquas Sextias renunciatus est.

Evaria et Evara urbs Phoeniciae ab infidelibus hucusque detinetur; quare miserrimi!s eius status silentio praeteritur.

Claromontium vero Galliae civitas in provincia, quae vulgo *Pay de Dôme* nuncupatur in colle sita ad montium radices, quadraginta circiter continet incolarum milia sub temporali Gallico gubernio.

Cathedralis Ecclesia Beatissimae Virginis Mariae titulo gloriatur, gothicam praesefert structuram, atque Biturcensi Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum novem recenset absque theologo ac poenitentiario Canonicos, queis alii adstipulantur Presbyteri et Clerici pro divino servitio.

Per Canonicum-Archipresbyterum animarum cura ipsamet exercetur in Cathedrali.

EPISCOPALEM ECCLESIAM HERMOPOLITAN. sub Archiepiscopo Damiaten. in partibus infidelium vacan, per obitum bo. me. Augustini Franco ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti; Sanctissimus evexit ad eamdem Ecclesiam R. P. D. Carolum Franciscum Bonaventuram Theuret ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco, cui vulgo nomen *Vars* archidioeceseos Bisuntinae progenitum ac sextum supra quinquagesimum aetatis suae annum supergressum. Priorem Eleemosynarum! Principis regnantis Monacensis, ibique Curatum Palatinum agens, Canonicus ad honorem Niciensi in Cathedrali, pro Vintimiliensi dioecesi Vicarius in spiritualibus Generalis. Inter SANCTITATIS SUAE Praelatos Domesticos, Referendarios a signatura iustitiae, atque Apostolicos Protonotarios ad instar participantium adscitus, novissime autem Apostolicus Administrator Monacensis Abbatiae ***Nullius*** renunciatus est.

Hermopolis urbs Aegypti ad Nilum fluvium inter Cynopolim et Antinoum sita ab infidelibus adhuc detinetur: quocirca miserrimus eius status silentio prateritur.

Publicatae dein fuerunt sequentes Ecclesiae, provisae per Breve Apostolicum.

ECCLESIA EPISCOPALI AVAREN. in *part. infid.* collata fuit R. P. D. Gulielmo Enrico Eider, translato de Natchesio, atque deputato Coadiutore cum futura successione R. P.

D. Iosephi Sadoc Alemany, Archiepiscopi S. Francisci de California.

ECCLESIA CATHEDRALIS GALVESTONIEN. **in Nova Aurelia, collata fuit R. P. D. Petro Dufal, Episcopo Delconensi in** *part. infici,* **deputato Coadiutori cum futura successione R. P, D. Claudii Mariae Dubuis Episcopi illius Cathedralis.**

ECCLESIA EPISCOPALIS CANEENSIS **in** *part. inftd.* **collata fuit R. P. D. Ioanni Seghers, translato de Vancuveria, atque deputato Coadiutori cum futura successione R. P. D. Francisci Norberti Blanchet Archiepiscopi Oregonopolis.**

ECCLESIA CATHEDRALIS HERRIENSIS ; **collata fuit R. D. Danieli Mac-Carthy Vice Rectori Collegii de Maynoot.**

ECCLESIA CATHEDRALIS CHICOUTIMIEN. **in Canada, provincia Quebecensi, collata fuit R. D. Dominico Racine.**

ECCLESIA EPISCOPALIS MELLIPOTAMEN. **in** *part. infid.* **collata fuit R. D. Antonio Butler e Societate Iesu, deputato Vicario Apostolico Guianae Anglicae.**

ECCLESIA EPISCOPALIS ZELAN. **in** *part. infid.* **collata fuit R. D. Petro Foucard e Societate Missionum Exterarum Parisiensi, deputato Praefecto Apostolico Kiang-si in Sinis.**

ECCLESIA EPISCOPALIS TREMITEN. **in** *part. infid.* **collata fuit R. D. Ferdinando Hamen e Congregatione Belgica Immaculati Cordis Mariae, deputato Vicario Apostolico Kan-Sou in Sinis.**

ECCLESIA EPISCOPALIS DIANEN, **in** *part. infid.* **collata fuit R. D. Felici Biet e Societate Missionum Exterarum Parisiensi, deputato Vicario Apostolico Thibet.**

Deinde Emus Cardinalis di Pietro pallium postulavit pro Ecclesia Ostiensi.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

SPONSALIUM.

Die 23 martii 1878.

Compendium facti. Pantaleon. C. praemissis publicis denunciationibus, inire matrimonio cum puella sibi benevisa iam constituerat. Huic rei perficiendae obstitit Gabriela C. impedimentum sponsalium producens, una cum defloratione et subsequuta prolis susceptione.

Curia Episcopalis die 16 novembris 1875 inimicam protulit sententiam mulieri, postquam hinc inde adducta perpendisset ; eo quod lex synodalis violata fuit. Quae synodalis lex quoad sponsalia rite ineunda decernit: i. « Ut fiant coram << duobus testibus et publico notario, vel coram aliqua per- << sona in dignitate costituta, puta Parocho, Sacerdote, Magi- « stratu. 2. Ut promissio et repromissio scripto tradatur et < sit subscripta a testibus et ab illo in cuius praesentia fiant. « Contrahentes, qui huic mandato obtemperare recusant, << subiicientur poenis interdicti ab ingressu Ecclesiae, et ex- « communicationis maioris ferendae sententiae. *Imo si et qua- « tenus ad bonum commune vel ad familiarem concordiam utile « iudicaverimus, huiusmodi sponsalia illicite contracta, in poe- < nam inobedientiae, nostra atictoritate dissolvemus ».*

Archiepiscopus apud quem Gabriela appellavit, visis videndis, censuit dictam sententiam esse adprobandam, retinendam atque confirmandam. Animo non fracta puella ex adversa fortuna, ab utraque sententia apud s. Sedem appellavit.

Disceptatio synoptica.

EA QUAE MULIERI PRODESSE VIDENTUR. **Per textum in** *L. i de Sponsa/, et can. j, caus. 30, q.* **5 colligi potest eam Sponsalium esse indolem, quae mutuam futuri matrimonii unice promissionis desiderent; et inter illos contractus cooptentur, £[ui nudo perficiuntur consensu** *L. 4, ff.* **55,** *de sponsa/.* **Atqui si in casu testium depositiones attente perpendantur, argumenta et coniecturae haud leves praesto sunt a quibus consensus emergere videtur. Relatum est enim mulierem, post partum, virum sollicitasse ut promissa adimpleret ; virum autem cognovisse obligationem in conscientia ducendi Gabrielam, atque ab eadem petiisse, an vestes et auros pro sponsalitio cuperet. Ex quibus non dubia eruuntur indicia quod inter ipsos contrahentes futuri extiterit matrimonii promissio et repromissio. Quibus addendum est virum ita Gabrielam amore deperiisse ut ex novem annis publico innotuerit eiusdem viri desiderium puellam in uxorem ducendi ; quod veluti uno ore probant omnes testes ab ipso adversario inducti. Ergo si Pantaleon iam in uxorem ducendi puellam animum pandidit, neque de eius amoribus cum ipsa habitis dubitari queat, concludi posse videtur intentionem suam mulieri manifestasse, et ab eadem acceptatam fuisse.**

Cui conclusioni in themate favet defloratio cum prolis susceptione. Etenim ex iure constat consensum in sponsalibus non solum verbis sed etiam signis et nutibus ostendi posse, *Devoti inst. canon.* **§ /05** *de Matrim.;* **ast nullum factum ipsa defloratione luculentius adduci potest, si de mulie ris honestate aliunde constet. Quia nullimode praesumi potest puellam, caeteroquin honestam, absque spe et fide obligati connubii tantam pati voluisse honoris iacturam** *Reiff, in ius Canon. lib. 4,* **§ 5,** *n. 68.* **In themate de puellae honestate haud ambigendum est ; quia testes utrinque inducti eam talem renuntient.**

EA QUAE VIRO PRODESSE VIDENTUR. **Huius advocatus praemonet puellam esse a limine iudicii reiiciendam exceptione rei iudicatae. Causa enim sponsalium veluti quaelibet alia quaestio, duobus sententiis in diverso iurisdictionis gradu definita in rem iudicatam transit, ac proinde exceptionem ita parit litis finitae ut ad trutinam revocari nequeat nisi, petita prius atque obtenta in integrum restitutione.**

Meritum vero causae aggrediens orator animadvertit sponsalia secumferre indissolubile matrimonii vinculum, et nativam cuique adimere libertatem ; proinde omni exceptione maiores requiri probationes promissionis seriae atque deliberatae utriusque contrahentis; ita ut si aliqua supersit dubitatio, contra eorundem existentiam sit iudicandum. Atqui si audias testium depositiones, qui a muliere inducti fuerunt, ne verbum quidem habetur de promissione et repromissione matrimonii ; et ideo pro inexistentia sponsalium concludendum est. Praeterea adducti testes sunt singulares ; alioquin ex *L. ç, cod. de tesi.* **constat quod nulla fides habenda sit in re gravis momenti unico testi, etsi praeclaro Curiae honore praefulgeat. Quin imo etiamsi plures sint testes, nulla ex eorum testimonio assurgit concludens probatio, si in dictis non sint contestes ad tradita per Rotam in Faventina,** *Sponsalium, jo iunii 7745,* **§5,** *coram Lana.*

Neque in themate recurri posse ad effugium quod copula atque praegnantia haberi debeat ceu praesumptio consensus mulieris ad matrimonium ; nam id evenit tantum in casu quod nitide constet de antecedenti viri promissione, deque mulieris integritate et honestate. Quae si deficiant ius admittit mulier ad matrimonium et ad dotationem, et reus est absolvendus iuxta Cosci, *De Spons. filior. famil., Vot. 7, n. /c.* **In themate vero viri promissio et mulieris honestas deficiunt ceu ex testium verbis eruitur. Quoad promissionem nulla adsunt verba ex parte viri quae praecise et nitide eamdem innuant. Ex verbis enim per testes relatis, nil aliud deprehenditur quam verba vaga, quae veram non constituunt promissionem, neque copulam praecedunt. Quoad vero mulieris honestatem adsunt**

testes qui autument se audivisse quod illa ante ultimam praegnantiam, abortum passa sit.

Adiecit tamen orator quod etiamsi sponsalia probarentur ea essent dissolvenda, iustae cum adsint causae ; nam matrimonia coacta infaustos plerumque exitus habere solent, *Cap. Quemadmodum de iureiur. et Cap. Requisivit Spons.* **In themate praeter inimicitias ortas ex lite inter sponsos ; habetur absoluta reluctantia viri ducendi Gabrielam in uxorem.**

Neque sustineri posse ait Orator, utriusque Curiae sententias in ea parte qua vir damnatur ad solvendum mulieri 400 libellas:

1) Quia nescitur an aliquid mali a viro passa sit. Et si

2) constaret semet illi subiecisse cum antea constuprata fuisset, praemium ex propria libidine haud nancisci debet.

Neque titulo dotis vim pecuniae Gabrielae tribuendam esse sustinet, quia res iudicata de ipsa non loquitur ; et quia non constito in themate de mulieris honestate, *nedum non constat actio stupri, verum etiam, licet mulier fuerit deflorata, amittit non solum ius ad matrimonium, sed ius quoque dotationis et reus est absolvendus iuxta Cose, vot. y, n. 86.* **Quibus rebus in utraque parte expositis diluendum propositum fuit**

Dubium.

An et quomodo sententia Curia Metropolitanae H. *sit confirmanda vel infirmanda in casu.*

RESOLUTIO. **Concilii S. Congregatio, re discussa sub die 23 martii 1878, responsum dedit:**

Attenta re iudicata non esse inter loquendum et ad mentem. Mens est ut scribatur Episcopo non sustineri dispositionem synodalem quoad facultatem Ordinario tributam dispensandi sponsalia, sine solemnitatibus contracta.

Ex QUIBUS COLLIGES :

I. Quamlibet quaestionem, etiam quoad sponsalia, duplici conformi sententia in diverso iurisdictionis gradu definiri et

in rem iudicatam transire ; ita ut exceptio litis finitae enascatur, et ad trutinam amplius revocari nequeat, nisi petita prius atque obtenta in integrum restitutio.

II. In Themate Sponsalium existentiam probatu difficillimam fuisse ; et socordia mulieris Curiarum sententias in rem iudicatam transiisse ; quare oportuisset ut mulier prius imperaret beneficium restitutionis in integrum ad utiliter reassumendam quaestionem [1] apud S. C. Congregationem.

III. Numquam Episcopis esse permissum aliquid inserere in suas Synodales constitutiones, quod iuri communi deroget, etiamsi illud necessarium reputetur ad evellendas corruptelas et rerum sacrarum tuendam religionem.[2]

[1] Emi Patres de merito quaestionis, existente reiudicata, loqui noluerunt; et potius quam suo iudicio définirent an valida nec ne essent praetensa sponsalia, rite oportere censuerunt ut Ordinarius moneretur de indebita auctoritate eidem a synodalibus constitutionibus collata.

[2] Sponsalia ex iure communi, cui Tridentinum non derogavit, plerumque voce tenus iniri solent, ideoque difficile probantur: quum eadem res, quam alter negat, ab alio adfirmetur: Neque per testes si adfuerint saepe saepius veritas emergere valet. Hinc iurgia et litigia multa inter familias. Prosper Lambertinius *Insta. 46 ad* rem ait: « Nonnulli Episcopi, « ut aditum his malis praecederent, irrita et inania quaecumque sponsalia « sanxerunt, quae sine parocho ac testibus praesentibus fierent, eo sane « pacto quo Tridentina Synodus per universum orbem decrevit irritum « matrimonium, nisi coram Parocho ac duobus testibus peragatur. Alii vero « ea sponsalia poenitus abroganda censuerunt, quae tabulis non praescri- « buntur ... Haec vero consilia probari ab eo non possunt, qui rem ex legi- « bus gerere, non autem temere et inconsulto sibi proponat ».

Etenim paulo post Concilium Trid. S. Congregatio Concilii rogata fuit ut declarare vellet etiam clandestinas istas promissiones non minus quam clandestina matrimonia nullius esse roboris et effectus. Ast eadem S. Congregatio anno 1573 censuit: « Concilium Tridentinum, *Sess. 24, « c.l, de ref. mitrim* decrevisse, tantum matrimonia per verba de praesenti clandestine contracta, irrita et nulla esse; sponsalia autem per verba « de futuro contracta reliquis se in illis terminis iuris, in quibus erant « ante Concilium ».

Hinc colligi potest omni vi destitui Episcopi decretum, quod irrita declararet sponsalia, quae inita non fuissent iuxta normas et praescriptiones a se constitutas sive a Synodo Dioecesana. Nam hoc decreto Episcopus fidelium libertatem limitaret iuri communi derogando, quod integrum hac in parte etiam Tridentinum reliquit.

FONTIS BAPTISMALIS.

Die 19 maii 1877, 23 martii 1878.

Compendium facti. In Dioecesi *N.* ... adest civitas quatuor fere millibus habitantibus frequens, quae tres habet paroecias, praeter ruralem cui subsunt omnes agrorum circumstantium incolae. Ex dictis tribus paroeciis una est Collegiata sub invocatione S."Andreae Apostoli, in medio civitatis posita, ac parochus Archipresbyteri titulo gaudet; altera dicata SS. Philippo et Iacob. Apost, partem orientalem, tertia sub titulo S. Ioannis Apostoli et Evangelistae, partem meridionalem civitatis gubernat.

Sciendum est duas portas civitatem habere, quarum una occidentalis altera orientalis dici potest, atque omnes domus extra eas existentes iurisdictioni Archipresbyteri subiici. Nuperrimis temporibus paroecia S. Ioannis decreto Episcopi translata fuit ad Ecclesiam S. Francisci ad Minores Conventuales pertinentem, quae ad iactum lapidis extra portam occidentalem exurgit; atque omnes domus extra eamdem portam, annuente Archipresbytero, paroeciae S. Ioannis seu S. Francisci, unitae fuerunt. Huiusmodi unio epistola Ordinarii diei 21 augusti 1874 confirmata fuit.

Post hominum memoriam Collegiata unice fontem habuit baptismalem, quo ceteri parochi utebantur in conferendo baptismate suis parochianis, atque percipiebant ea emolumenta quae fideles iuxta vires et pietatem offerebant. Unusquisque parochus clavem baptisterii retinebant. Unus tamen erat liber baptizatorum, cura et expensis Archipresbyteri asservatus, in quo omnes parochi indiscriminatim scribebant nomina infantium, quos sacro lavacro regenerabant. Emolumenta vero, quae decurrente tempore, derivarent ex fide baptismorum, privative ab Archipresbytero exigebantur, quaecumque esset

paroecia, ad quam fideles pertineret. Tandem animadvertendum quod Archipresbyter tenebatur ad manutentionem fontis.

Paucos dies postquam paroeciae S. Ioannis dicta domorum adiecto facta fuerat, parochus facultatem erigendi fontem baptismalem in Ecclesia S. Francisci, postulavit ab Episcopo, qui die 12 septembris 1874 precibus annuens rescripsit : *Cum nobis constet de veritate expositorum* **et** *cum Ecclesia S. Francisci in usum paroeciae de consensu interesse habentium destinata fuerit, in eadem ob iustam causam expositam baptisterium ad normam ecclesiasticarum legum quamprimum extrui auctoritate nostra ordinaria libenter concedimus.* **Huiusmodi tamen decretum Archipresbytero notificatum minime fuit, atque executioni demandabatur mense aprilis anni 1876, fontem erigendo in eo adamussim loco, in quo extiterat antiquissimo tempore, quando Ecclesia S. Francisci erat Collegiata sub titulo S. Mariae.**

Archipresbyter sua iura violata, ac sibi damnum illatum reputando, oblato libello S. Congregationi Concilii petiit remotionem fontis ac redintegrationem et restitutionem suorum iurium quibus spoliatum fuisse querebatur. Episcopus de more pro informatione et voto rogatus, contrariam Archipresbytero suam sententiam aperuit.

Disceptatio synoptica.

PRO PAROCHO **S.** IOANNIS. **Advertebatur in primis leges Ecclesiae maxime exoptare ut commodiori atque promptiori baptismatis collationi provideatur, ac ea propter in Concilio Meldensi ut cuique paroeciae fons adscriberetur decretum fuisse teste Francés,** *De Eccles. Cathedr., cap. iç, n. 25 ;* **imo ob populi commodum in Concilio Prov. Mediolanensi III statutum fuisse etiam in Ecclesiis non parochialibus erigi posse. His consonant Crispino,** *Della Visita pastorale, p. 2,* **§** *j, n. i ;* **Catalanus,** *Comment, in Ritual. Rom.; Barbosa, De Parochis, cap. 18, n.* **7-; ac praesertim S. Congregatio Concilii,**

quae, omissis aliis in una *Fulginaten., 22 iunii 1720* **dubio :** *«• An nova fontis baptismalis in Ecclesia S. Mariae Castri facta erectio sit substifienda* **» respondit : «** *Affirmative relicta libertate Parochianis S. Mariae Castri senioris deferendi iuxta solitum filios baptizandos etiam ad alias parochias et amplius ».*

Nec obstare dicebatur praxis eiusdem Congregationis, quae minime* concedit fontis erectionem Ecclesiis parochialibus, ubi baptismales adsunt ut fiat distinctio *matricum Ecclesiarum ab aliis curatis* **ut legitur in** *Reatina, Iurium Parochialium, 14 ianuarii 1860, § Haec* **aliisque pluribus S. C. resolutionibus praesertim in** *Guar dien., 13 iunii 1654, Boianen., Iurium parochialium, 24 maii 1732, dub. J, Vercellen., Iurium parochialium, 18 novembris 1747, Camerinen., Erectionis fontis baptismalis et iuris baptizandi, io februarii 1748;* **nam, quando populi commodum id exigere visum est, etiam in praeiudicium Ecclesiae Cathedralis, factam fontis baptismalis erectionem probavit, ut in** *Fabrianen., fontis baptismalis, 21 iunii 1732,* **in qua petebatur a Capitulo Cathedralis remotio fontis erecti a Camaldulensibus in Ecclesia S. Blasii, et S. C. quamvis prima vice pro Capitulo steterit, tamen reproposita causa recessit a decisis, nec amplius sententiam mutavit.**

Ex quibus patere dicebatur in casu factam fontis erectionem in Ecclesia S. Francisci esse sustinendam, quia id populi commodum atque utilitas exigebat. Praesertim cum Episcopus referat se *ex quadam ineluctabili necessitate* **ductum, ad fontis erectionem parochum excitasse. Ideoque imaginem quoque spolii in damnum Archipresbyteri evanescere, cum nedum auctorante, sed impellente Episcopo, controversam erectionem parochus peregerit. Hinc concludebatur pro manutentione fontis paptismalis in Ecclesia S. Francisci.**

DEFENSIO ARCHIPRESBYTERI. **Hisce omnibus defensor Archipresbyteri obsistens, spolium in damnum archipresbyteralis praebendae commissum fuisse sustinebat. Ac primo probata**

antiquissima possessione unici fontis baptismalis favore Collegiatae, aiebat fontem non esse constitutivum parochialitatis, nam habentur Ecclesiae baptismales quae parochiales non sunt, et pluribus in oppidis Ecclesia matrix unice fontem habet.

Historiam nos docere aiebat primis Ecclesiae temporibus solos Episcopos in suis Cathedralibus baptisma ministrasse *Bened. XIV Inst. i, n. 4,* **aucto vero fidelium numero etiam in aliis Ecclesiis baptisteria erecta fuisse, ita tamen ut in oppidis una tantum Ecclesia fontem haberet. Hinc factum esse ut « non omnes parochi baptisma suis ovibus ministrare possent, « sed ii tantum qui Ecclesiis Matricibus aut baptismalibus prae- « sunt ... nam facultas baptizandi ... tametsi inter iura paro- « chialia accenseri valeat... non tamen est constitutivum neces- « sarium Ecclesiae parochialis, cum haec talis esse possit etsi « fontem baptismalem non obtineat, more ducto a primis Eccle « siae initiis, cum et in maximis quibusque urbibus unus fons « baptismalis erat, ut observat Thomassin, idemque in pleris- « que Italiae urbibus servari tradit » Petra,** *In Const. Admo- « dum Gregorii IX,* **§ /5 et seq. ; Francés,** *De Eccl. Cath., Cap. 9, n. 24;* **Barbosa,** *Iuris Eccles., Lib. 2, Cap. i, n. 25 ;* **De Luca,** *De Parochis, Dis. 2c, n. io.* **Eadem decreta fuisse, addebat a S. Concilii Congregatione, quae referente Fagnano,** *Cap. Cum contingat De Decimis, n.* **57 decrevit « in omnibus « Ecclesiis parochialibus debere esse fontem baptismalem, nisi « essent in aliquibus specialiter Ecclesiis deputati fontes bapti- « smales, quae matrices, vel baptismales Ecclesiae vocantur, « ut fiat distinctio matricum Ecclesiarum ab iis curatis ». Eadem statuta fuisse subdebat in** *Licien., 19 aprilis 1606, Vol. io Decr. p. 149 a ter g.* **Ex his defensor concludebat parocho S. Francisci nullum ius fuisse erigendi novum fontem baptismalem, quia illum iam possidebat Collegiata.**

Hac posita possessione, quae ceteroquin neque a parocho negabatur, ut rite procedi posset ad novi baptisterii erectionem Orator necessariam affirmabat Archipresbyteri interpel-

lationem *Clem. Saepe De Verb. Signi/. Rota, Decis. 97, n. 4, p. 8 Recent.;* **quia agebatur de damno inferendo praebendae archipresbyterali: atque adeo necessariam, ut Fagnanus,** *Cap. ad audientiam De Eccl. aedif. 39* **scripserit praeiudicium beneficio afferri posse** *invito rectore,* **non tamen ipso non citato et irrequisito. Hanc doctrinam confirmatam fuisse sustinebat a S. Congregatione Concilii in** *Guardien., 13 iunii 1634,* **in qua infirmata fuit erectio fontis baptismalis facta ab Episcopo, quia Archipresbyteri, qui solus fontem habebat consensus defecerat.**

Quapropter cum clam facere intelligitur *qui celavit adversarium, neque ei denunciavit si modo timuit eius controversiam aut debuit timere leg. 3, ff.* **§** *Quod vi aut clam;* **cum** *quod latenter introductum est nulla debet stabilitate subsistere, Cap. 3, De Reg. Iur.* **et possessio hoc modo acquisita sit** *spoliativa* **et non** *manutenibilis Rota in Wormatien. Decanatus 19 iunii 1703* **§** *ult. cor. Muto;* **inferebat defensor, nullam fuisse erectionem factam a parocho S. Ioannis, ipsumque spolium commississe contra Archipresbyterum; qui propterea ante omnia erat in sua possessione restituendus** *Rota, Decis. 277, n. 13, p. 16 recent.*

Neque spolium cohonestan posse pergebat episcopali decreto, nam Episcopus iusserat fontem baptismalem erigi *ad normam ecclesiasticarum legum,* **quarum prima norma est, ut interesse habentes audiantur. Et posito etiam quod decretum adamussim executioni mandatum fuisset, spolium tamen subsistere, cum neque** *summi principis rescriptum sufficiat, ut possit quis alterius possessionem invadere S. Rota in Ferrarien. seu Mutinen., 4 martii 1831 cor. Rivadeneyra ;* **et licet possessio violata sit, vi decreti alicuius iudicis, semper spolium manet: ad hoc enim non est necessarium ceu docuit S. Rota ut « quis propria auctoritate alienae rei sibi possessionem « addicat, sed etiam si indicis auctoritate ac decreto confir- « metur, non legitime peractum dicitur ubi nullus servatus « ordo sit, ac illa praesertim omittatur, quae in iudiciis neces-**

« sarto requiritur possessoris interpellatio, quia possit iura « propria deducere ac versionem suae rei evitare *Sublacen. « Spolii,* 5 *iulii i8iç cor. Marco ».*

Post haec Orator ad defectum causarum erectionis ostendendum gradum faciens, aiebat, duas tantum afferri causas, nempe auctum fidelium numerum et distantiam parochianorum s. Ioannis/ab Ecclesia Collegiata.

Quoad primum inquiebat usque ad diem 21 augusti 1874 parochiam s. Ioannis 600 circiter habuisse subditos: ea vero die fere 300 additos fuisse, quia Archipresbyter cessit domos exurgentes extra portam occidentalem. Iamvero parochia nongentis tantum fidelibus constans, adeo numerosa dici non potest ut eidem necesse sit separatum fontem in propria Ecclesia habere, praesertim cum unius fons per tot saecula satis fuerit.

Rationem distantiae ridiculam vocabat, nam tota civitas, quae potius in longum porrigitur, metra 750 vix aut ne vix excedit, et Collegiata in civitatis medio posita est; viae commodae atque silicibus stratae, ita ut post hominum memoriam numquam factum sit, ut aliquod inconveniens infantium absque baptismate mortuorum ob Ecclesiae distantiam, acciderit. Atque eo magis hanc distantiam non esse attendendam urgebat quod s. Concilii Congregatio die 9 iulii 1672 in una *Cassanen. Iurium parochialium,* facultatem denegaverit erigendi fontem baptismalem Ecclesiae filiali in damnum Matricis, quae duobus millibus passuum distabat, atque viae erant difficiles et asperae ob continuatam nivis abundantiam.

Deficientibus vero causis, et rationem et non' interruptam s. Congregationis praxim docere instabat ad novi fontis erectionem, in damnum Ecclesiae illum iamdiu possidentis, deveniri non posse. Hic defensor nonnullas afferebat s. Congregationis resolutiones in quibus eretio novi fontis baptismalis Ecclesiis parochialibus denegata fuerat.

Demum advertebat huiusmodi defectum causarum indirecte fassum fuisse tum Episcopum, tum parochum. Episcopus enim

anno 1873 decernens novam paroeciarum circumscriptionem de necessitate novi fontis, ne verbum quidem fecit, parochus obtenta facultate dicti fontis erigendi rem distulit per biennium, quod evidenter ostendit iactatam necessitatem nullimode adfuisse.

Post haec pluribus Orator respondebat difficultatibus, ac praesertim illi quae opponebatur de fontis erectione facta anno 1846 in paroecia rurali. Quoad hanc reponebat violationem iuris Collegiatae tunc factam non esse rationem sufficientem, ut etiam nunc violaretur. Insuper differentiam ostendens inter primum et praesentem casum dicebat, paroeciam ruralem tria fere millia parochianorum habere, ac territorium satis amplum, ac multos ad duo vel etiam quatuor millia passuum procul a Collegiata domus habere. Quibus addere oportebat obliquos tramites, vias praeruptas per campos, salebrosos anfractus per sylvas ; quae omnia iustissimam praebebant causam erectioni fontis baptismalis in paroecia rurali. Huiusmodi vero causas minime adesse quoad Ecclesiam s. Francisci, quae immediate extra portam exurgit, nongentos tantum habet parochianos, quorum magna pars proximior est Collegiatae quam Ecclesiae s. Francisci.

Ex his concludebat fontem esse removendum, Archipresbyterum indemnem reddendum esse, quia cum parochus ius non haberet erigendi fontem baptismalem, cumque erexerit absque causis et Archipresbytero, prout de iure, minime requisito, nullo modo eius factum poterat sustineri.

Hisce ab utraque parte disputatis propositum fuit

Dubium.

An sit locus manutentioni et redintegrationi favore Archipresbyteri in casu.

RESOLUTIO. **Sacra Concilii Congregatio sub die 19 maii 1877, discussa causa, respondit:** *Negative.*

Hac resolutione se gravatum reputans Archipresbyter novam audientiam impetravit et iterum causa disceptata fuit.

In nova autem propositione etiam parochus s. Francisci defensorem selegit.

Hic erectionem fontis baptismalis defendebat ex eo quod cuique Ecclesiae parochiali ius sit baptisterium erigendi nisi vel alteri Ecclesiae maiori subdita sit vel alia speciali ratione hoc iure destituatur. Sed neutrum in facto occurrere dicebat, nam praefatae Ecclesiae parochiales omnino aequales et independentes sunt inter se, quin materialis existentia fontis baptismalis in Collegiata, tribuat eidem aliquam praeeminentiam super ceteris Ecclesiis.

Et revera neque *proprie* **neque** *improprie* **Collegiatam Ecclesiam** *matricem* **dici posse instabat, nam neque constat ceteras Ecclesias a Collegiatae dismembratione ortum habuisse neque ipsae sunt quasi subditae et in sacris peragendis adiutrices. Insuper detentio clavis fontis baptismalis ex parte parochorum, ostendit ipsorum dominium in communi illo fonte. Recolebat insuper distantiam a Collegiata pro habitantibus extra portam occidentalem, auctum populi numerum, plausum civium novi fontis erectioni, ita ut nedum ius parochum exercuisse, sed perutile opus explevisse contenderet.**

Ex altera parte Archipresbyteri defensor instabat tria requiri, ut novus fons erigi possit, quando adest Ecclesia baptismalis, nempe i. Gravissimae causae; 2. Consensus interesse habentium; 3. Compensatio (quatenus primum et secundum requisitum habeatur) illi Ecclesiae cui praeiudicium afferatur, *Spoletana Erectionis fontis baptismalis diei 23 ianuarii 1873.* **Causas minime adesse sese iam ostendisse dicebat; consensum interesse habentium requisitum non fuisse ex ipsa huius causae disceptatione patere; compensationem illati damni defuisse ex ipso decreto esse manifestum. Neglectis itaque ab Ordinario hisce substantialibus formis, nullius valoris factam erectionem esse contendebat.**

Neque opponi posse urgebat matricitatis defectum in Collegiata Ecclesia, quasi aliae paroeciae cum filiales non sint sibi vindicare possint quocumque tempore ius erigendi fontem

baptismalem, namque quoad hoc matricitatem non esse necessariam probabat ex supra citatis testibus Fagnani et Cardinalis Petra. Insuper referebat resolutionem s. Congregationis Concilii in *Ferentina Matricitatis et Fontis baptismalis diei 18 martii* **IJQJ, in qua quisque parochus nedum clavem habebat unici fontis existentis in Ecclesia Archipresbyteralis s. Petri oppidi** *Supino,* **sed etiam quisque proprium baptizatorum retinebat librum ; et tamen propositis duobus dubiis i.** *An constet de matricitate Ecclesiae Archipresbyteralis s. Petri in terra Supini ; 2. An constet de iure privativo eiusdem Ecclesiae Archipresbyteralis, habendi fontem baptismalem;* **responsum fuit ad i**um *Constare de maioritate, non constare de matricitate;* **ad 2**um *Affirmative.*

Hisce aliisque minoris momenti disputatis propositum fuit

Dubium.

An sit standum vel recedendum a decisis in casu.

RESOLUTIO. S. **Concilii Congregatio die 23 martii 1878, respondit :** *In decisis et amplius.*

HINC COLLIGES:

I. Primis Ecclesiae temporibus solummodo in Cathedralibus Ecclesiis extitisse fontes baptismales, solosque Episcopos, fidelibus ad Cathedralem Ecclesiam confluentibus baptisma contulisse.

II. Tractu temporis, aucto populi christiani numero baptisteria erecta fuisse etiam in aliis Ecclesiis, praesertim oppidorum, quarum rectoribus facultas facta fuit administrandi baptisma.

III. Huiusmodi Ecclesias ut plurimum, *matrices* **appellatas fuisse, vel** *proprie,* **quatenus ex earum territorii dismembratione aliae efformatae fuerint paroeciae, quae** *filiales* **vocatae sunt, vel** *improprie* **quoties una manente paroecia, ceterae ecclesiae succursales vel adiutrices essent.**

IV. Adesse Ecclesias simpliciter *baptismales,* quae fontem baptismalem possident, et privative, etiam quoad parochiales, ius habent administrandi baptisma;

V. Ideoque generale principium, quod cuilibet Ecclesiae parochiali ius sit erigendi baptisterium, limitationem pati, scilicet quatenus non habeantur Ecclesiae vel matrices vel baptismales, quae iam privative fontem possideant.

VI. In casu cum praerogativa matricitatis et ius privativum retinendi fontem, haud clare probaretur a Collegiata, videtur consideratum fuisse tanquam facultativum parochorum, novos fontes baptismales erigere ;

VII. Hinc cessasse in parocho obligationem interpellandi archipresbyterum, nec opus fuisse ut causae vel necessitatis vel evidentis utilitatis intercédèrent, ad novi fontis erectionem.

VIII. Quibus positis, cessasse spolium dicendum est, ac propterea archipresbytero denegatam fuisse compensationem emolumentorum quae percipiebat, quia forsan considerata fuerunt veluti praemium illius parvi laboris, quem sustinebat in relaxandis baptismatum attestationibus.

IURIUM PAROCHIALIUM.

Die 22 septembris 1877 et 15 iunii 1878.

Compendium facti. Capitulum Ecclesiae Collegiatae M. s. Concilii Congregationem adivit supplici libello exponens : curam animarum habitualem apud Capitulum residere; ex immemorabili consuetudine, quum Capitulum vocetur ad aliquam cadaverum associationem, ius benedicendi atque stolam induendi pertinere ad primam dignitatem functioni praesentem; deficientibus omnibus Dignitatibus, ad Canonicum seniorem, minime vero ad Parochum, vel eius Coadiutorem.

Vacante Archipresbyterali Paroecia, quae illius Ecclesiae prima dignitas est, Sacerdos G. Oeconomus Curatus renun-

datus est, qui apud Ordinarium reclamavit recognoscere nolens hanc consuetudinem. Episcopus, inaudito Capituló, decreto extraiudiciali diei 18 novembris 1875, abusivum declaravit actum quemcumque, a quolibet illius loci presbytero gestum ; iussitque solum Archipresbyterum curatum, et nunc vacante paroecia, Oeconomum Curatum, vel eius coadiutorem ab eodem delegatum, induere debere stolam in associatione cadaverum, benedictionem impertiendo in defunctorum domibus, observatis Ritualis Romani et praxeos ecclesiae praescriptionibus.

Capitulum, quum ferre nollet propria iura laesionem capere, petiit a s. Congregatione Concilii ut dictum revocaret decretum, declarandum servandam esse praefatam consuetudinem

Congregatio Concilii super hanc rem informationem quaesivit ab Episcopo, qui mandatis morem gerens respondit. Praetensa iura Capituli omni iuridica basi carere ; curam animarum non esse habitualem et penes Clerum, sed esse actualem et pertinere ad Archipresbyterum curatum, primam Capituli dignitatem. Capitulares nunquam sese ingessisse in rebus Paroeciae ; proinde consuetudinem allatam haud existere nec principium habere potuisse.

Ritualis Romani praescriptiones et s. Rituum Congregationis decisiones pugnant contra Parochorum pluralitatem in eadem paroecia; ideoque praetensa Capitularium iura proprio pondere ruunt; quia omnes unius Paroeciae Parochos esse praesumunt. Neque tacendum omnes longe aufugisse, uno dempto Oeconomo, quum populus morbo afflictaretur cholenco, maxima cum admiratione et fidelium scandalo, quin praetensa iura parochialia curarent ; dum ex charitate saltem tenebantur adesse moribundis et fero morbo excruciatis.

Disceptatio synoptica.

OECONOMI CURATI IURA. **Stolae usus et Cadaveris benedictio, etsi Capitulum Collegiatae Ecclesiae accedat ad funus, ad Oeconomum Curatum spectare videtur ; eoquod sacerdos G.**

paroeciae rite gubernandae causa subrogatus atque substitutus fuit ab Episcopo, Archipresbytero e vivis elatö. Atqui tralatitium in iure est subrogatum de iure succedere in locum eius, cui subrogatur in commodis aeque ac incommodis *L. i, C. de Offic. Vic.* **eodemque iure et privilegio utitur et ut eleganter dixit Bald,** *in L. Parabolonos C. de Epis, et Cleric. n. i et 2. Ille qui est subrogatus, debet esse eiusdem iuris et conditionis, cuius est ille, in cuius locum subrogatur.* **Quare haud ambigendum est Oeconomo Curato praestandum fore eumdem honorem eamdemque praecedentiam, quae Archipresbytero in praedictis functionibus conceditur,** *Samuel de Sepultura, tract, i. disp. j. contr. 2, n. 1 1 , Gratian, discept, for ens. 2ç8, n. 84,* **Rota** *in Sutrina Praecedentiae 4 februarii 1713* **§** *Separatis in Un. cor. Lancetta.*

Neque exigitur ut in subrogato concurrant caeterae qualitates subrogantis ad effectum gaudendi iisdem praerogativis, quia in his terminis non attenditur maioritas, vel minoritas personae, sed functio, exercitium actus et indumentum sacrum, ad effectum habendi praecedentiam attenduntur, quae regulariter debetur in iis, in quibus subrogantem repraesentat; Felin. *in Cap. Cum olim, num. i. de Offic. Deleg.,* **Gratian.** *discept, for ens. 2ç8, n. 4.* **Hinc est quod minus nobiles praeferuntur nobilioribus, ac dignioribus ratione actus competentis ex officio et in illius exercitio** *L. i, C. de offic. Vicar. Felin. in rubr. de maior, et obed. n. 2.* **Adeo ut simplex Capellanus Curatus amovibilis ratione officii praecedere debeat aliis Sacerdotibus aetate ac promotione antiquioribus ex declaratione sacrae Congregationis Rituum in Nucerina 16 aprilis 1644. Imo ipse Capellanus faciens officium cum superpelliceo et stola praecedit etiam ipsi rectori ecclesiae cui inservit,** *Nucerina Paganorum* ***II*** *iulii 1637, s. Rituum Congregatio censuit, Sacerdotem Capellanum seu Portionarium in Parochiali, facientem officium cum cotta et stola debere habere primum et digniorem locum in choro, etiam supra proprium Rectorem, non obstante contraria consuetudine.* **Hoc ipsum censuit** *in Maceraten. io iunii 1656.*

Eadem ratione ipse Episcopus assistens cum cappa Vesperis solemnibus thurificatur post celebrantem iuxta Caeremoniale lib. 2. Cap. 2.

Communis autem Doctorum opinio est, quod in processione funebri, in qua Parochi incedunt tamquam Praelati atque Pastores praecedere semper omnibus debeat proprius Parochus et ab illo privative quoad alios exercendi sunt omnes actus iurisdictionis qui ob eamdem occasionem explentur sive in domo defuncti, sive per viam, sive intra Ecclesiam parochialem, ceu pluries resolvit s. Rituum Congregatio et praesertim in *Aversana 13 septembris 1640, in Novarien. 21 septembris 1681, Barbosa de Paroch. cap. ç, n. 11 et cap. 26, n. 74.*

Atqui delatio stolae in processione funebri signum est parochialis officii et iurisdictionis ceu eruitur ex adductis sacrae Congregationis Rituum resolutionibus et ex s. Rota *in Nullius seu Montis Cassinen. Manutentionis* **super delatione stolae 22 iunii 1714, §** *Merito cor. Ansaldo, Monacell. formul, legal, tom. 2, tit. 13, formula prim. n.* **77. Ergo nemo inficias ire poterit, quin illa a proprio parocho, sive illius Oeconomo privative deferenda sit, cum omnimode praecedentia supra quoscumque, ut uno ore tuentur Barbos,** *de offic, et potest. Parochi part. 3, cap. 26, n.* **7. De Luca.** *Praeeminent, disc. 43, n. 3.* **Et iure optimo ; nam eo ipso quod quis sit constitutus Parochus aut Oeconomus debet administrare suo populo non solum sacramenta, sed ea etiam, quae ex suo munere ipsis sacramentis sunt adnexa, ratione exercitii curae animarum. Officium autem funeris et administratio sacramentorum sunt invicem adnexa tamquam ordinata ad ea, quae debentur morituro, ac defuncto ex officio pastorali. Constat autem quod ius ministrandi sacramenta pertinet ad parochum seu Oeconomum quoad omnes, qui sunt in ipsius Parochia; ergo ad eumdem pertinebit ius peragendi officium. Praeterea officium funeris intes sacramentalia recensetur : ast Suarez in** *3 par. D. Thom. disp. 13, sed. 2,* **in fine ait : pertinere sacramentalia administrare ad eum ad quem spectant sacramenta. Sacramenta autem**

ministrare ad solos Parochos spectat et *Trid. sess. 24. cap.* /**j>,** *de ref.*

Frustra convolat Capitulum ad consuetudinem pro tuendis suis iuribus ; quia Pius IV Constit. *In Principis Apostolorum* **statuit habendas esse ceu abusus atque corruptelas omnes consuetudines adversus parochialia iura.**

CAPITULI IURA. **Capitulum ex opposito autumat sibi competere ius, de quo agitur tum vi curae habitualis penes ipsum residentis, tum vi immemorabilis consuetudinis. Curam habitualem animarum esse penes seipsum eruit ex quodam curiae decreto diei 18 novembris 1779 edito occasione qua duo Sacerdotes aspirantes ad recipiendam in Collegiata Ecclesia participationem, adveniente tempore admissionis, ac adimpleto servitio iuxta statuta, petierant admitti ad examen, tam quoad doctrinam, quam quoad requisita, « Visis actis examinis Sacer« dotum ... adspirantium ad admissionis participationem in « Ecclesia Collegiata receptitia cum cura animarum ... per« pensis ipsorum adspirantium qualitatibus et requisitis, quae « maiori studio atque exercitatione indigent, ut proveedores, « ac Ecclesiae Dei utiliores reddantur et maximo sint adiu« mento populo in cura animarum, dicimus ... ad participa« tionem supradictae Ecclesiae ... esse admittendos adveniente « tempore admissionis de more illius Ecclesiae. Verum post « annum melius instructi redeant ad novum examen ... ut per« specto eorum profectu in studiis et Ecclesiae servitio pos« sint deputari ad catecheses in Ecclesia faciendas, aliasque « functiones parochiales absolvendas pro conscientiarum dire« ctione animarumque salute...». Imo subdit eodem decreto vetitum fuisse Capitulo inservientes etiam absoluto servitio ad participationem admitti, nisi prius exhibuissent « ipsi Capi« tulo, praeter alia consueta requisita quoad servitium, etiam « litteras declaratoriae ... Curiae de idoneitate et habilitate «petentium». A quo documento duo colligi posse censuit Capitulum; primo nempe curam animarum esse habitualiter penes Capitulum ; secundo singulos participantes ex eisdem,**

consequenter habiles esse debere ad catecheses in ecclesia faciendas, aliasque functiones parochiales absolvendas pro conscientiarum directione, animarumque salute, etsi Parochus aut Oeconomus Curatus aut alius de eius mandato curam animarum retineret.

Hoc posito, nil mirum si Capitulum ab initio sibi reservaverit, unum ex iuribus Parocho competentibus, iuxta SS. Canones, nempe ius stolam induendi nigram in funeribus pro prima Dignitate aut pro Canonico seniori, atque cadavera benedicendi, quum associationibus intersit vel Capitulum totum vel eius pars. ~

Pro nihilo autem habendas esse praescriptiones Ritualis Romani, Constitutionem *Apostolicae Sedis* **S. Pii V, ex adversa parte adductas, quia in themate Parochus defuncti est ipsum Capitulum. Quod si ita sit, haud repugnare potest, interveniente Capitulo, Digniorem stolam induere, simulque cadaver aqua aspergere benedicta. Eo vel magis quia consuetudo immemorabilis Capitulo favet. Et ideo Capitulum ad secundum descendens argumentum ait, etiamsi consuetudo istaec esset** *contra ius,* **proprium ius haud nutaret. Nam consuetudo contra ius vim legis habet si rationabilis sit et legitime praescripta. Rationabilis babetur si iuri naturali aut divino non adversatur, nec a iure canonico reprobatur, nec occasionem peccandi praebeat Suarez,** *lib. y, de leg., cap. 6, n. io.* **Legitime praescripta dicitur consuetudo si habeat frequentiam actuum, quibus inducatur, voluntatem eius inducendae in illis» qui eam servare debent, consensum sive explicitum sive tacitum legislatoris, diuturnitatem temporis, quod in consuetudine contra ius esse debet 40 annorum.** *Cum haec servata sunt, non modo consuetudo legi vim adimit, sed etiam vim tan tam habet, ut recentiori lege non derogetur, nisi id nominatim conscriptum cautumque sit.* **Devoti,** *Inst. Can., lib. i, cap. 2,* **§ 50. Haec omnia adesse in consuetudine de qua agitur, asseruit Capitulum ; actuumque frequentiam per viginti testes fide dignos probavit. Deponunt enim de visu, id ab immemora-**

bili observatum fuisse atque fatentur, id a maioribus audivisse. De Luca, *Adnotat, ad Conc. Trid., disc,* ***II****, n. 12, de Decim., dise, y, n.* **j.**

Hisce hinc inde animadversis, propositum fuit dirimendum

Dubium.

An Decretum Curiae **O.** *sit confirmandum vel infirmandum in casu.*

RESOLUTIO. **Concilii S. Congregatio, re discussa sub die 22 septembris 1877, censuit respondere:** *Dilata et coadiuventur probationes, praesertim super asserta cura habituali et consuetudine.*

CAUSAE PROSECUTIO. **Ut utrumque perficeret Capituli orator sategit. Ad evincendam curam habitualem usus est verbis ipsius Ordinarii, qui die 12 iulii anni 1854 Capitulo scribens super quadam quaestione, inter alia ait: quum Cura posita sit super Capitulo isto, quod debitam congruam praebet Archipresbytero ... Et melius in alio epistolio eiusdem anni. « In Collegiatis ubi prima dignitas talis est naturae, (cui nempe adnexa est animarum cura) cura animarum posita est in Capitulo. . . . ». « Ergo concludendum est talem curam habitualiter esse penes Capitulum, in exercitio actualiter Archipresbyteri ».**

Quoad consuetudinem, ait defensor Capituli, probatam fuisse testimonio plurimorum in prima propositione ; eamdemque rationabilem dicit, prouti descendentem ex habitualitate curae in Capitulo residenti. Si dicta non reputentur satis, exorat defensor, ut formale examen iubeatur praevio iuramento tam ipsi Oeconomo qui duodecim abhinc annis officium parochi implet, quam ipsius substitutis, ad evincendum an consuetudo de qua agitur unquam controversa, vel suspensa vel ablata fuerit.

Hisce etiam perpensis, sequens enodandum propositum fuit

Dubium.

An decretum Curiae **O.** *sit confirmandum vel infirmandum in casu.*

Cui S. Concilii Congr. sub die 15 iunii 1878 respondit: *Decretum esse infirmandum.*

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Apud Capitula Cathedralium atque Collegiatarum reperiri posse, ex fundatione, curam animarum ; quae a canonistis in curam habitualem et actualem dividitur; ita tamen ut apud singulos sit cura habitualis, apud unum vero sit cura actualis pro eius exercitio.

II. Contra ius haud agere videri Capitulum, cui insit animarum Cura, si ab initio aliquod ex iuribus parochialibus sibi reservaverit, dum unum deputavit ad exercendam curam actualem.

III. Proinde in functionibus atque iuribus quae sibi reservat, neque suo vicario confert, Capitulum habendum esse ceu proprium Parochum : ita ut singuli[1] praebendati rite valeant curam animarum exercere quoad illas functiones et iura parochialia sibi reservata.

IV. Existentiam Curiae habitualis penes Capitulum evinci per institutionem vicariae perpetuae ; praecipue si congrua pro Vicario statuta desumatur ex reditibus Capituli.

V. Quapropter si dignior Capituli in themate stolam induit, et aqua benedicta cadavera aspergit, agere contra ius non videri, sed potius suum exercere ius uti Parochus quoad iura reservata.

[1] In Capitulo Basilicae Vaticanae, etsi cura animarum actualis exerceatur per Vicarium beneficiatum, tamen quia cura habitualis residet penes Capitulum, singula ipsius membra ius habent docendi parochianos catechesim, eucharistiam infirmis deferendi, praesertim in praecipuis anni festivitatibus, nec non baptismatis sacramentum conferendi.

MEDIAE ANNATAE.

Die 2 septembris 1876, 21 aprilis 1877 et 20 iulii 1878.

Compendium facti. Sacerdos Bernardus ad Canonicatum Cathedralis Ecclesiae promotus supplici libello haec exposuit S. Concilii Congregationi: sese consecutum fuisse canonicalem praebendam per Bullam Ordinarii, ideoque onere gravari Fabricae Ecclesiae id tribuendi, quod mediae annatae respondet ex fructibus beneficii, iuxta Constit. *Pius et Misericors* Benedicti XIII. Quum debeat inde de Praebendae canonicalis reditibus rationem inire quaerit:

1. An inter reditus Beneficii comprehendi debeant distributiones chorales, etiam cum distinctae a Praebenda non sunt, calculando nempe reditus iuxta normam s. C. Tridentini, ceu evenit in Capitulo eiusdem Cathedralis.

2. An, inter onera subtrahenda, sit etiam calculandum taxae *successionis* onus, quod nunc beneficia obtinentes solvere coguntur Italico Gubernio ad rationem sextantariam (vulgo il due per cento) super medietate sortis respondentis rédito, deducta tantum taxa mobili.

Episcopus, opportune rogatus, retulit tam Capitulares Constitutiones, quam Synodum Dioecesanam statuere pure et simpliciter medios fructus primi anni absque ulla imminutione, solvendos pro dote Fabricae Ecclesiae in obsequium et observantiam Bullae Benedicti XIII, *Pius et misericors.* Ita vero animi sui sensum aperuit: «fixum teneo de integro fructu « primi anni medietatem deberi, ne ceteroquin Ecclesia absque « dote remaneat, et hoc nihil gravat provisum praebendae, « nam quoad eum idem est ac si provisio dilata sit post sex « menses. Nec tamen detrahenda est taxa quam vocant suc- « cessionis (vulgo di trapasso) a Gubernio imposita, quia haec « personam afficit et non praebendam, quae tamen taxa mode- « ratur et exigitur ratione aetatis provisi, non tamen taxative

« ut in precibus asseritur. Nullatenus vero detrahenda est tertia « distributionum, sive haec sit separata, sive sit coniuncta « cum praebendis, ut in hac Cathedrali, ex eo quia perceptio « etiam integra distributionum a diligentia chorali pendet; « ideoque in media annata fructuum etiam distributiones com- « putantur ».

Disceptatio synoptica.

Canonicus Bernardus duo ergo quaerit:

1) An media annata solvenda sit ex distributionibus, quotidianis, etiam cum istae haud sint a Praebenda distinctae;

2) An inter onera detrahenda in hac solutione computari etiam debeat taxa successionis.

Quoad primum videretur mediam annatam esse solvendam e quotidianis distributionibus, etsi a praebenda non distinctis; nam Bened. XIII cit. Const. *Pius et misericors* ut Cathedralium et Collegiatarum restaurationi consultum foret mandavit: « ut « in posterum provisi de Parochialibus una cum incertis annuum « redditum scut. 100 monetae romanae excedentibus et de « Canonicatibus et beneficiis tam residentialibus, quam non « residentialibus et simplicibus, sitis extra ecclesias Colle- « giatas, cuiuscumque valoris existant, teneantur solvere et « respective deponere mediam annatam pro fabrica Ecclesiae « Cathedralis ... ».

Cum itaque Constitutio indistincte de beneficiis loquatur et Canonicatibus, eosque omnes solutioni mediae annatae absque ulla limitatione subiiciat; imo quamvis exceperit Ecclesias redditum annuum scutorum centum non excedentes, tamen ad constituendam istius redditus quantitatem emolumenta etiam incerta supputari voluit; patet hinc inter beneficii redditus supputandas esse etiam distributiones quotidianas, etsi distinctae haud sint a praebenda. Notandum est Canonicos ad Ecclesiae manutentionem de iure teneri ex distributionibus. Unde Rota *decis. 482 cor. Mazanedo num. 14 habet: « Non obstat quod reditus huius clericatus consistant in fructibus, qui non solum*

debentur praesentibus et interessentibus et sic assimilentur distributionibus quotidianis, ut per Riccium ... cum isti reditus pro rata remanere deberent ratione mediae annatae penes sacristiam ». **Et S. C. C. in Reatina,** *Mediae Annatae,* **diei 12 maii 1770 resolvit teneri ad solutionem mediae annatae Canonicos, Beneficiatus et clericos beneficiatos eius Ecclesiae, nullam licet habentes propriam praebendam, nullusque reditus peculiares, sed quotidianas tantum lucrantes distributiones.**

Huc accedit quod Constitutiones Capitulares illius Cathedralis pro solutione mediae annatae statuunt *pure et simpliciter* **medios fructus primi anni, quin ulla verba faciant de aliqua imminutione. Et ideo dubitari non posse videretur mediam annatam solvi debere etiam ex quotidianis distributionibus, sint istae a praebendis distinctae vel coniunctae.**

Ex altera parte tamen haud obliviscendum est a S. Rota pluries decisum fuisse, *dec. 8, de praebend. in nov. decis, jç, eo tit. in ant. et dec. 33, de sent. et re iud. in antiq., decis.* **5,** *n. y, par. 2,* **quotidianas distributiones in beneficii valore non computari. Quia distributiones sunt incertae, et ideo ad summam certam reduci nequeunt ; incertum est enim num et quoties horis canonicis quis interesse possit: dum clericus absque culpa, immo ex iuxta causa, puta studii aut negotiorum domesticorum, absit ab Ecclesia, distributionesque quotidianas percipiat. Atqui eadem S. Rota coram Mazanedo, decis. 842, num. 20 habet:** *Media annata debet solvi ex fructibus, seu reditibus beneficii, ut clare dicunt verba rescripti, et dispositum est etiam de iure ...* **». Neque regeras eas Canonicos aquirere posse; etenim in iure certum est aptitudinem acquisitionis non augere pretium rei, nec reddere aliquem locupletiorem, ut per** *text. in I. pretia rertim ff. de ad I. falc. I. naturalem, § i, ff. de aquir. rer. dom.*

Si ergo distributiones computari non valent in valore beneficii, ac proinde in eius impetratione de eis mentio fieri necessario non debet, ob illarum incertitudinem, patet ob eamdem rationem nec de illis mediam annatam esse solvendam. Ex

stylo Datariae vim accipit conclusio haec ; nam ibi in solutione annatae computari non solent distributiones quotidianae. Ergo cum maior pro Ecclesia Cathedrali, quam pro sede Apostolica militare non debeat ratio et favor, dicendum videretur quod inter beneficii reditus pro solutione mediae annatae computandae non essent distributiones quotidianae etsi a praebenda non distinctae.

Neque obstat in specie nostra capitulares Constitutiones statuere tantum pure et simpliciter medios fructus primi anni solvendos esse pro dote Fabricae Cathedralis in obsequium et observantiam^ Bullae Benedectinae. Siquidem Constitutio haec demandans mediae annatae solutionem ex Canonicatuum, aliorumque beneficiorum fructibus, intelligenda est de illis fructibus, qui ex certis praebendis sponte ac veluti gratuito promanant, non autem de illis qui ex quotidianis distributionibus pendent, nempe ex stipendio diuturni laboris, quo quis congruam sibi sustentationem comparaverit. Idque eo vel magis quia communis est *DD.* **sententia, fructuum appellatione distributiones quotidianas stricto sensu non venire.** *Cap. licet de Praeb. Gemin., cons. 83, n. 23 ;* **unde nec augent corpus praebendae seu beneficii ; sed propter operam personae debentur inquit Oldradus,** *cons. 118, n. i.* **Quam sententiam tenuit Rota teste Caesar de Grass.,** *decis. 116, alius 3 sub tit. de praeb., n. 1.* **Ex** *Trid. sess. 24, cap. 12, de ref.* **aliud praebetur argumentum: in eo enim quum statutum fuerit, eos qui Collegiatis, si ultra tres menses ab eisdem abfuerint, primo anno privari dimidia parte fructuum, quos ratione praebendae ac residentiae fecerunt suos, et si eadem usi fuerint negligentia, privari omnibus fructibus, quos eodem anno lucrati fuerint, subditur,** *Distributiones vero qui statutis horis interfuerint, recipiant ;* **dictio enim illa adversativa** *vero* **posita inter fructus et distributiones aperte ostendit magnum discrimen inter eas et fructus intercedere.**

Neque dicere valet ex beneficio et ex canonicatu clericum ius habere ad percipiendas quotidianas distributiones ; nam

canonicatus aut beneficium sunt occasio tantum, qua percipi possunt distributiones quotidianae, non autem causa productiva. Seu quod idem est perceptio distributionum non venit immediate et per se ratione beneficii ut venit relate ad fructus ; sed ratione laboris et servitii Ecclesiae praestiti. Si ergo distributiones quotidianae sub nomine fructuum non veniunt, sponte veluti sua videretur eas comprehendi nec debere in mediae annatae solutione, quae nonnisi ex fructibus praebendae solvi debet.

Omittendum haud est quotidianas distributiones introductas fuisse favore cultus divini, ut is in Ecclesiis augeatur, Trid. *Sess. 2 1 . cap. j de ref. « Cum beneficia ad divinum cultum atque ecclesiastica munia obeunda sint constituta, ne qua in parte minuatur divinus cultus, sed ei debitum omnibus in rebus obsequium praestetur, statuit s. Synodus in Ecclesiis tam Cathedralibus, quam Collegiatis, in quibus nullae sunt distributiones quotidianae, vel ita tenues, ut verisimiliter negligantur, tertiam partem fructuum et quorumcumque proventuum et obventionum tam dignitatum quam canonicatuum perso?iatuum, portionum et officiorum separari debere et in distributiones quotidianas convertit ...* **». At si ex quotidianis distributionibus etiam media annata esset solvenda, ansa fortasse daretur provisis per primos illos sex menses a chori servitio abstinendi ; quo in casu nemo non videt, sanctionem Tridentini inutilem evadere, quod eum ad finem quotidianas invexit distributiones** *ut divinus cultus magis augeatur, et ei debitum omnibus in rebus obsequium praestetur ».*

Ex quibus omnibus concludi posse videtur mediam annatam a Canonico Bernardo solvendam esse tantum ex fructibus certis, non autem ex incertis seu ex distributionibus. In themate fructus certi sunt duae distributionum partes : « siquidem quando praebenda in solis distributionibus consistit, tunc receptum est duas earum partes assumere nomen et naturam praebendae et loco praebendae succedere ad omnes iuris effectus S. C. C. in *Vaivén.* **seu** *Sulmonen. rescripti die 21 martii 1860* **§** *ad alteram».*

Ad alterum postulatum gradum faciendo, nempe an inter onera in solutione mediae annatae detrahenda, subduci etiam debeat taxa successionis, observatum est. Certum esse omnes taxas vel tributa esse onera et quidem gravia; in casu taxa haec a Gubernio clericis imponitur, et integra exigitur statim ac ad beneficii possessionem ingressi sunt. Hinc merito videretur et ipsam taxam comprehendi debere inter onera detrahenda in solutione mediae, annatae. Insuper exploratum est mediam annatam ex fructibus solvi debere: ast fructus non intelliguntur nisi deductis oneribus et expensis.

Quoad hoc. adnotat De Albertis *De sacris utensilibus cap. 12 n. 314. Et quoniam sermo incidit de media annata hic addere iuvat quod ante solutionem illius, detrahenda sunt onera omnia certa et realia, inter quae veniunt etiam expensae pro utensilibus, quemadmodum habemus ex resolutione S. C. C. excerpta ab appendice Synodi Septempedanae Episcopi ex praenobili familia Pieragostini Camerini pag. 113, his verbis concepta.*

Obiici tamen posset adversus praenotata; nempe taxam, de qua agitur, non esse onus *reale;* **quia una vice non in singulis annis exigitur a beneficiato, personam eius tantum attingit, atque ea moderatur iuxta ipsius provisi aetatem. Ergo videretur non posse comprehendi inter onera detrahenda in solutione mediae annatae. Etiam S. C. C. sententiam amplexa fuisse videtur quod deducenda sint tantum onera fixa et realia in** *Tiburt. Med. An. 4 maii 1754;* **in qua decretum fuit: «** *Mediam annatam esse solvendam ex fructibus percipiendis, deductis oneribus fixis et realibus, non vero personalibus, ut patet in Thesaur. resolut, tom. 18, pag. 2Ç et 32 ».*

Hisce in utramque partem praenotatis enodanda proposita fuere

Dubia.

I. *An inter beneficii reditus computandae sint distributiones chorales etsi a praebenda non distinctae in casu.*

II. *An et quae onera etiam de facto existentia detrahenda sint in solutione mediae annatae in casu.*

RESOLUTIO. **S. Concilii Congregatio quum semel et iterum respondisset** *Dilata,* **tandem die 20 iulii 1878 quoad quaestionis meritum respondere censuit:**

Ad I. *Affirmative et amplius.*

Ad II. *Deducenda esse onera fixa et realia, non vero personalia et amplius.*

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Mediae annatae solutionem favore Ecclesiarum Cathedralium [1] et Collegiatarum a Benedicto XIII institutam fuisse ad hunc finem, ne domos Dei, quarum decorem summopere diligendum esse sacra eloquia testantur, temporum iniuria collabi, in peius ruere, minusque decenter retineri contingeret.

II. Taliterque Ecclesiarum decori consuli concupivisse Pontificem illum, ut nullum a solvendis medus fructibus primi anni exemerit beneficium, praeter Ecclesias paroeciales, quae una cum incertis annuum reditum scut. 100 monetae romanae non excederent.

III. Huiusmodi mediae annatae solutionem ita pure et simpliciter iussam fuisse, ut nulla in eius detrimentum fieri liceat subtractio distributionum quotidianarum gratia ; sed super istas quoque solutio istaec sit facienda, sint a praebendis distinctae vel cum ipsis coniunctae.

IV. Hanc sententiam S. Concilii Congregationem sequutam fuisse nedum in themate sed pluries ; ita ut in *Reatina* **diei 12 maii 1770 resolverit, Canonicos aliosque illius Ecclesiae bénéficiâtes teneri ad mediam solvendam annatam, quamvis praebenda carerent, et quotidianas tantum lucraretur distributiones.**

[1] **Ratio qua Benedictus XIII singularem explicuit sollicitudinem in subministrandis novis subsidiis ad reparandas istarum Ecclesiarum fabricas vel eas debito modo conservandas, fuit, quia in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis, ut ipse ait,** ***fidelis populus frequentius ad orandum convenire solet.***

V. Neque licere in solutione mediae annatae onera deducere personalia, seu quae directo personam attingunt; sed tantum subtrahi posse onera fixa et realia, quae beneficio innituntur.

VI. In themate taxam successionis a Gubernio italico quibuslibet de beneficio provisis impositam, et integram ab iisdem una vice solvendam non in singulis annis, videri onus personale non vero reale ; ideoque haud subtrahendum cum calculentur beneficii fructus.

EX S. CONGREGATIONE SS. RITUUM

NEAPOLITANA.

Confirmationis cultus ab immemorabili tempore praestiti Servo Dei Nostriano Episcopo Sancto nuncupato.

Die 13 aprilis 1878.

Compendium facti. Die 20 maii anno 1876 ab Emo ac Rmo Cardinali Archiepiscopo Neapolitano sequens epistola missa est ad S. Rituum Congregationem.

Emi ac Rmi Domini Obmi,

« Aequum ac Religioni congruum existimans votis ac precibus a Ven. Sodalitate septuaginta duorum Presbyterorum S. Michaelis Archangeli, nec non a quamplurimis huius Cleri Presbyteris mihi porrectis annuere, inquisitionem ordinariam decrevi super Casu excepto a Decretis S. M. Urbani Pp. VIII super Cultu ab immemorabili praestito Servò Dei Nostriano Episcopo Neapolitano Sancto nuncupato. Cum vero pastora-

libus curis distentus id exequi non valerem, hoc munus Illmo ac Rmo Domino Philippo Gallo Archiepiscopo Patracensi in partibus infidelium et Revmis Dominis D. Iacobo Savarone, S. Th. M. et Ianuario de Rosa U. I. D. rite demandavi. Ipsi munus hoc libenti et obsequenti animo susceperunt, et iureiurando coram me praestito ad munus ipsum rite explendum, et ad silentii legem servandam sese obligarunt. Ut autem omnia iuxta S. R. C. Constitutiones et Ven. Innocentii Pp. XI Decreta peragerentur, ipsi sedulo incubuerunt. Id unum mihi, qui gregem meum probe novi, superest addendum, quod nempe Testes a Postulatore inducti aliique Testes et Contestes ex officio vocati omnes indubiae fidei sint; quippe homines probi habentur ab omnibus. Interim etc. ».

Iudices ab Efño Archiepiscopo delegati Processum Ordinarium confecerunt; omnisque ab iis diligentia adhibita fuit, ut executioni mandarentur ea omnia, quae ex praestitutis hac desuper re normis praescripta sunt; et consideratis omnibus de iure et facto considerandis, huiusmodi protulerunt sententiam : *Per hanc nostram definitivam sententiam, quam de Iuris peritorum consilio in his subscriptis /erimus in Causa Beatificationis, de qua agitur, dicimus, pronuntiamus ac definitive sententiamus constare de Casu excepto a Decretis S. M. Urbani VIII seu de Cultu ab Immemorabili praestito in Neap. Ecclesia absque interruptione et adhuc praestari Servo Dei Nostriano Episcopo Neapolitano, qui quinto Ecclesiae saeculo floruit. Et ita dicimus et pronuntiamus ac definitive sententiamus ».*

Quaestio haec de cultus confirmatione apud Curiam Neapolitanam a iudicibus delegatis primum resoluta, delata fuit, uti moris est, in secunda iudicii Sede ad S. Rituum Congregationem sub hac dubitandi formula : « An sententia iudicum ab Emo Neapolitano Archiepiscopo delegatorum sit confirmanda in casu et ad effectum de quo agitur ». Circa huiusmodi dubium instituta est disceptatio inter Defensorem sententiae Neapolitanae et Promotorem fidei sustinentem, ex officio, adversarii partes.

Disceptatio synoptica.

DEFENSOR SENTENTIAE NEAPOLITANAE. **In primis praecipue recolens, quae ad S. Nostriani vitam spectant, refert Nostriano utpote qui egregia sanctitate floreret et pectus apostolicis virtutibus ornatum gereret, Neapolitanae Ecclesiae administrationem commissam fuisse saeculo quinto mediante, aetate videlicet turbulentissima, qua et Romanum imperium barbarorum copiis pervadebatur et catholicae fidei a grassantibus haeresibus insidiae struebantur. Vir tamen magnanimus non se praebuit tanto oneri minorem ; sed sibi creditum pastorale officium eximia sollicitudine gessit et omnigenarum virtutum splendore illustravit.**

Inter opera autem egregia quae praestitit, dum commissorum sibi fidelium curae vacaret, memorat Ioannes Diaconus balneum pro clero et populo propriis sumptibus fecisse, ut fideles corpore et animo mundati ad sacra accederent. Ita aemulatus fuit S. Antistes Romanorum Pontificum pietatem, qui paria Catholicorum bono in Urbe monumenta condidere. Huic autem providae curae addebatur in Nostriano inexhausta charitas, qua fidei Confessores Vandalorum immanitate ex afris regionibus depulsos hospitalitate recepit, atque omnigenis curis est auxiliatus. Hos inter recensent historici S. Gaudiosum Bithyniae Antistitem, qui una cum presbyteris fidelibusque Neapolim appulsus et a S. Nostriano benignissime exceptus, eam civitatem heroicis virtutibus decoravit, et merentissimos sanctitatis honores acquisivit. In Pelagianis vero haereticis insectandis • summopere eluxit in Venerabili Viro ardor fidei, eiusque servandae puritatis studium. Non solum enim Floro cuidam plebem ad falsa dogmata perducere satagenti fortiter restitit, eumque ab urbe eiecit ; sed etiam una cum S. Prospero Aquit. contra Iulianum Episcopum Pelagianae haereseos sectatorem acerrimum strenue decertavit.

Ita Nostrianus uti bonus Christi miles diuturno septemdecim annorum spatio Neapolitanam Ecclesiam moderatus est, donec pastoralibus virtutibus eminens mentisque plenus in Domino requievit sanctitatis fama praeclarus.

Post haec Defensor demonstrandum aggreditur, iudicum ab Emo Neapolitano Archiepiscopo delegatorum sententiam solemni S. Rituum Congregationis iudicio esse comprobandam ab eaque confirmandum cultum ab immemorabili tempore Servo Dei Nostriano exhibitum. Qua in re, ut ordini simul et claritati inserviat, expendit in primis vetustissima, quae ab historicis ac testibus in hac causa adductis recensentur, documenta publici et ecclesiastici cultus Nostriano praestiti; additis deinde iis, quae a saeculo xv ad nostram usque perveniunt aetatem.

Et ad vetustissima cultus monumenta quod attinet prae primis illud memorat, quod ex sepulcri loco consurgit. Exploratum siquidem est, quod quinto Ecclesiae saeculo in Sacellis templisque nonnisi Sanctorum corpora condebantur. Huiusmodi autem sanctitatis testimonium S. Nostriano tributum fuisse ex historia patet. Sciendum est enim, quod S. Gaudiosus, cum extra urbis moenia, quo aditus Christianis patefiebat ad venerandas martyrum reliquias in catacumbis quiescentes, pium eremum erexisset, curavit ut in huius eremi Ecclesìa seu sacello mortales Nostriani exuviae debito sanctis viris honore tumularentur. Cuius rei testis insignis est Ioannes diaconus, in cuius chronico haec de Nostriano leguntur: « Qui bonis operibus agens in Domino requievit (hoc est iuxta antiquitatis loquendi morem cum sanctitatis fama decessit) et sepultus est in Ecclesia B. Gaudiosi ». Eximium autem fuisse cultum, quo S. Antistitem fideles colebant, ostendunt eius exuviae illustriori prae caeteris coemeterii loco conditae et pari cum S. Gaudioso in honore habitae. Quin et aram prope easdem erectam fuisse haud obscuris argumentis deducitur a testibus christianae archeologiae peritissimis.

Aliud veteris cultus indicium Defensor desumit ex episcopali Cathedra, quam ad sacra peragenda mysteria cum S. Gau-

dioso Nostrianus in eius Ecclesia adhibuit. Haec enim ab aevo religiose observata adhuc veneratur in Ecclesia, quae super vetus coemeterium extructa a B. Maria Virgine e -Sanitate nomen accepit ; in eaque legitur inscriptio : « Episcopalium functionum Sedes, quam S. Nostrianus Episcopus Neapolitanus et S. Gaudiosus Episcopus Bithyniensis aliique Praesules in his Christianorum Coemeteriis decorarunt ».

Tertium et quidem praeclarissimum publici cultus documentum Defensori suppeditat translatio exuviarum S. Nostriani a veteri S. Gaudiosi Ecclesia ad Diaconiam S. Ianuarii ad Ulmum, eo loci sitam, quo S. Antistitis balneum propriis sumptibus erexit ; quae translatio, etsi nesciatur quo advenerit anno, tamen indubie demonstratur peracta vel saeculo x labente, vel exordiente xr. Etenim nonnisi Sanctorum corpora ex suburbanis coemeteriis, uti primum tumulata fuere, extrahi et in catholicarum urbium ecclesiis fidelium venerationi exponi consueverunt, sive ut a barbarorum impietate illaesa servarentur, sive quia periucundum erat fidelibus sacra avitae religionis pignora propius venerari. Hanc demonstrationis vim adauget solemni eiusdem translationis pompa, cuius perenne monumentum in posterorum memoriam pertransiit, via scilicet ac platea, quae ad Ecclesiam aditum pandit S. Nostriani nomine insignita ; ipsaque vetus Diaconia passim tum Sancti Ianuarii, tum quoque Sancti Nostriani appellatione distincta. Accedit quod pretiosum eius corpus sub maxima illius templi ara digniori loco marmorea urna repositum fuit, divinum que sacrificium tot labentibus saeculis ad nostram hanc usque aetatem super eius ossibus celebratum. Iam vero tantummodo super Sanctorum corpora extolluntur arae venerandaque religionis mysteria celebrantur. Hinc ubi alia non suppeditaret solemnis cultus demonstrandi ratio, altare ipsum quod Antistitis reliquias suscepit, erectum aetate ab ipsis Urbanianis decretis valde remota, aptissimum esset tum ad cultus antiquitatem, tum ad eius haud interruptam ad nostra haec usque tempora progressionem ostendendam.

Defensor gradum deinde faciens ex ordine praestituto ad expendenda argumenta cultus a saeculo xv ad nostram usque aetatem, in primis appellat ad duplicem corporis S. Nostriani recognitionem percurrente Urbanianae praescriptionis aevo peractam ; ex quo factum est ut Servi Dei sanctitas plurimorum eo tempore oblivione neglecta, novo miraculorum lumine in memoriam Neapolitanorum civium excitaretur.

Anno 1854 Card. Hannibal Capuanus Neapolitanus Antistes, peragens visitationem Ecclesiae S. Ianuarii ad Ulmum, a Parocho et Confratribus piae cuiusdam societatis septuaginta duorum Sacerdotum sub titulo et patrocinio S. Michaelis Archangeli quae in ea paroecia sedem constituerat, relatum habuit (prout in Actis visitationis legitur) sub ara maiori « servari corpus cuiusdam Sancti Viri, prout ex antiqua traditione dixerunt haberi ». Et revera sub eodem altari « fuit reperta arca ex marmoreo lapide plena cineribus et ossibus cum quibusdam velis consumptis ». Arca cum reliquiis fuit eadem sub ara reposita. Verum anno 1612 cum praedicti confratres cuperent chorum maiori amplitudine construere, ad quod perficiendum oportebat priscum altare ad meliorem formam redigere, accidit ut S. Nostriani reliquiae denuo in lucem prodierint. En quomodo narrat accuratissimus Neapolitanarum rerum historiographus Chioccarellus : « In S. Ianuarii Ecclesia arcula quaedam marmoream vetustissimo in maximo altari reperta est die 16 augusti anni 1612 cum Neapolitanae Ecclesiae praeesset D. Octavius Card. Acquaviva, qua Eius sacra pignora atque integra ossa asservabantur, in qua haec, inscriptis, in marmore longobardis litteris, sculpta habebantur - Corpus S. Nostriani Episcopi ». In hac altera S. Corporis recognitione placuit Altissimo, illustri quodam portento Servi sui Sanctitatem in memoriam fidelium revocare. Testante enim eodem Chioccarello, qui recognitioni intererat « tanta odoris fragrantia ex eius ossibus manabat, ut non humanum, sed coeleste potius odorem putares, et obstupescerent omnes ». Antequam autem gloriosae S. Nostriani exuviae sub instaurato

altari conderentur, inclytum eius caput a reliquo corpore divisum pretiosa auro argentoque theca clausum est, atque quo tannis publicae venerationi expositum solemni S. Nostriani commemorationis die.

Ab eo autem aevo S. Episcopi cultus eximio caeremoniarum splendore augeri coepit. Etenim sacri eius corporis inventionis memoria a pia septuaginta duorum Sacerdotum societate quotannis stata die recolebatur cum proprio Officio et Missa, accedente splendidissima pompa atque innumero populi concursu. Translata autem posteriori tempore ad S. Michaelis Ecclesiam ea- societate, licet imminutus fuerit solemnitatis splendor, quo S. Nostriani memoria recolebatur; tamen S. Antistitis cultus minime desiit: imo et in S. Ianuarii templo integer permansit, et in sacram Michaelis aedem piae illius unionis opera invectus fuit. Pia enim societas pretiosa capitis S. Nostriani reliquias, quas secum tulit aurata theca reclusas, solet quotannis super aras exponere una cum simulacro in capite radiis micante.

Praeter haec, alia ultimo loco Defensor adducit publicae venerationis argumenta, quae tum praeteritam tum nostram hanc etiam aetatem attingunt. Praecipua autem sunt sequentia: fervidae preces ad S. Nostriani patrocinium in publicis calamitatibus invocandum adhibitae; inducta S. Nostriani utpote caelestis patroni commemoratio in supplicibus pii sodalitii septuaginta duorum Sacerdotum precibus; solemnes supplicationes, quibus S. Antistitis reliquiae per frequentissimas urbis vias transvehi consueverunt in publicis fidelium necessitatibus ; simulacra S. Episcopi, quorum unum in Diaconia S. Ianuarii ad ultimum, alterum vero in cathedrali ecclesia inter Sanctos illius sedis Episcopos veneratur; imagines tandem cum radiis et splendoribus ab anno 1874 piae S. Michaelis societatis opera impressae innumerisque exemplaribus penes fideles diffusas.

Nil igitur mirum, concludit Defensor, si S. Sedes tanto publici cultus splendore innixa elapso saeculo supplicem memo-

rati pii sodalitii libellum pronis auribus exceperit; si authentico decreto copiosas fidelibus indulgentias die festo S. Nostriani lucranda sit elargita ; si auctores omnes celeberrimi, qui a nono Ecclesiae saeculo ad nostra haec tempora Antistitis vitam et gesta commemorant, eum passim sancti appellatione distinguant.

ANIMADVERSIONES PROMOTORIS FIDEI. **Contra hactenus disputata a defensore sententiae Neapolitanae haec opponit ex officio fidei Promotor.**

Ac in primis contendit, e sepulcri loco nullum ecclesiastici cultus indicium pro Nostriano inferri posse Ioannes Diaconus refert, eum in Ecclesia S. Gaudiosi sepultum fuisse ; hoc est, prout explicat Testis primus inter plures adductos, in uno ex catacumbarum ambulacris. Constat autem ex auctoritate Bened. XIV, Lib. V, part. II, 29 cap., num. 87 non omnia Christianorum corpora in catacumbis sepulta, esse Sanctorum corpora : coemeteria enim sive catacumbae quinque prioribus Ecclesiae saeculis communia fidelium conditoria constituerunt. Concedatur tamen locum sepulcri Nostriani fuisse vere sacellum, seu Ecclesiam. Nihil inde proicitur. Etenim notat Devoti, Instit. Canon., lib. II, Tit. IX, § II, nota 5, saeculo quarto et quinto Episcopos universim in Ecclesia sepeliri solitos fuisse. Ad quod probandum adducit pro Saec. iv exemplum Ambrosii, qui Mediolani subtus altare sibi sepulturam paraverat; pro quinto vero saeculo Pulcheriae Augustae epistolam ad S. Leonem M. unde constat Flaviani Episcopi Constantinopolitani corpus fuisse conditum in Basilica Apostolorum, in qua subdunt eaedem litterae « consueverant praedecessores episcopi sepeliri ». Eumdem ritum servatum fuisse in Gallus atque in aliis Christiani orbis partibus docet Catalanus Comment, ad Pontificale Romanum, Tom. II, Tit. VI, de Coemet. benedici. Nihil itaque erga Nostriani corpus actum fuit, quod ab eius aevi consueta agendi ratione discederet.

Relate vero ad Cathedram episcopalem Nostriano attributam observat Fidei Vindex, ex inscriptione quae in ea legitur

constare, eam praeterquam a S. Nostriano et S. Gaudioso ab aliis etiam Praesulibus fuisse decoratam. Cum itaque Sanctis pariter ac non Sanctis cathedra ista pertinuerit, quodnam ex ea erui possit indicium cultus Nostriano exhibiti plane non apparet.

Haec pauca tantum sunt, subdit Promotor fidei, quae de Nostriani sepulcro ac de cultus initiis occurrunt. Ab ea vero aetate, hoc est a Saeculo v ad finem Saeculi xvi de cultu eidem praestito silent monumenta et historici. Accidit tandem, quod anno 1584 Neapolitano Antistiti instituendi visitationem Ecclesiae S. Ianuarii ad Ulmum relatum fuerit sub illius Ecclesiae ara maxima servari corpus cuiusdam Sancti viri. Quis tamen hic esset nemo noverat, neque tum quidem patuit ; et nonnisi die xvi augusti anno 1612 in nova corporis dilucidata est épigraphes in arca marmorea longobardis litteris sculpta et nomen Nostriani innotuit.

Tunc exarsit eruditorum studium, ut ex vetustis monumentis nedum Nostriani gesta, verum etiam epocham et causas translationis eiusdem inquirerent; circa quam tamen, cum vetera quaelibet Neapolitanae urbis monumenta silerent et ne memoria quidem in ipso S. Ianuarii templo extaret, coniectationibus plus minusve probandis indulgere coacti sunt. Est qui huius translationis indicium quaerat ex vetustis actis, quae dant Nostriani nomen plateae, quae ad Ecclesiam S. Ianuarii aditum pandit. Verum recolendum est eo loci ab eodem Nostriano balneum propriis sumptibus erectum fuisse. Id igitur rationem exhibet nominis illi viae inditi, quin opus sit ad exuviarum translationem confugere.

Quod potius ex veteribus monumentis eruitur hoc est, scilicet Saeculo ix a Ioanne Neapolitano Praesule in urbem corpora S. Gaudiosi et Ianuarii translata fuisse; Nostrianum vero qui communem cum illis sortitus fuerat dormitionis locum, fuisse relictum. Non ergo illo aevo pari cum memoratis Sanctis Viris sanctitatis commendatione ac fidelium cultu fruebatur. Idem pariter Ioannes in marmoreo suo Kalendario

inter sanctos viros, quos Neapolitana urbs colebat publica veneratione, Nostriani nomen non inscripsit.

Promotor fidei adhuc instando sibi opponit : incertum sit quo tempore, qua de causa translatio acciderit ; sed eam accidisse aliquando negari nequit. Esto reponit, nam quod sub ara maxima S. Ianuarii corpus Sancti cuiusdam viri asservantur constans erat traditio, quod autem Nostriani Episcopi Neapol. essent exuviae, ceu ad rem praesentem postulatur, traditio non extabat, quod saltem ad reliquiarum identitatem probandam requiritur iuxta Io. Ferrandum, Disquisii Reliquiar., Lib, I, cap. XII, Sect. 2. Detegitur quidem epigraphe quae tamen primo perlecta non fuit ; est tandem qui deformatos ápices interpretatur. Quis iste fuerit, rectene fecerit nescitur. Epigraphe quippe ubinam modo sit ignoratur ; ideoque a peritis iudicialiter recognosci non potuit.

Ultimo tandem animadvertit ad legitimam cultus inductionem ex Bened. XIV, lib. II, cap. 23, num. 11 requiri « scientiam ac tolerantiam Sedis Apostolicae vel Ordinarii ». Ubinam autem ecclesiasticae auctoritatis interventio sive in depositione corporis Nostriani, sive in eiusdem translatione, sive in aliquo vel minimo actu qui ad publicum referri cultum valeat?

Concludit proinde quod, licet daretur ab eo recognitionis anno 1612 Nostriani cultum floruisse, id possessionem adstruere poterit, non autem praescriptionem, quae iuxta Urbaniana decreta ab anno 1534 indubiis documentis demonstranda est.

Si vero de posteriori aetate sermo sit, concedit Censor plura cultus suppetere indicia, inter quae tamen connumerare recusat Pontificium Rescriptum diei io ian. anni 1761, quod ad septennium quasdam largitur indulgentias in festo SS. Ianuarii, Nostriani et Lucii Martyrum, utpote quod dici nequit emanasse consulto a Summo Pontifice. Hoc enim tantummodo inscio, Nostrianus ab Officiali nedum inter Sanctos, sed inter Martyres accenseri potuit. Ceterum animadvertit omnes cultus significationes posterius inductas diu non per-

stitisse. Ut enim ex testium depositione colligitur tractu temporis celebratio Missae et recitatio Officii in honorem Nostriani defecit ; item lampas quae ad eius sepulcrum collucebat, non est amplius accensa; et ipse Parochus Ecclesiae S. **Ianuarii fassus est morem accendendi cereos ante Nostriani statuam in quibusdam anni solemnitatibus a se fuisse servatum, causa servandae symmetriae in apparatu templi.**

Equidem testes innuunt etiam nunc extare aliqua cultus indicia in primis in Cathedralis templo, in quo inter alias Neapolitanorum Episcoporum, qui pro sanctis censentur, visitur marmorea" Nostriani protomes. Verum huiusmodi statuae extra altare, ac nonnisi ornamenti gratia in templis appositae cultui Servorum Dei adstruendo nihil vel fere nihil valent. Item narrant testes in Ecclesia S. Michaelis, ad quam an. 1729 Pia Sacerdotum Societas saepius memorata se transtulit, die 23 augusti simulacrum Nostriani exponi et nonnullas in eorum conventibus ad illius honorem preces adhiberi. Verum istae preces utpote privatae ad publicum cultum referri nequeunt; ea vero expositio carere dicenda est probata scientia et tolerantia Ordinariorum; etenim ex Visitationum pastoralium actis quae a tot vigilantissimis Praesulibus ab anno 1729 ad nos usque certo peractae sunt ne verbum quidem allatum videtur quod eandem faciat arguere.

RESPONSIO DEFENSORIS AD ANIMADVERSIONES PROMOTORIS FIDEI. **Defensor ad singula obiectionum capita diluenda accedens ita respondet ad primum quod a Fidei Promotore opponitur. Admissa etiam primi Testis opinione, scilicet S. Nostriani corpus in Coenobii S. Gaudiosi coemeterio fuisse conditum, hoc est, in uno ex catacumbarum ambulacris, primum venerationis monumentum adhuc haberetur in ipso insigniori prae caeteris loco, in quo sacrae exuviae repositae fuere. Etenim, ut Testis tertius magnae in S. Archeologia auctoritatis vir gravibus rationum momentis innixus demonstrat, egregio Antistiti pertinuit Sacellum mira arte depictum cum Altari in quo divina mysteria celebrantur. Quidquid autem**

sit de praefata eruditorum sententia ac de loco in quo Ecclesia S. Gaudiosi exurgeret, certum tamen est ex testimonio insigni Ioannis Diaconi reliquias Nostriani post eius obitum in Ecclesia esse repositas.

Verum, prosequitur Defensor, non omnes Antistites, universim sed viros heroicis tantum virtutibus illustres sive Episcopi essent, sive etiam laici tali sepulcro decoratos fuisse saecuto iv et v ex ecclesiastica constat historia. Exemplum autem Ambrosii, quod ex Ioanne Devoti in contrarium a Fidei Vindice affertur, non est ad rem. Diversimode enim utroque in casu se res habuit ; exuviis quippe S. Nostriani postquam coelestem iam patriam est assequutus memores Neapolitani cives ecclesiastici tumuli honorem tribuerunt : Ambrosius autem adhuc vivens devotionis ergo in Mediolanensi Basilica sepulcri locum concupivit. Attamen Sanctis viris dumtaxat licet laicis, ecclesiastici sepulcri locum tunc temporis fuisse servatum, patet ex reconditis in eodem tumulo SS. Gervasii ac Protasii Martyrum reliquiis, prolatisque ea occasione ab insigni Doctore verbis, « hunc mihi locum praedestinaveram, sed cedo sacris victimis dexteram portionem ». Caetera vero exempla ex eodem Devoti allata, quin rem oppugnent potius confirmant. Ipse enim primum memorat Pulcheriae Augustae ad S. Leonem epistolam ; unde constat Flaviani Episcopi Constantinopolitani corpus in Basilica Apostolorum fuisse conditum. At quis nescit cuius religionis pietatisque vir Flavianus fuerit, quoique heroicis virtutibus suam sedem illustraverit? Utique subdunt eaedem litterae « in qua consueverant praedecessores episcopi sepeliri ». At quinam hi intelligi possunt, nisi Sancti Mestrophanes, Alexander, Paulus Martyr Maximianus, Proculus, totque alii viri insignes, qui S. Flaviano antecessores fuere? Idem autem dicendum de servato in Gallus atque aliis orbis partibus ritu, ut scilicet Episcopi Sanctitate praestantes in templi humarentur.

Quod marmoream vero sedem Nostriano tributam, ex qua Fidei Vindex non videt quodnam erui possit cultus indicium,

animadvertit Defensor quod licet alii Neapolitanae urbis Episcopi in ea consederint; tamen nonnisi propter Sancti Nostriani et Gaudiosi memoriam in templo B. Mariae V. a Sanitate servatur, ac pari sacris reliquiis honore prosequitur; quemadmodum et vetusta Basilica SS. Nerei et Achillei cathedra S. Gregorii M. propter tanti Pontificis memoriam servatur, licet et alii forsan Romani Pontificis in eadem sacra mysteria peragentes consederint.

Dilutis animadversionibus respicientibus tributae S. Episcopo publicae venerationis primordia, Defensor ad ea accedit, quae, utpote âd Urbanianae praescriptionis aevum pertinentia, propius rem attingunt.

Non tam facile in primis Censori concedit, a Saeculo v ad xvi de cultu S. Nostriano praestito documenta historica silere, cum habeatur Saec. ix insigne Ioannis Diaconi de illius sanctitate testimonium superius relatum. Licet autem subsequentibus saeculis usque ad S. Reliquiarum inventionem non reperiatur expressa S. Nostriani mentio, mansit tamen integra traditio, in maximo Altari Ecclesiae S. Ianuarii asservari corpus Sancti cuiusdam viri ; certumque est fideles tot saeculorum cursu veneratos eum Sanctum fuisse virum, cuius exuviae inibi quiescebänt, super iisque celebrata fuisse divina mysteria. Cum autem nonnisi Nostriano ea sacra pignora pertineant, prout post eius inventionem patuit ; saeculis quoque centenariam Urbani VIII praescriptionem antecedentibus, ipsi publicum cultum tributum fuisse evidenter constat. Hinc parum refert quo tempore inscriptio marmorea urnae superposita fuerit dilucidata, et Nostriani nomen innotuerit.

Ad illud autem quod addit Censor, de S. Nostriani translatione silere Neapolitanae urbis historias et monumenta, reponit Defensor ipsius translationis eventum clamare. Certum est enim translationem factam fuisse ; etenim S. Reliquiae post plura saecula inventae sunt sub maiori ara Ecclesiae S. Ianuarii, loco scilicet a primaevo sepulcri tumulo admodum diverso. Huiusmodi autem eventus insigne publici cultus testimonium

constituit. Cum igitur ex translationis facto argumenti vis eruatur, parum interest, quo tempore praedicta translatio contigerit, licet viri eruditi non levibus tantum coniectationibus ducti, sed validis innixi rationibus demonstrent eam factam fuisse vel ad finem Saeculi x vel exordiente xi.

Huius translationis documentum, via scilicet quae ad Ecclesiam S. Ianuarii aditum pandit Nostriani nomine distincta, impetitur a Fidei Vindice ; huius enim appellationis rationem, potiusquam a traslatione, vult esse repetendam a balneis eo in loco a S. Episcopo constructis. At explicet tunc, interrogat Defensor cur, licet Nostrianus iam a Saecul. v balnea erexisset et S. Ianuarii ad Ulmum Diaconia iam a S. Agnello Ab. fuisset condita, tamen non ante saecul. xi eo nomine platea ac proximae viae fuerint insignitae ? Esto quod nominis ratio ex balneis extructis fuerit desumpta ; at ulterius factum quoddam requiritur quod explicet susceptae Saeculo xi appellationis exordium : hoc autem optime constituitur in perfecta eo tempore S. Reliquiarum translatione.

Duo, quae sequuntur in Censoris animadversionibus argumenta, nullius esse roboris ostendit et Defensor. Etenim si contra institutam demonstrationem Fidei Vindex aliquid voluisset conficere, probandum ei fuisset tum universas Beatorum exuvias quae publica illius aetatis veneratione fruebantur a Ioanne Episcopo e suburbanis coemeteriis translatas fuisse, tum Kalendarium ab eodem Antistite exaratum perfectam Sanctorum Neapolitanae Ecclesiae syllogem exhibere. Verum quoad primum ex historia contrarium constat, quae refert nonnisi quorumdam Sanctorum corpora eo tempore fuisse translata. Nec mirum ; quaedam enim anteriori, quaedam posteriori aetate sunt transvecta, prout relate ad unum vel alterum fideles maiori devotione ferebantur, aut periculum imminebat ex barbarorum incursu. Quoad alterum vero non omnes Sanctos viros, quos Neapolitana urbs publice venerabatur, in eo Kalendario recensitos fuisse, ex eo patet quod inter caeteros non perlegantur in ipso nomina Sanctorum Episcoporum Epitimiti et

Soteris, licet eorum sacra pignora ab eodem Praesule Ioanni a suburbanis coemeteriis una cum aliis Sanctis viris fuerint translata. Nil mirum ergo si omissum fuit nomen Nostriani, cuius traslatio nondum contigerat.

Et quoniam Fidei Vindex adhuc instando translationis S. Nostriani fundamentum impetere adnitebatur, Defensor iisdem rationum momentis a Ferrando requisitis ostendit, SS. Reliquias, quas fama tenebat sub S. Ianuarii ara maiori servari, ad Nostrianum pertinere. Sane ad SS. Reliquiarum identitatem demonstrandam Ferrandus requirit « aequam congruentemque praesumptionem, traditionemque constantem ». Iam vero aequa erat et congruens praesumptio S. Nostriani exuvias eo translatas fuisse, ubi eius munificentiae monumenta supererant. Constans erat ac vetusta traditio sub maiori ara Ecclesiae S. Ianuarii sancti viri exuvias servari. Haec utique ante xv Saeculum generica indefinitaque mansit, at tunc quoad obiectum determinata fuit, cum marmorea épigraphes S. Nostriani nomen referens post diuturnam aetatem denuo tandem in lucem prodiit. Contra huius epigraphis autenticitatem opponitur, eam non fuisse initio perlectam : Esto quid exinde? Postea tamen recognita est et interpretationis auctoritatem miraculum comprobavit. Forsan dicetur non amplius extare, nec potuisse a peritis iudicialiter recognosci? Attamen de eius veritate certitudinem facit tum historici praestantissimi auctoritas, tum publica sacrorum rituum solemnitas Neapolitanae urbis Praesulum auctoritate instaurata.

Ultimo tandem scientiam et tolerantiam Ordinarii in casu esse necessario supponendam Defensor ostendit ex doctrina Benedicti XIV. Ut enim idem Pontifex tradit huiusmodi scientia et tolerantia non modo ex traditione documentisque, verum etiam ex praesumptione deprehendi potest ; quippe ut probe notat Lib. II, cap. 23, n. II « Ordinarii praesumuntur scire quae fiunt in propriis Dioecesibus». Iam vero non poterat Nostriani corpus transferri et sub maiori ara venerari nisi scientia et tolerantia Ordinariorum accessisset ; imo nisi eorum intervenisset auctoritas.

Dilutis difficultatibus cultus praescriptionem impetentibus, Defensor facile se expedit ab iis, quae ad eiusdem cultus possessionem pertinent.

Et primum a ceteris cultus indiciis, quae ipso Fidei Vindice fatente posteriori aetate plura occurrunt, expungendum non esse Pontificium rescriptum quasdam largiens Indulgentias in festo S. Nostriani, probat Defensor ex eo quod Censoris assertio ab ipsius rescripti formula contradicatur. Haec enim talis est ut manifeste tradat, ipsum in Romani Pontificis > Audientia processisse. Non enim ibi legitur per facultates eas indulgentias concessas fuisse, sed, « ex Audientia SSmi ». Incipit vero « SSmus D. N. Clemens Papa XIII Oratorum precibus inclinatus, etc. » ac desinit per ea verba « Voluitque Sanctitas Sua hanc gratiam suffragari absque ulla Brevis expeditione». Formula igitur talis est, ut excludat omnino praefatas indulgentias ab Officiali inscio Pontifice processisse.

Ceteras vero Censorias animadversiones ostendit Defensor nullius esse ponderis. Esto enim non omnes publicae venerationis significationes eodem splendore tractu temporis perdurasse. Quid inde? Hoc unum est satis, scilicet, publicum cultum S. Antistiti exhibitum semper fuisse, et quod praecipuum est, sub maiori ara Ecclesiae S. Ianuarii ad Ulmum pretiosas Antistitis reliquias ad nostra usque tempora quievisse, et super eas divina mysteria fuisse celebrata, quod factum indubium publicae venerationis constituit argumentum. Et licet, translata ad templum S. Michaelis septuaginta Sacerdotum et laicorum Societate, cultus erga S. Nostrianum in S. Ianuarii Ecclesia minori pompa fuerit prosequutus, tamen instauratus tunc primum fuit praefatae Congregationis opera in templo Sancti Michaelis ; quin imo et illuc gloriosi Praesulis reliquiae theca argentea inclusae translatae sunt. Quare si solemnitatis ratione cultus imminutus apparuit, ratione extensionis incrementum persensit.

Quoad marmoream vero S. Nostriani effigiem, quae in Cathedrali visitur Ecclesia, advertit Defensor, quod licet ea

ad templi decorem deserviat, cum tamen inter alia Sanctorum Ecclesiae Neapolitanae Antistitum simulacra admiretur, iure merito publici cultus argumentum suppeditat.

Ad aliud vero quod opponitur reponit Defensor, quod quidquid sit de earum supplicationum natura, quae in generalibus piarum sodalitatum conventibus fieri solent, certum est, ideo Nostriani patrocinium a confratribus exposci, qui inter caelestes patronos, in sacra pii sodalitii aede recolitur; proindeque recensitas preces merito haberi posse uti praeclaram quamdam declarationem publici cultus, quo S. Praesul a vetustissima aetate" honoratur.

Tandem ad Reliquiarum expositionem quod attinet, observat Defensor, quod postquam memoratum Sodalitium ad Ecclesiam S. Michaelis translatum est, nulla pastoralis visitatio eo in templo est peracta; unde pastoralium visitationum silentium nonnisi actorum deficentiae tribuendum est. Ceterum ex superius dictis constat, qua solemnitate Ecclesiastica auctoritas in Sacrarum Reliquiarum recognitione et publica eorum expositione intervenerit. Futili proinde conatu a Censore hoc publici cultus argumentum impetitur.

S. Rituum Congregatio, omnibus in utramque partem prolatis mature perpensis, Iudicum ab Eíño Archiepiscopo Neapolitano Delegatorum sententiam sua auctoritate confirmavit per sequens

DECRETUM. In Ordinario Coetu Sacrorum Rituum Congregationis subsignata die ad Vaticanum coadunato, ab Efño et Rmo Domino Cardinali Dominico Bartolini huius Causae Ponente Proposito Dubio: « An sententia Iudicum ab Emo Neapolitano Archiepiscopo delegatorum super Cultu ab immemorabili tempore praefato Servo Dei exhibito, seu super casu excepto in Decretis sa: me: Urbani Papae VIII sit confirmanda in casu et ad effectum de quo agitur?», Eminentissimi ac Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus maturo examine perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Laurentio Salvati Sanctae Fidei Promotore,

rescribendum censuerunt: « Affirmative seu sententiam esse confirmandam ».

Die 13 aprilis 1878.

Quibus per infrascriptum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII fideliter relatis, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae Congregationis ratum habuit et confirmavit.

Die 2 maii eiusdem anni.

Fr. TH. M. **Card.** MARTINELLI, **S. R. C.** *Praefectus.*

L. © S.

Placidus Ralli, S. R. C. *Secretarius.*

LETTERA

DI SUA SANTITÀ PAPA LEONE XIII

airEminentissimo Card. NINA

SEGRETARIO DI STATO.

27 agosto 1878.

Eminentissimo Signore,

Da grave sventura fu colpito e di vivo cordoglio fu ripieno l'animo Nostro per la inopinata morte del Card. Alessandro Franchi Nostro Segretario di Stato. Chiamato a così alto ufficio per la fiducia che ci avevano di lui ispirato le non comuni sue doti di mente e di cuore ed i lunghi servigi da lui prestati alla Chiesa, seppe corrispondere così pienamente alla nostra aspettazione nel breve tempo che lo avemmo al fianco, che la sua memoria non si cancellerà mai dalla Nostra mente e presso i posteri, come tra i presenti, resterà caro e benedetto il suo nome.

(Versio).

LITTERAE

SANCTISSIMI D. N. LEONIS PAPAE XIII

Ad Eminentissimum Cardinalem NINA

STATUS SECRETARIUM.

27 augusti 1878.

Eminentissime Domine,

Inopina Cardinalis Alexandri Franchi Status Secretarii nex, gravem attulit moerorem, ingeniique animum tristitia replevit Nostrum. Ad praeclarum vocatus munus huiusmodi, existimationis gratia, quam Nobis intulerant; praenobiles illius tum mentis tum cordis dotes longaque ab eodem Ecclesiae praestita officia ita abunde Nostrae respondere valuit expectationi, brevi quo ad latus tempore stetit Nostrum, ut memoria illius numquam ex animo excidet Nostro, nomenque illius apud posteros, ceu aptid praesentes, in benedictione erit.

Ma poiché piaeque al Signore di sottoporci a questa prova, Noi, adorati con animo sommesso i divini consigli, rivolgemmo tosto tutti i Nostri pensieri alla scelta del successore e fissammo gli occhi sopra di Lei, Sig. Cardinale, di cui Ci era ben nota la molta perizia nel maneggio degli affari, la fermezza dei propositi, lo spirito di generoso sacrificio, ond'è animata in pro della Chiesa.

Ci parve tuttavia opportuno nell'intraprendere l'esercizio della nuova carica dirigerle la presente lettera, per aprirle la Nostra mente sopra alcuni rilevantissimi punti, ai quali dovranno in particular modo essere rivolte le incessanti sue cure.

Già fin dai primi giorni del Nostro Pontificato dall'altezza dell'Apostolico Seggio volgemmo i nostri sguardi sulla presente società per conoscerne le condizioni, per indagarne i bisogni, ed avvisare ai rimedi. E sin d'allora, nelle Lettere Encicliche scritte a tutti i Venerabili fratelli nell' Episcopato, deplorammo lo scadimento delle verità non pure soprannaturali conosciute per fede, ma naturali altresì sia speculative sia pratiche, la prevalenza di funestissimi errori, ed il gravissimo pericolo che corre la società per i disordini sempre crescenti, ond'è sconvolta. Dicemmo cagione potentissima di tanta rovina essere la proclamata separazione, e la tentata apostasia della presente società da Cristo e dalla sua Chiesa, nella quale

Verumtamen ex quo ila Nos probavit Deus, divina humili animo reveriti consilia, omnem adhibuimus sollicitudinem ad successorem eligendum, et super te, Eme Domine, oculos defiximus Nostros; cuius Nos haud latent singularis in rebus agendis prudentia, propositorum tenacitas, generosique sacrificii spiritus, quibus Ecclesiae favore honestaris.

Verum abs re haud esse, Nobis visum est, has Tibi novum subituro onus, dare litteras, per quas animus Tibi panderetur Noster quoad nonnulla maximi momenti, ad quae apprime perspicax tua sollicitudo dirigi oportebit.

A primis usque Pontificatus Nostri diebus, ex Apostolici Solii celsitudine, praesentem intuiti sumus societatem, eo moti consilio ut eiusdem per nosceremus conditiones, investigar emus necessitates, opportunaque excogitaremus remedia. Ex tunc in Litteris Encyclicis ad omnes in Episcopatu Venerabiles Fratres conscriptis, questi sumus quod prolaberentur nedum supernaturales, per fidem cognitae, veritates, sed etiam naturales, speculativae et practicae ; quod errores praevalerent funestissimi, et societas radicitus periclitaretur, perturbationum m diem succrescentem causa, quibus agitatur. Potissimam innuimus tantae esse ruinae causam proclamatam separationem, tentatamque praesentis societatis apostasiam a Christo eiusque Ecclesia, apud quam solummodo virtus extat gravissimis apta

sola è virtù che basti a ristorarne i gravissimi danni. Alla luce sfol gorante dei fatti mostrammo allora, che la Chiesa fondata da Cristo per rinnovare il mondo, fin dalla sua prima comparsa in mezzo di esso, incominciò a fargli sentire grande conforto della sua virtù sovrumana, e che nelle epoche più tenebrose e funeste fu il solo faro che additava la via sicura, il solo rifugio che promettea tranquillità e salvezza. Da ciò era facile inferire, che se nei tempi che furono la Chiesa valse a spargere sulla terra benefici così segnalati,
10 può senza fallo anche al presente: che la Chiesa, come tiene per fede ogni cattolico, animata sempre dallo spirito di Gesù Cristo, il quale le promise l'immanchevole sua assistenza, fu costituita maestra di verità e custode di una legge santa ed immacolata^ e come tale possiede anche oggidì tutta la forza per opporsi al guasto intellettuale e morale che ammorba la società, e richiamarla a salute. E poiché nemici scaltrissimi, per metterla in mala vista e nimicarle
11 mondo, vanno spargendo gravi calunnie contro di essa, Noi Ci facemmo sin dalle prime a dissipare i pregiudizi e a sventare le accuse, certi che i popoli, conosciuta la Chiesa, qual'è realmente, e la sua benigna natura, sarebbero da ogni parte tornati volonterosi al seno di lei.

Guidati da tali intendimenti volemmo far sentire la Nostra voce a quelli altresì che reggono le sorti delle nazioni, invitandoli calda-

reficiendis damnis. Tunc clarissima factorum hice ostendimus, Ecclesiam a Christo fundatam, ut mundus innovaretur, ab ineunte eius apparitione, magnum mundo eidem exhibuisse suae divinae virtutis solamen; atque in tenebricosis tristissimisque temporibus instar phari unicae sese praebuisse, quae tulum ostenderet iter, et asyli, in quo solummodo tranquillitas et salus sperari poterant. Ex inde facile colligi poterat, quod si temporibus anteactis beneficia quam maxima in terris gignere Ecclesia valuit, hoc idem etiam in praesenti, absque ullo dubio, conficere valet: quoniam Ecclesia, ceu fidelis quilibet ex fide tenet, spiritu Iesu Christi fota, qui eidem in deficientem pollicitus est assistentiam, veritatis magistra et immaculatae sanctaeque religionis custos constituta fuit; talisque quum sit, etiam nunc tota pollet virtute obicem corruptioni intellectuali moralique parandi, quae societatem inficit, eamdemque ad salutem revocandi. Quoniam vero hostes callidissimi, ut Ecclesia parvipendatur eidemque infensus fiat mundus, graves in eam spargunt calumnias, Nos imprimis ut praeiudicia dissiparentur, accusationesque eliminarentur curavimus, securi quod populi, cognita Ecclesia, qualis reapse est, eiusque indole benigna, undequaque ad illius libenter redirent sinum.

Hisce permoti consiliis, sategimus ut vox Nostra aures quoque illorum attingeret, qui sortes nationum moderantur, eosdem enixe

mente a non rifiutare, in questi tempi ehe così stringe il bisogno, il validissimo appoggio che loro offre la Chiesa. E spinti dall'Apostolica carità, Ci rivolgiamo anche a coloro che non sono a Noi uniti col vincolo della religione Cattolica, desiderosi che anche i loro sudditi sperimentino i benefici influssi di questa divina istituzione.

Ella ben sa, sig. Cardinale, che per secondare questi impulsi del Nostro cuore dirigemmo la parola anche al potente Imperatore dell'illustre nazione Germanica, la quale per le difficili condizioni fatte ai Cattolici, richiamava in modo particolare la nostra sollecitudine. Quella parola, ispirata unicamente dalla brama di vedere ridonata la pace religiosa alla Germania, venne accolta favorevolmente dall'augusto Imperatore, e sortì il buon effetto di condurre ad amichevoli trattative: nelle quali non fu Nostro intendimento di addivenire ad una semplice tregua che lascerebbe aperta la via a nuovi conflitti; ma di stringere, rimossi gli ostacoli, una pace vera, solida e duratura. L'importanza di questo scopo, giustamente apprezzata dall'alto senno di coloro che hanno in mano i destini di quell'impero, li condurrà, ne abbiamo fiducia, a darci benigna la mano per conseguirlo. Se ne allieterebbe senza dubbio la Chiesa per vedere in quella nobile nazione ristabilita la pace; ma non meno se ne allieterebbe l'impero, che, pacificate le coscienze, troverebbe come

exorantes, ne, his in adiunctis, quibus necessitas urget, firmissimum adiutorium ab Ecclesia illis exhibitum, respuerent. Apostolica autem impellente charitate, idem etiam peregimus apud illos, qui religionis Catholicae vinculo Nobiscum haud obstringuntur, cupientes ut eorumdem subditi quoque beneficos huius divinae institutionis fructus experientur.

Haud te fugit, Eme Domine, Nos, ut istos animi motus sequeretur, allocutos eliam fuisse potentem Imperatorem illustris Nationis Germanicae, quae, difficilium conditionum causa, quibus Catholici premuntur, nostram praecipue expetebat sollicitudinem. Verbaque nostra, unice a desiderio parta, religiosam videndi pacem Germaniae restitutam, aequo excepta fuerunt animo ab augusto Imperatore, bonumque ita sortita fuerunt exitum ut amice pertractarelur ; quo in casu nedum solliciti fuimus ut simplices paciscerentur induciae, quae novis reseratam certaminibus viam relinquerent ; sed, ut obstaculis amotis, pax intretur vera, solida atque permanens. Cuiusmodi finis gravitas, rite perpensa a sollerti ingenio illorum, qui Imperii illius summa potiuntur rerum, efficiet, arbitramur, ut amicam Nobis manum praebeant ad eumdem consequendum. Gauderet, absque dubio, Ecclesia de pace nobili illi Nationi reddita; ast Imperium non minori

altre volte, nei figli della Chiesa Cattolica i sudditi più fedeli e più generosi.

Neppur potevano sfuggire alla Nostra paterna vigilanza le contrade dell'Oriente, nelle quali i gravissimi avvenimenti, che vi si vanno svolgendo, preparano forse un migliore avvenire agl'interessi della Religione. Nulla da parte della Sede Apostolica sarà omesso per favorirli; e Ci sorride la speranza che le illustri Chiese di quelle regioni tornino finalmente a vivere di vita feconda, e a brillare dell'antico splendore.

Questi brevi cenni Le rivelano abbastanza, signor Cardinale, il Nostro disegno di portar largamente l'azione benefica della Chiesa e del Papato in mezzo a tutta quanta l'odierna società; è necessario che anch'Elia metta tutti i suoi lumi e tutta la sua operosità per mandare ad effetto questo disegno che Iddio Ci pose nel cuore.

Oltre a ciò dovrà rivolgere la sua più seria attenzione sopra un altro punto di altissima importanza, cioè sopra la difficilissima condizione creata al Capo della Chiesa in Italia, ed a Roma, dopo che fu spogliato del temporale dominio che la Provvidenza da tanti secoli gli aveva concesso a tutelare la libertà del suo spirituale potere.

afficeretur laetitia, eo quia, conscientiis pacatis, experiretur, in filios Catholicae Ecclesiae, subditos fideliores atque generosiores.

Neque Orientis regiones paterna Nostra oblivisci poterat vigilantia, in quibus maximi ponderis casus, qui nunc eo evolvuntur forsan Religionis utilitati aptiora praeparant tempora. Nil intentatum Apostolica Sedes dimittet ut eidem faveat ; iamque dulcis Nobis spes arridet fore ut praenobiles harum regionum Ecclesiae ad foecundam redeant vitam, atque ad vetustum decus.

Paucis, **Eine** *Domine, hisce verbis satis certior fis, mentem esse Nostram ut in medio totius hodiernae Societatis actio benefica Papatus et Ecclesiae large explicetur ; opus est ut tu quoque sedulam naves operam, tuisque utaris luminibus ad consilium quod Nobis Deus inspirat perficiendum.*

Alia insuper tibi magni ponderis res serio perpendenda est ; conditio nempe difficillima, quae in Italia et Romae Capiti facta est Ecclesiae, quum orbatum fuerit dominio illo temporali, quod divina Providentia multis abhinc saeculis ad protuendam suae spiritualis potestatis libertatem, eidem contulerat. Neque immorari libet in expendendo, violationem iurium sacrorum Sedis Apostolicae Romamque Pontificis, bono populorumque utilitati apprime officere; etenim, quum viderint in ipsa Vicarii Christi persona impune violata fuisse vetustissima sacraque iura, idea iustitiae et aequi profunde apud

Non vogliamo qui fermarci a riflettere, che la violazione delle ragioni più sacrosante della Sede Apostolica e del Romano Pontefice è fatale anche al benessere e alla tranquillità dei popoli, nei quali, al vedere i più antichi e i più sacri diritti impunemente violati nella stessa persona del Vicario di Cristo, resta profondamente scossa l'idea del dovere **e** della giustizia, vien meno il rispetto alle leggi, e si giunge a rovesciare le stesse basi della civile convivenza. Neppure intendiamo intrattenerla a considerare, che i Cattolici dei diversi Stati non potranno mai essere tranquilli, finché il loro Pontefice sommo, il **Maestro** della loro fede, il Moderatore delle loro coscienze, non sia circondato di libertà vera e di reale indipendenza. Non possiamo però dispensarci dall'osservare, che mentre il Nostro spirituale potere, per la sua divina origine e sovrumana destinazione, e per esercitare la sua benefica influenza a favore dell'umano consorzio, è necessario che goda di pienissima libertà, **per** le presenti condizioni invece resta così impedito, che Ci diviene difficilissimo il governo della Chiesa universale.

La cosa è notoria e confermata da fatti quotidiani. Le solenni doglianze, mosse dal Nostro Antecessore Pio IX di f. m. nella memoranda Allocuzione concistoriale del 12 marzo 1877, possono ad eguale ragione ripetersi anche da Noi, colla giunta non lieve, per i nuovi ostacoli frapposti all'esercizio del Nostro supremo potere. Per fermo

eosdem excutitur, legum reverentia imminuitur, eoque pervenitur ut ipsae civilis societatis bases subvertuntur. Nolumus pariter Te longius detinere ut animo repetes statuum diversorum Catholicos tranquillitate frui non posse, donec Summus illorum Pontifex, fidei eorumdem Magister, coscientiarumque ipsorum Moderator vera absolutaque gaudeat libertate. Animadversionem praeterire tamen nequimus, quod dum spiritualis iurisdictio Nostra, ob eius divinam originem, finemque supernaturalem, et ut applicare possit actionem suam beneficam humanae societatis favore, plenissimam possidere debeat libertatem ; ex adverso tamen, praesentibus rerum adiunctis, sic impeditur ut Ecclesiae universalis regimen perdifficile Nobis fiat.

Res notoria, f actis confirmatur quotidianis. Solemnes quos tulit Antecessor Noster f. r. questus, in memorabili Allocutione consistoriali diei 12 martii 1877, aequo iure per Nos repeti queunt, adiectis aliis haud levibus, ob nova supremae Nostrae potestatis exercitio obstacula interposita. Et re quidem vera, nedum queri Nobis oportet, veluti Noster illustris antecessor, Religiosorum abolitionem, quae validum subtrahit Pontifici auxilium pro SS. Congregationibus, quibus negotia Ecclesiae maxima expenduntur ; nedum dolendum quod divino cultui subtrahantur Ministri, lege quoad militum dele-

non solo dobbiamo lamentare, come l'illustre Nostro Antecessore, la soppressione dei Religiosi, che tolse al Pontefice un valido aiuto nelle Congregazioni ove si trattano i più rilevanti affari della Chiesa; non pure dobbiamo dolerci che si tolgano al culto divino i ministri con la legge sopra il reclutamento militare, la quale tutti indistintamente costringe al servizio delle armi; che vengano sottratte a Noi ed al Clero le istituzioni di carità e di beneficenza erette in Roma o dai Romani Pontefici, o dalle Cattoliche nazioni, che le posero sotto la vigilanza della Chiesa; non pure, con immensa amarezza del nostro cuore di padre e di pastore, siamo costretti a vedere sotto i nostri' occhi i progressi dell'eresia in questa stessa città di Roma, centro della Cattolica religione, ove impunemente tempii e scuole eterodosse s'innalzano in gran numero, ed a scorgere il pervertimento che ne consegue- specialmente di tanta parte di gioventù alla quale viene propinata un'istruzione scredente; ma, come se tutto ciò fosse poco, si tenta di rendere vani gli atti stessi della nostra spirituale giurisdizione.

Le è ben noto, signor Cardinale, come dopo l'occupazione di Roma affine di tranquillizzare in parte le coscienze dei Cattolici altamente preoccupati della sorte del loro Capo, con pubbliche e solenni dichiarazioni si protestò di voler lasciare in piena libertà del Pontefice la nomina dei Vescovi alle diverse sedi d'Italia. Ma

ctum, quae omnes indiscriminatim cogit ad arma; quod Nobis et Clero eripiantur charitatis et beneficientiae instituta, Romae erecta sive a Romanis Pontificibus, sive a Catholicis nationibus, quae sub Ecclesiae vigilantia posuerunt illa ; nedum gravissimo cordis Nostri Patris et Pastoris moerore, conspicere obstringimur sub oculis Nostris haeresiae progressus hac in ipsa urbe Romae, Catholicae Religionis centro, ubi impune templa scholaeque eterodoxae innumerae eriguntur, perversionemque intueri debemus, quae ex his prosequitur, praesertim in magna iuvenum parte, quibus instructio fide vacua exhibetur; verumtamen, quasi omnia haec satis non essent, conamina fiunt ut vana spiritualis Nostrae iurisdictionis acta reddantnr.

Probe calles, Eme Domine, quomodo, Roma capta, publicis solemnibusque declarationibus proiestatum fuerit, Episcoporum electionem, pro diversis Italiae Sedibus, in absoluta Pontificis libertate esse relinquendam, ut conscientiis Catholicorum agitatis, quoad eorum Capitis conditionem, tranquillitas redderetur. Deinde vero sub specie, quod acta canonicae Episcoporum institutionis, haud placito regio *submissa fuerint, nedum novis investitis reditus mensarum denegati fuere, causam sic dando Apostolicae Sedi gravium expen-*

poi sotto il pretesto che gli atti della loro canonica istituzione non venivano sottoposti al placito governativo, non solo furono negate ai novelli investiti le rendite delle loro mense, cagionando così un gravissimo dispendio alla Sede Apostolica, costretta di provvedere al loro sostentamento; ma con gravissimo danno delle anime alle loro cure affidate, neppure si vollero riconoscere gli atti di episcopale giurisdizione da loro emanati, quali sono le nomine alle Parrocchie e ad altri ecclesiastici benefìci. E quando per ovviare a questi mali gravissimi, fu dalla Sede Apostolica tollerato che i Vescovi d'Italia, nuovamente eletti, presentassero le Bolle di nomina e d'istituzione avvenuta secondo i canoni, non per questo divenne più tollerabile la condizione della Chiesa ; che, nonostante la presentazione voluta, a molti Vescovi per vani motivi si continuò a negare le rendite e a disconoscersi la giurisdizione. Quelli poi che possono conseguire l'intento, veggono le loro domande rimesse dall'uno all'altro ufficio, e assoggettate a lunghissimi indugi: ed uomini rispettabili, per virtù e dottrina distinti, giudicati dal Pontefice degni di occupare i primi gradi dell'ecclesiastica gerarchia, sono costretti a subire l'umiliazione di vedersi sottoposti a segrete minutissime inquisizioni, a guisa di gente sospetta e volgare. Lo stesso Venerabile Fratello da Noi destinato ad amministrare in nome Nostro la Chiesa Perugina, quantunque già preposto al governo di un'altra Diocesi, e in essa

sarum, quae eorum alimentis consulere debuit; sed gravissimo cum discrimine animarum eorumdem curis commissarum, neque recognita fuere acta Episcopalis iurisdictionis ab eisdem emissa, qualia sunt nominationes ad Paroecias atque ad alia ecclesiastica beneficia. Etiam quum, ut istis gravissimis obviam iretur malis, Sedes Apostolica toleraverit, Episcopos Italiae ultimo electos, exhibere Bullas nominationis atque institutionis iuxta Canones peractas, tamen Ecclesiae conditio haud tolerabilior effecta est; quoniam, hac nonobstante praetensa exhibitione, vanis de causis, haud Episcopis quamplurimis redditus tradere, eorumdemque iurisdictionem haud ratam habere prosequutum est. Qui autem intentum consequi valent, suas vident tamen petitiones longissimis subiici moris, eoquod de uno ad aliud remittantur officium; virique doctrina atque virtute insignes, digni a Pontifice reputati qui altiores Ecclesiasticae iurisdictionis occupar ent gradus, ita se despici sentiunt ut audire coacti sint de seipsis, ceu de suspectis atque vulgaribus personis, peculiares clam fieri inquisitiones. Ipseque venerabilis frater Noster, quem praemisimus administrationi, Nostro nomine, Perusinae Ecclesiae, etsi iam aliam regeret Dioecesim, in eaque legaliter recognitus fuerit, longo post tempore, adhuc frustra responsum expectat. Atque ita, astu infelici,

legalmente riconosciuto, dopo lungo tempo attende ancora invano una risposta. Così con infelice astuzia si toglie alla Chiesa con la sinistra mano quello che per ragioni politiche si finse di darle con la diritta.

A rendere più grave lo stato delle cose, per non poche Diocesi d'Italia si vollero recentemente mettere in campo i diritti di regio patronato, con pretensioni così esagerate e con sì odiose misure, che al Venerabile Nostro Fratello, l'Arcivescovo di Chieti, con giudiziale intimo non solo si contrasta la giurisdizione, ma inoltre si dichiara irrita la sua nomina, e si disconosce lo stesso suo carattere Episcopale.

Non è Nostra mente fermarci a mostrare l'insussistenza di tali diritti, che d'altronde viene riconosciuta da molti anche della parte avversa. Ci basta solo di ricordare, che la Sede Apostolica, alla quale è riservata la provvista dei Vescovati, non fu solita concedere il diritto di patronato se non a quei Principi che molto bene avessero meritato della Chiesa, sostenendone le ragioni, favorendone l'ampliazione, accrescendone il patrimonio; e che quelli che la combattono, impugnandone i diritti, appropriandosene le sostanze, addivengono per ciò solo incapaci, secondo i Canoni, di esercitarlo.

I fatti che abbiamo finora toccato, evidentemente accennano al proposito di continuare in Italia un sistema di sempre crescente osti-

subducitur Ecclesiae, manu laeva, quod politicis de causis eidem tradi, dextera manu, simulatum est.

Ut adiuncta rerum graviora fierent, quoad complures Italiae Dioeceses, nuperrime iura regii patronatus in medium allatae fuere, tali praetensi iuris exageratione, modisque ita infensis, ut Ven. Fratri Nostro Archiepiscopo Teatensi iudiciali declaratione contestaretur iurisdictio, et irrita eius habeatur nominatio, ipseque Episcopalis illius character haud recognosci velit.

Nobis adlaborandum non esse arbitramur, ut evincamus iura eiusmodi inania esse; quoniam adversae partes complures idipsum fatentur. Solummodo ad memoriam redigere libet, Sedem Apostolicam, cui Episcopatuum provisio reservatur, solitam fuisse iuspatronatus indulgere Principibus illis tantum, qui magnopere de Ecclesia benemeriti essent, iura protuendo, amphficationi favendo, augendoque illius patrimonia; illos vero, qui eamdem adversus decertant, iura illius impugnando, substantiasque eiusdem usurpando, hac sola de causa, incapaces, iuxta Canones, ad idem exercendum fieri.

Quae usque adhuc pertingimus facta, indubitanter propositum innuunt prosequendi in Italia systema hostilitatis contra Ecclesiam

lita verso la Chiesa, e mostrano ben chiaro quai sorta di libertà le sia riservata e di qual rispetto si voglia circondare il Capo della Religione Cattolica.

In questa condizione di cose sì deplorevole, non ignoriamo, signor Cardinale, i sacri doveri che c'impone l'Apostolico ministero; e cogli occhi fissi in Cielo, coll'animo confortato dalla certa speranza del divino aiuto, ci studieremo di non fallirvi giammai. Ella poi che dalla nostra fiducia fu chiamato a parte delle nostre altissime cure, rechi, come l'illustre suo antecessore, all'adempimento dei nostri disegni il concorso della sua ferma ed intelligente operosità, certa che non le verrà mai meno la Nostra assistenza.

Intanto, come pegno del Nostro particolare affetto, riceva l'Apostolica benedizione che dall'intimo del cuore le impartiamo.

Dal Vaticano, 27 agosto 1878.

LEO PP. XIII.

in dies crescentis, clariusque ostendunt quodnam libertatis gemis, •eidem reservetur, quonamque respectu Religionis Catholicae Caput •circumvenit debeat.

Tnfando in hoc rerum statu, Eme Domine, haud sacra ignoramus onera, quae Nobis Apostolicum imponit ministerium ; oculisque in Coelum defixis, animo autem certa divini auxilii spe suffulto, ut numquam eisdem deficiamus sedulam dabimus operam. Tu vero, quem Nostra fiducia in partem maximarum sollicitudinum Nostrarum vocavit, confer, ceu tuus sollers Antecessor, constantem atque intelligentem operam tuam, ut Nostra impleantur consilia, securus quod numquam Tibi defutura sit adsistentia Nostra.

Excipe nunc, ceu pignus singularis Nostrae praedictionis, Apostolicam benedictionem, quam Tibi ex intimo cordis impertimur.

Ex Aedibus Vaticanis, die 27 augusti 1878.

LEO PP. XIII.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

CIRCA APPLICATIONEM SECUNDAE MISSAE.

PER SUMMARIA PRECUM.

Die 14 septembris 1878.

Compendium facti. Episcopus *N.* **in Gallia, exposuit ab anno 1842 institutam fuisse in sua Dioecesi Sacerdotum Congregationem S. Iosephi, indulgentia a S. Sede ditatam, cuius sodales semel, pro unoquoque sacerdote confratre defuncto, Missam celebrare debent. Sacerdotes, quibus binare concessum est diebus Dominicis et festis, secundam litarunt Missam pro defunctis confratribus, arbitrantes id se facere posse tuta conscientia. Attamen cum dubium exortum fuerit circa eiusmodi agendi modum, Ordinarius quaesivit : an Missa binationis offerri possit, ut in casu, pro defunctis Confratribus.**

Disceptatio synoptica.

ARGUMENTA CONTRARIA. EX **Constitutione Bened. XIV,** *Cum semper oblatas,* **et ex constanti disciplina S. C. Concilii clare patet vetitum esse Parocho aut alii Sacerdoti Missam iteranti, quominus pro secundae Missae applicatione eleemosynam percipiat. Huius constantis decisionis ratio in hoc posita est ut quodlibet mercimonium a rebus sacris removeatur ; et ideo nedum directa eleemosynae perceptio pro secundae Missae applicatione, sed etiam quivis praetextus percipiendi eleemosynam, et quaecumque indirecta eiusdem eleemosynae perceptio est arcenda.** [1]

[1] Confer causam relatam, Vol. IX, pag. 297 et seqq.

Quibus positis, videtur sacerdotem applicare non posse secundam Missam pro confratribus defunctis : quia si non directe, saltem indirecte videtur eleemosynam percipere, dum applicans Missam pro confratre sacerdoti satisfacit obligationi cui si per se non satisfaceret vel alii stipendium repeiidere deberet, ut Missam illam celebraret, ad quam ipse ex obligatione tenetur dando suum nomen praedicto sodalitio, vel saltem eleemosynam Missae amittere deberet. Quare secundam Missam applicando saltem rebus suis parceret, et ita indirecte eleemosynam reciperet.

ARGUMENTA FAVORABILIA. EX **altera vero parte perpendendum est quod secundam Missam applicando pro confratribus defunctis, Sacerdos eleemosynam nec directe, nec indirecte percipit. Non directe, quia in facto nihil recepit ; non indirecte, nam ad ipsam applicandam adstringitur non iustitiae, sed charitatis vinculo. Unde cum nulla lex prohibitiva reperiatur, quae secundam Missam applicare prohibeat pro sua devotione, vel pro suis defunctis aut animabus in Purgatorio degentibus, nihil vetare videtur quominus pro suffraganda confratris defuncti anima secundum applicet sacrificium. Notum enim in iure est, quod illud censetur permissum, quod non est a iure prohibitum.**

Hisce praeiactis, prudentiae Emorum Cardinalium remissum fuit perpendere, quonam responso dimittendum fuisset propositum dubium.

RESOLUTIO. **S. Congregatio Concilii, visis videndis, sub die 14 septembris 1878 respondere censuit: «Licere».**

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Ex hac etiam resolutione sartam tectamque, nobis videtur, manere tum S. C. Concilii maximam, tum dispositionem Bened. XIV in Constit. *Cum semper oblatas;* **quod nempe Sacerdos pro secunda Missa, nullam recipere possit eleemosynam neque directo neque indirecto.**

II. Huius constantis inhibitionis rationem in hoc positam esse ut omnis avaritia, omnisque etiam mercimonii suspicio a rebus sacris arceatur.

III. Intentionem principalem disponentis (quam semper in applicatione legis attendere oportet) esse ut prospiciatur potius disciplinae ecclesiasticae robori, quam Sacerdotum utilitati. [1]

IV. In themate nullimode sive directe sive indirecte eleemosynam percipi a Sacerdotibus secundam litantibus Missam pro confratribus defunctis, ideoque eisdem licere id peragere: quia nullum ius prohibet ut quis secundam applicet Missam pro illis, erga quos non lege iustitiae, sed vinculo charitatis tantum obstringitur.

[1] Quoties S. Congregatio Concilii interpretata est Constit. Bened. XIV, *Quod expensis* in qua loquitur Pontifex de prohibitione recipiendae eleemosynae pro secunda aut tertia Missa, eamdem tenuit praxim. Huius rigoris specimen dedit S. Congregatio in *Trevirensi eleemos.* 23 martii 186L Quae relata fuit, Vol. I, pag. 13. Agebatur in ea de Missa secunda celebranda cum gravi incommodo, et consuetudo ferebat ut eleemosyna pro hac secunda missa ex quibusdam beneficiis perciperetur : attamen S. Congregatio edixit; solummodo posse permitti prudenti arbitrio Episcopi, aliquam remunerationem, intuitu laboris et incommodi, exclusa qualibet eleemosyna pro applicatione Missae.

EX 8. CONGREGATIONE INDICIS

DECRETUM.

Feria II die 16 septembris 1878.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONE PAPA XIII Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae eorumdemque proscriptioni, expurgationi, ac permissioni, in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano die i iulii an. 1878 damnavit et damnat, proscripsitproscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur Opera.

Gioia Gio. Battista cav. prof. Esposizione critica della Genesi. Roma, tip. Mugnoz, 1877.

Scholl Aurélien. Le procès de Jéstis-Christ. Paris, Maurice Dreyfous éditeur.

Larroque Patrice. Religion et Politique, études supplémentaires et lettres précédées d'une notice biographique. Paris Calman Lévy éditeur, 1878.

Giacomo (P.) dei S. Cuor di Maria. Nuovo Saggio intorno all'azione di Dio sulla libertà dell'uomo secondo la vera dottrina di S. Tommaso. Napoli, tip. della R. Accademia delle scienze fisiche e matematiche, 1877. *Decr. S. Off., fer. IV, 14 augusti 1878.*

Giacomo (P.). Il nuovo Saggio intorno all'azione di Dio, ecc., difeso dall'Autore. Napoli, tipografia dell'Accademia delle

scienze, ecc. 1878. *Eod. Decr. Auctor laudabiliter se subiecit et opus reprobami.*

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, quocumque loco, et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus ea tradere teneatur sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

*Quibus Sanctissimo Domino Nostro LEONI PAPAE XIII per me infrascriptum S. I. C. a Secretis relatis. Sanctitas Sua Decretum*probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem, etc.*

Datum Romae, die 20 septembris 1878.

Fr. THOMAS MARIA **Card.** MARTINELLI, *Praefectus.*

L. © S.

Fr. Hieronymus Pius Saccheri, Ord. Praed.,
S. Ind. Congreg, *a Secretis.*

Die 24. septembris 1878, ego infrascriptus magister Cursorum testor supradictum Decretum affVxum et publicatum fuisse in Urbe.

Philippus Ossani, *Mag. Curs.*

SSmi D. N. Leonis Papae XIII Breve, quo editio Gradualis Romani, iam confecta, nec non Antiphonarii et Psalterii iam aggressa ab equite Friderico Pustet probatur et authentica declaratur.

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Sacrorum concentuum dignitati consulere, potissimum vero Gregoriani Cantus uniformitati providere semper summis Pontificibus curae fuit. Quapropter peculiari benevolentia ac laudibus eos viros prosequuti sunt qui ad tam salubre ecclesiastici cantus institutum propagandum in choricis Romanae Ecclesiae libris accurate edendis artis typographicae subsidium contulerunt. Hac ratione Pius IX. Praedecessor Noster tecum, Dilecte Fili, se gerere non dubitavit, quod cum Typographi summi Pontificis et Congregationis SS. Rituum titulo insignitus sis, Gradualis, quod vocant, Romani editionem accuratissimam, iuxta normas ab memorata SS. Rituum Congregatione tibi praescriptas, ad exitum feliciter perduxeris. Nunc vero pari studio ac diligentia, ut inchoatum olim a fel. mem. Paulo V. Praedecessore Nostro opus perficeres, Antiphonarii ac Psalterii universi cum cantu editionem, iuxta praedictas normas, ea servata ratione, quae in Romana Aula viget, adornare aggressus es. Cuius operis cum pars continens horas diurnas iam absoluta sit, aequum plane est, ut curam industriamque tuam ea in re collocatam commendemus. *« Itaque memoratam editionem a Viris ecclesiasticis cantus apprime «peritis, ad id a SS. Rituum Congregatione deputatis revisam, « probamus, atque authenticam declaramus, Reverendissimis loco- « rum Ordinariis, caeterisque, quibus Musices Sacrae cura est vehe- « menter commendamus: id potissimum spectantes, ut sic cunctis in « locis ac Dioecesibus, cum in coeteris, quae ad Sacram Liturgiam « pertinent, tum etiam in cantu, una eademque ratio servetur, qua « Romana utitur Ecclesia »*. Praetera iura omnia et privilegia, quae ob ecclesiasticorum librorum a te peractas editiones, ab hac Sancta Sede per SS. Rituum Congregationem, concessa tibi fuerunt, hisce Litteris confirmamus, iterumque, si opus fuerit, elargimur, ad certissimum benevolentiae Nostrae pignus Apostolicam Benedictionem tibi, tuisque omnibus peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die xv novembris JMDCCCLXXVIII. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Pr. D. Card. ASQUINIO.

L. $ S.

D. Jacobini, *Substitutus.*

EX S. CONGREGATIONE SS. RITUUM[1]

NETEN.

PATRONATUS PRINCIPALIS.

Die 13 aprilis 1878.

Compendium facti. Anno volvente 1874, Capitulum Collegiatae Ecclesiae S. Georgii civitatis Mothucae, preces Pontifici obtulit quae sequuntur. « A remotissimis usque tem- « poribus, cum Rogerus héros Sicaniam a Saracenis liberaret, « Mothucae Patronus Principalis veneratur S. Georgius Titu- « laris Insignis Collegiatae Matris Ecclesiae huius civitatis, « iam Siracusanae, modo Netensi Dioecesi subiectae. Crescente « in dies huius populi erga Sanctum Märtyrern deditione, « Sacrorum Rituum Congregatio, per decretum diei 2 iulii 1661, « hoc postulante Capitulo, Clero huius civitatis Saeculari « itemque Regulari facultatem indulgebat recitandi orationes « et lectiones proprias eiusdem Sancti sub ritu duplici cum « octava. Nostro hoc tempore, saevientibus quotidie magis « christiani nominis hostibus, qui non modo Sanctorum cultum

[1] Longiorem quam nobis in usu sit huius causae expositionem praebemus: talis enim visa est nobis quaestionis peculiaris indoles in qua fas esset diutius immorari. Praesertim id suadebat controversiarum huiusmodi infrequentia, cum prima haec sit quae a nostrae ephemeridis ortu nobis occurrerit. Accedit gravitas sanctionum de quibus disputatum est, et factispecies, pro quaestionum multiplicitate, numeris vere omnibus absoluta. Quae ut melius innotesceret, a nobis quibusdam documentis illustratur, nempe decretis a S. Rituum Congregatione editis in subiecta materia. Haec autem ob decreta, nec non ob nomina Historicorum in Sicilia illustrium, quorum scriptis usi sunt contendentes ; nobis necesse fuit et locum controversiae, et ipsorum contendentium nomina, praeter consuetudinem nostram indicare.

« sed ipsam Iesu Christi divinitatem aggressi sunt, auctus « quoque est erga S. Georgium amor ac devotio huius populi., «qui per eius intercessionem Ecclesiae triumphum expectat. « Quapropter subscripti, ad maiorem Dei gloriam et fidelium « aedificationem, nec -non ad satisfaciendum huius populi devotioni eamque ulterius inflammandam, ad pedes Sanctitatis. « Vestrae provoluti, postulant pro gratia ut Sanctitas Vestra «declarare dignetur: diem 23 aprilis qua festum S. Georgii « recolitur, pro hac civitate et territorio, uti pro civitate et « territorio Ragusae, de praecepto esse servandam ».

Huiusmodi preces, pluribus subscriptionibus communitas commendaverat die 4 februarii 1874 Netensis Antistes in calce libelli scribens : « Mothucae, in decursu S. Visitationis. « Infrascriptus Ordinarius testatur expositi veritatem, censetque « posse oratoribus iuxta petita indulgen pro civitate Mothucae « tantum, attenta singulari erga Sanctum Märtyrern Georgium « deditione, qua aliunde dies illi sacra et festiva et cum sacri « auditione celebratur ».

Qui institerant voti compotes facti sunt: et sub die 30 aprilis anni eiusdem, Sacrorum Rituum Congregatio rescriptum edidit ex audientia SSfñi quo indulctum est « ut amodo in « civitate Mothucae tantum, praefatum S. Georgii festum reco- « latur sub utroque praecepto adstandi scilicet Sacro, et a « servilibus abstinendi. [1]

' Lectorum oculis subiicimus textum decreti diei 30 aprilis 1874. « Neten : « Capitulum et Canonici Collegiatae Ecclesiae Civitatis Mothucae intra « limites dioecesis Neien. reliquus Clerus ac Populus tanto devotionis affectu « feruntur erga S Georgium Märtyrern, praefatae Collegiatae Titularem,. « et Praecipuum eiusmodi oppidi Patronum, ut humillimis datis precibus, « a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa IX enixe imploraverint, ut in « eodem oppido eiusque territorio amodo festum ipsum die xxiii aprilis « occurrens, recoli valeat sub utroque praecepto, adstandi scilicet Sacro et « a servilibus abstinendi.

« Sanctitas porro Sua hisce votis a Rmo Dno hodierno Episcopo Neten. « speciali commendationis officio communitis, et a subscripto SS. Rituum « Congregationis Secretario relatis clementer deferens indulsit: ut amodo « in civitate Mothucae tantum, praefatum S. Georgii Festum recolatur sub « utroque praecepto adstandi scilicet Sacro et a servilibus abstinendi: exhi-

Aegro animo hoc decretum exceperunt Canonici Colle giatae Ecclesiae S. Petri, quorum aemulatio in Capitulum S. Georgii ab ineunte saeculo decimoséptimo exarserat, ob quaedam matricitatis iura, quae suae aeque ac S. Georgii Ecclesiae competere contendebant. Et licet S. Rituum Congregatio iam inde ab anno 1636 per res iudicatas dierum 24 maii et 6 septembris matricitatem unice pro S. Georgio decrevisset et Summus Pontifex Innocentius XI Litteris Apostolis *Alias emanarunt,* **die 4 iunii 1698 easdem res iudicatas confirmasset servarique iussisset, nihilominus ob continua iurgia a se promota, anno 1757 Regium Decretum obtinuerunt S. Petri Capitulares, quo pontificia potestate posthabita, perfecta iurium paritas inter utramque Ecclesiam indicta est. Itaque ipsi, per unicum Patronum S. Georgium paritati tali modo acquisitae aliquid detrimenti sibi imminere verentes, libellum Romam miserunt qui sequitur. « Subscripti Capitu-**
« lares huius Matris Ecclesiae S. Petri Apostolorum Principis,
« et Collegiatae Ecclesiae S. Mariae de Bethlem, una cum
« Sacerdotibus adscriptis Clero inferioris partis huius civitatis
« Mothucae, declaramus: nullam nos partem habuisse, neque
« subscripsisse petitioni, qua pro maiori parte cleri et populi
« huius civitatis imploratum est, ut sub festo de praecepto
« celebrare liceret diem 23 aprilis S. Georgio Martyri sacram,
« ex falso supposito, quod alias Sanctus iste fuerit totius civi-
le tatis Mothucae Patronus. Adhaerentes huic Ecclesiae Matri
« et Patrono nostro glorioso S. Cataldo, quem talem venera-
le bamur ante annum 1655; quo volvente per decretum data
« opera conditum, Patronus Principalis universae Mothucae
« civitatis est renuntiatus ; (quod quidem decretum plures
« sequutae sunt sententiae Monarchiae ac Regia decreta, quae
« inhaerentia facto perfectae paritatis divisionis ac indepen-

« bito praesenti Decreto ante exequutionem suam in cancellariam Curiae
•< Episcopalis Neten. contrariis non obstantibus quibuscumque. - Die 30 apri-
« lis 1874. - Pro Emo et Rmo Dno Card. Patritii SS. Rituum Congr. Prae-
« fecto: C. Card. Di Pietro ».

« dentiae inter utramque Ecclesiam expresse sanxerunt neu-
« tram titulum vel ullam pretensionem edere posse quae
« patronatum vel praeeminentiam secumferret) qui scribimus,
« rationabile ac necessarium ducimus praesentem declara-
« tionem prodere, ut S. Sedes ab utraque Ecclesia eliminet
« quamcumque titulorum vel distinctionum praetensionem, quae
« viam sterneret quaestionibus ac discordiae : ideoque nullum
« ac irritum decernat quodcumque rescriptum editum ex falso
« supposito quod S. Georgius Martyr universae Mothucae
« civitatis Patronus alias fuerit renuntiatus : ac una simul irri-
<c tentur effectus omnes ac consequentiae quae inde descen-
de derent. Ne vero opponatur nova petitione novum privilegium
« fuisse imploratum, declaramus : hoc in casu procedendum
« fuisse iuxta Urbani VIII decretum datum anno 1630 et adhuc
« vigens, quo universale cleri populique suffragium requiritur
« ad patronatum constituendum. Verum omnia haec deside-
« rantur in subiecta materia. Subsig nationes autem cleri quae
« sequuntur, contrarium prorsus evincunt ».

Quibusdam praemissis opportunis provisionibus, et gravissimis de causis, Sacrorum Rituum Congregatio die 19 iunii 1877, obtenta *de officio* a Pontifice venia pro aperitione oris, decretum diei 30 aprilis 1874 suspensum declaravit quoad effectus, facta partibus contendentibus facultate *deducendi ritu formali iura sua quoad patronatus quaestionem.* [1]

Itaque duorum dubiorum concordatio locum habuit pro quaestionum opportunitate ; alterum circa oris aperitionem, alterum de principaliori Mothucae Patrono inter Sanctum Geor-

[1] En decretum provisionale diei 19 iunii 1877: « Neten. - Ab antiquis « usque temporibus gravis exarsit controversia inter incolas civitatis Mo- « thucae, quae prius ad Syracusanam pertinuit Dioecesim, et modo Netensi « subiacet Dioecesi, quis esset praecipuus eiusdem civitatis Patronus: cum alii « id honoris tribuant S. Georgio Martyri, alii S. Cataldo Episcopo Confessori. « Ex quo vero Sacra Rituum Congregatio et die 19 iunii anni 1700, parti «faventi S. Cataldo rescripsit: - Doceant Oratores de legitima electione « S. Cataldi in Patronum - res quiescere visa est. Sed postquam per Decre- « tum eiusdem S. Congregationis diei 24 aprilis 1874, instante Rmo Domino « Benedicto La Vecchia Guarneri tum Episcopo Neten. statutum fuit, Festum

gium Märtyrern et Sanctum Cataldum Pontificem decernendo, nec non de pedissequa exequutione decreti diei 30 aprilis 1874, quo, uti innuimus, festum de praecepto pro S. Georgio concessum est.

Disceptatio synoptica.

IURA CAPITULI S. PETRI. Cum primum dubium circa oris aperitionem concinnatum esset assueta formula: *An intret arbitrium aperitionis oris adversum decretum diei 30 aprilis 1874** Capituli actoris orator contendebat : apertissime patere arbitrium aperitionis oris in casu intrare, quia" subsequenti decreto diei 19 iunii 1877, data ᵉ ˢ ᵗ partibus contendentibus facultas deducendi ritu formali iura sua quoad patronatus quaestionem, et dubium concordatum est oris aperitionem respiciens, ex peculiari indulto a Pontifice concesso.

Contendebat etiam, iure meritoque arbitrium concessum intrare in casu, quia rescriptum in discrimen revocatum, obreptione et subreptione inficitur. Falsum namque esse aiebat, quod S. Georgius a remotis aetatibus veneraretur uti patro-

« S. Georgii in civitate praedicta, amodo sub utroque praecepto esse cele-
« brandum, adstandi scilicet Sacro, et a servilibus abstinendi, vetus iterum
« exarsit controversia, et eo animorum aestu, ut decurrente mense aprili
« vertentis anni, sat gravia facinora locum habuerint.

« Rmus vero D. Benedictus La Vecchia Guarneri, statim ac animorum
« dissentionem animadvertit, Decretum supranumeratum diei 30 aprilis 1874
« suspensum declaravit, ac ad S. Rituum Congregationem recursum habuit
« ut in re providere vellet.

« Dum vero S. Congregatio informationem ampliorem ab Episcopo
« exquisivit, eique ad mentem scripsit, ut quid consilii esset capiendum
« cognosceretur, accidit ut ad Metropolitanam Ecclesiam Syracusanam ipse
« fuerit evectus, eique in Sede Neten successerit ioannes Blandini. Hic
« requisitam a Praedecessore informationem confecit, ac enixe institit ad
« S. Congregationem pro solutione controversiae: sed quum adhuc S. Con-
« gregationi res obscura et implexa videretur, ut prudens posset de ea
« ferri iudicium, iterum ad mentem Netensi Episcopo scriptum fuit. Vix
« autem hic commisso muneri satisfecit, de controversia ipsa actum est
«subsignato die in S. Rituum Congregatione. Quae audita relatione ab
« infrascripto Secretario facta, re mature perpensa ac considerata, auditis-
« que partibus sive voce sive scripto iura sua deducentibus, sequens eden-

nus praecipuus civitatis Mothucae: atque hoc erui ex documentis quae S. Cataldum verum Patronum Mothucae principalem evincunt. Falsum quod reliquus clerus ac populus tanto devotionis affectu ferantur erga S. Georgium, ut enixe implora verint eius festum die 23 aprilis celebrare sub utroque praecepto, adstandi Sacro et a servilibus abstinendi. Huius autem falsae adsertionis probationem praesto esse in ipsa S. Petri et S. Mariae de Bethlem Capitulorum protestatione ac precibus, quibus libellus praesentis iudicii introductivus innititur. Iamvero rescripta gratiae aeque ac iustitiae obreptitie vel subreptitie obtenta ipso iure nulla esse ex *Greg. IX, Decret. I, cap. XX* **quo praescriptum est. « Nos igitur inter eos qui per « fraudem et malitiam, et illos qui per simplicitatem vel igno- « rantiam litteras a nobis impetrant, huiusmodi credimus discre- « tionem adhibendam, ut hi qui priori modo falsitatem expri- « munt vel supprimunt veritatem, in suae perversitatis poenam, « nullum ex illis litteris comodum consequantur ».**

Secundi dubii prima pars: *An S. Georgius Martyr vel S. Cataldus Episcopus sit patr'onus praecipuus civitatis Mothucae,* **duplicem continebat quaestionem : seu potius unicam bifariam**

«dum rescriptum decrevit, scilicet: - S Rituum Congregatio vehementer « improbans turbas cum gravi Religionis damno et bonorum scandalo in « Ecclesia S. Georgii Martyris Civitatis Mothucae mense aprilis huius anni « excitatas, declarat : Decretum diei 30 aprilis anni 1874 suspensum fuisse « et manere, facta partibus contendentibus facultate deducendi ritu formali « iura sua quoad Patronatus quaestionem coram hoc Sacro Ordine: interim « vero imposito silentio quoad ipsam quaestionem de principali Civitatis « Patrono, quae S. Congregationi definienda reservatur, mandat ut S. Geor- « gius Martyr et S Cataldus Episcopus habeantur tamquam peculiares « Patroni, uterque pro sua respective Paroecia et districtu. Atque ita rescri- « psit et servari mandavit. Die 19 iunii 1877 ».

Addimus provisioni S. Congregationis, contemporaneum Pontificis decretum de aperitione oris ex officio requisitae. « Decretum. - Ex Audientia « Sanctissimi. Diei 19 iulii 1877. - SSmus Dnus Noster Pius Papa IX, ad « relationem subscripti Secretarii, in controversia exorta inter incolas Civi- « tatis Mothucae in Dioecesi Netensi de Patrono praecipuo eiusdem Civitatis, « aperitionem oris concessit, et non obstante Rescripto diei 30 aprilis 1874, « benigne annuit, ut de eodem Sancto praecipuo Patrono agnoscatur et « definiatur in Congregatione Sacrorum Rituum Ordinaria. - Piae. Ralli, « S. R. C. Secretarius ».

pertractandam. Et revera S. Petri Canonicorum orator, qui pro S. Cataldo potioritatem patronatus asserebat, hanc ostendendam aggressus est, in eo iuris fundamentum ponens, quod scilicet per decretum de mandato Urbani VIII Sa. Me. die 23 martii 1630 a S. R. Congregatione emanatum circa electionem Sanctorum in Patronos,[1] **nullimode infirmantur electiones patronorum anteactis aetatibus ab immemorabili observatae. Etenim quod emanatae legis executio iuxta eiusdem decreti dispositionem locum habere debeat in futurum, ideoque non irritet electiones iam factas, agnovit et ipsa S. Rituum Congregatio in** *Troianensi, Patronatus, 13 iunii 1633,* **et in** *Pampilonensi, Patronatus S. Francisci Xaverii:* **atque ita authenticam exhibuit eiusdem decreti interpretationem. Post haec, patronatus definitionem eruebat ex** *Heortologia sive de festis propriis locorum et Ecclesiarum* **auctore** *Guyeto, lib. I, cap. VII, quaest.* **I, qui tenet: patronum loci illum dicendum esse qui** *sive perpetuo usu ac traditione a maioribus accepta, sive legi-*

[1] « Decretum super electione Sanctorum in Patronos a Sacra Rituum « Congregatione de ordine SSmi D. N. Urbani PP. VIII, emanatum die «23 martii 1630. - S. Rituum Congregatio, annuente Sanctissimo Domino « Nostro, in electionem Patronorum mandavit infrascripta in posterum « servari debere, declarans quod aliter facta **electio** nulla sit ipso iure.

« Primo, quod eligi possunt in Patronos ii solum qui ab Ecclesia Uni- « versali titulo Sanctorum coluntur, non autem Beatorum dumtaxat.

« Secundo, quod Patroni Civitatis electio fieri debet per secreta suf- « fragia a populo, mediante consilio generali illius Civitatis, vel Loci, non « autem ab officialibus solum, et quod accedere debeat consensus Episcopi « et Cleri illius loci.

« Idemque servari debeat in patrono Regni, qui pariter eligi debeat « per secreta suffragia a populo singularum Civitatum provinciae.

« Et quod Repraesentantibus Regnum, Civitatem vel provinciam nulla « competat facultas eligendi patronos, nisi ad hoc habeant speciale man- « datum, et ulterius interveniat consensus Episcopi et Cleri dictarum Civi- « tatum.

« Et tertio, quoad causae electionis novorum patronorum debeant in « S. Congregatione deduci, et ab ea examinari, ac demum cognitae, ab « eadem Congregatione approbari et confirmari.

« Et ne praemissorum ignorantia ullo unquam tempore possit allegari, « eadem S. Rituum Congregatio supradictum Decretum imprimi et publi- « cari mandavit ».

tima facta electione, peculiaris apud Deum intercessor, propriusque suffragatur ab universo loci illius clero ac populo colitur ac observatur. [1]

Quibus in iure praeiactis, ad facti demonstrationem progrediebatur: ac ut Sanctum Cataldum Patronum iam ante Urbani VIII decretum evincerei, narrabat : anno 1480 et ante, eius festum de praeceptum celebratum fuisse Mothucae, adventante die io maii S. Cataldo sacra. Idque documentis etiam ostendere satagebat, allatis matrimoniorum denunciationibus habitis sub die io maii anni 1619 et 1623. Narrabat quoque anno 1555 litem exortam fuisse circa consuetudinem canendi hymnum *Te Deum* **in festo S. Cataldi, per sententiam Syracusam Episcopi absolutam adversus fisci aerarium, quod actoris partes susceperat. Narrabat demum in castro Comitum Mothucensium Ecclesiam extitisse S. Cataldo dicatam.**

Maioris faciebat quod anno 1627 Magistratus Mothucenses adseruerint, se unicum habuisse antea Patronum antiquum S. Cataldum: dein anno 1629 decreverint, ut pompa magis solemni celebraretur festum S. Cataldi : et quod anno eodem 1629, Municipii consiliarii rogati ut declararent S. Cataldum fuisse, esse et semper futurum Mothucae patronum donec perdurabit civitas et populus; unanimiter omnes reposuerint affirmantes : se velle S. Cataldum Patronum qualem ad eam diem habuerant, et quatenus opus esset, in patronum eligere. Ex hac vero electione Urbani VIII decretum praecedente,

[1] Allatus Guy eti locus integre sumptus ita se habet : *Quis sit patronus loci proprie dictus? Proprie inquam dictus, prout videlicet sumitur in Rubricis cum passim legitur. « Patronus Loci seu Ecclesiae » non autem prout vulgo putatur, pro iis Sanctis, qui quod in loco aliquo floruerint, dum viverent, aut ibidem eorum memoria in aliqua veneratione, quacumque tandem ex causa habeatur, protinus tamquam loci illius Patroni circumferuntur, ut subiectis posthac exemplis declarabitur ; nam is sensus nihil ad chorum officiumque divinum (qui unus instituti nostri scopus est), pertinet. Sed dicitur proprie Patronus loci is Sanctus qui, sive perpetuo usu ac traditione a maioribus accepta, sive legitime facta electione, uti peculiaris apud Deum intercessor propriusque suffragatur ab universo illius loci Clero et populo colitur et observatur.*

patronatus S. Cataldi praeexistentia indubiam fieri eruebat. Quae quidem praeexistentia novum robur accepit anno 1631, cum postulantibus magistratibus et proceribus civitatis ut servaretur S. Cataldi cultus qui, aiebant, biscentum abhinc annis viget, Vicarius Generalis Syracusanae Dioeceseos die 6 maii 1631 rescripsit: < servetur prout, hactenus, stante quod est patronus civitatis ».

Sed anno 1629 id peculiare accidisse, quod cum Vicarius Generalis Syracusanae Dioecesis SS. Rituum Congregationi exposuisset, in civitate Mothucae venerari reliquiam S. Cataldi Episcopi Patroni et Protectoris eiusdem civitatis, et eius diem festum agi cum officio et Missa, et solemni processione cum dicta reliquia, et supplicavisset declarari quid in futurum esset agendum; S. Congregatio reposuit: *Servetur prouti hactenus servatum est.*

Maximum suae thesis fulcrum ponebat orator in decreto Syracusani Episcopi Capobianco, edito in discursu visitationis die 2 febr. anni 1655, quo ut pareret memoratae Urbani VIII legi et unico patrono decernendo, inter quatuor Mothucae Patronos, nempe B. Virginem Mariam a gratia, S. Rosaliam, S. Georgium Märtyrern, et S. Cataldum Episcopum, Antistes ille postremum hunc Sanctum civitatis Mothucae patronum declaravit, et uti talem in futurum venerandum edixit.

S. Cataldi cultus continuationem evincebat :

1) edictis de processione S. Cataldi ;

2) informatione Syracusani Episcopi, ad S. Rituum Congregationem missa anno 1689 circa petitionem cuiusdam Didaci Carrera Cappellani Maioris Ecclesiae S. Cataldi, pro facultate recitandi officium proprium eiusdem Sancti ;

3) denunciationibus matrimoniorum ;

4) attestationibus quorumdam Mothucanorum longevitate praestantium qui declaraverunt: usque ad annum 1818 festum de praecepto fuisse servatum die io maii.

Nec mirandum est (adiiciebat) quod post annum 1818 cessaverit festum de praecepto : id enim factum est ad tramites

constitutionis Pii Papae VII fel. recordationis pro Neapolitana ditione emissae, qua decretum est « in festo Patronorum Prin-« cipalium singularum civitatum oppidorum et locorum, quibus « adiunctum sit praeceptum abstinendi ab operibus servilibus, « transferatur cum respectiva officiorum et Missarum cele-« bratione ad proximum diem dominicum ». Hanc autem cultus perseverantiam maximi fieri, prouti docet *Benedictus XIV* de *Canonis. Sanet., Lib. 2, Cap. Af. io.*

Sed translatione hac posthabita quae in vim legis operata est, S. Cataldi patronatum adhuc vigentem ostendere nundinas, quae hodie etiam, prouti et praeteritis temporibus, eius adventante festo celebrantur.

Concludebat: omnia concurrere pro S. Cataldo requisita ab eodem doctissimo Pontifice designata ad patronatum constituendum ; nempe cultus immemorabilitas, continuatio, et Sedis Apostolicae vel Ordinarii confirmatio. Licet enim quoad hoc postremum requisitum, Pontifex disiunctivam adhibuerit, utramque tamen in casu haberi; siquidem plurimorum Episcoporum decreta praecesserit SS. Rituum Congregationis responsum, anno 1620 missum ad Vicarium Generalem Syracusanae Dioecesis.

Tandem Sancti Cataldi patronatus demonstrationem explebat confutatione adversi patronatus S. Georgii.

Duo praecipua pro S. Georgio afferri videbat:

1) decretum SS. Rituum Congregationis editum die 2 iulii 1661, quo facultas concessa est utrique clero civitatis Mothucae, tum saeculari tum regulari, recitandi officium proprium S. Georgii cum octava ;

2) responsum, datum ab eadem S. Congregatione, die 19 iunii 1700 precibus Didaci Carrera Cappellani Maioris Ecclesiae S. Cataldi.

Quoad primum contendebat: nihil facere decretum die 2 iulii 1661 quoad patronatus quaestionem. Etenim eodem in decreto fuisse concessam facultatem « ut in officio S. Georgii « Martyris Patroni et Titularis eiusdem Ecclesiae, sub ritu

« **duplici cum octava recitari possint oratio et lectiones pro-**
« **priae, etc. ». Iamvero si concessio respicit S. Georgium Patronum et Titularem Ecclesiae, iam exsulare S. Georgii patronatum super universa civitate; quia patronatus ad Ecclesiam coarctatur. Et revera Patronum loci a Titulari Ecclesiae longe inter se differre, erui ex** *Guyeto, Op. Cit., i lib., Cap. 8, quaest. 2.*

Nec magis prodesse quod in decreto facultas indulta sit recitandi officium duplex *cum octava:* **nam docere** *Gavantum, Sect. 3, cap. 12, Num. 4:* « *Tam de Patrono Principali quam de Titulari Ecclesiae fit officium ut de duplici primae classis, ut rubr. de commemoratione, n. 3. Item fit octava de utroque in rubr. de octav., n. i et quaecumque sîipradedimus de duplici primae classis et octavis, eadem concedenda sunt Patrono Principali Loci in loco suo, et Titulari in Ecclesia sua. Eadem enim est ratio solemnitatis in utrisque.* **Demum ex officii proprii concessione nihil fluere quod in subiecta materia S. Georgii Capitulo prosit, ostendi ex praxi S. Con gregationis, quae passim officium proprium etiam non patronis concedit** *pro gratia.*

Adiiciebat postremo loco, nullo in pretio esse habendam appellationem *Patroni Potissimi* **qua historici nonnulli usi sunt pro S. Georgio. Redire namque** *Gavantum (Sect. 3, cap. 12, num. 2)* **edicentem :** *Nonnulli vocant Patronos eos, erga quos solo devotionis affectu moventur, non comuni toti civitati seu loco.*

Quoad alterum obiectum, monebat revera Didaco Carrera petenti ut pro S. Cataldo liceret officium proprium recitare Tarentinae Dioecesi iam concessum, respondisse, S. Rituum Congregationem die 19 iunii anni 1700. « Doceant nos de
« **legitima electione in patronum, et facultate recitandi officium**
«**de communi». Verum huiusmodi responsum nullum suaethesi praeiudicium afferre. Siquidem S. Congregatio patronatum S. Cataldi non reiecit, sed tantum petiit demonstrari. Iamvero statim ac modo praesto sit demonstratio quae dein-**

ceps numquam praestita fuit circa immemorialitatem cultus S. Cataldi, nullum obicem parare posset illud decretum, nec eam valere excludere. Accedit cultus erga S. **Cataldum subsequens observantia, quae cum praecedenti immemorabili cultu coniungitur, et meliorem de mundo titulum supplet, novumque praebet gravissimum pro** S. **Cataldi patronatu argumentum.**

IURA CAPITULI **S.** GEORGII. **A disquisitione circa oris aperitionem et ipse instituens qui pro S. Georgii patronatu causam dicebat, ante omnia monebat: ope expresse Pontificis veniae per ipsam SS. Rituum Congregationem ex** *officio* **requisitae,[1] disputari in primo dubio de arbitrio aperitionis oris adhibendo vel non,** *adversus decretum diei jo aprilis 1874.*

Ergo in discrimen venire decretum, quo SS. Rituum Congregatio ex audientia SSmi Capitulo S. Georgii aliisque cum eo instantibus facultatem indulsit «c ut amodo in civitate « Mothucae tantum, praefatum S. Georgii festum recolatur «sub utroque praecepto: adstandi scilicet sacro et a servi« libus abstinendi ». Verum huiusmodi decretum in pleno validitatis statu consistere validumque manere donec contrarium probetur certum esse, ad notissimam *Regul. 16 Tit. de reg. iuris* **in VI quae habet :** *Decet concessum a Principe beneficium £sse mansurum.* **Quam quidem regulam eo fortius locum sibi vindicare, cum agitur de rescriptis Romani Pontificis** *qui iura #mnia in scrinio pectoris sui censetur habere (Boni/. VIII, Lib. i, tit. 2, cap. i, Decret, in VI).* **Quare existente pro S. Georgii Capitulo veritatis praesumptione, adversarii sonus**

[1] Decretum iam attulimus (pag. 293, nota 1) concessae a Pontifice veniae pro oris aperitione, per secretarium Sacr. Rit. Congregationis, videlicet ex officio requisitae. Etenim, in casu, facultatem oris aperiendi petere nequibat. S. Georgii Capitulum cuius favore, licet quoad affectus suspensum, existebat Decretum diei 30 aprilis 1874 quod obreptitium et subreptitium dicebant Canonici S. Petri; eamdem sed facultatem petere nolebant postremi isti, qui licet actoris partes suscepissent, et decretum diei 30 aprilis 1874 obreptione vel subreptione infectum declarari postulassent, tamen contenti suspensione eiusdem decreti, eam in aevum produci exoptabant, qua finem sibi propositum consequebantur.

probationis incumbere a quibus postulatum est « nullum ac « irritum decerni quodcumque rescriptum editum ex falso sup- « posito, quod S. **Georgius Martyr universae Mothucae civi- le tatis patronos alias fuerit renuntiatus ». Tralatitium nam- que esse in iure, oris aperitionem numquam concedi, nisi qui subreptionem vel obreptionem denunciavit alterutrum saltem concludenter probaverit.** *Rota Decis. Recentior., Part. III, Decis. 440, N. i et Decis 276 cor. Marco N. i et 2 et in Romana, 21 aprilis 1823 cor. Piccolomini,* **§** *8,* **et in** *Pisau- ren. seu Senogallien. super aperitione oris- 13 iunii 1818 cor. Martínez,* **§ jr--et praesertim in** *Decis. 449 cor. Marini* **qua traditum est :** *Nihil magis in iure exploratum, quam quod indulgendum minime sit oris aperitio adversus principis rescri- ptum, nisi ex falsi narratione vel callida reticentia veri extor- tum lucentissime demonstretur.*

Quibus positis, posse se ab omni certamine abstinere, donec adversarii luculentissime probaverint, vel subreptionis vel obreptionis nota a (fici rescriptum diei 30 aprilis 1874. Ad abundantiam tamen, nec obreptionem nec subreptionem in pre- cibus extitisse, probandum sumere.

Ab *obreptione qua falsitas exprimitur* **incipiendo, osten- debat : primam supplicis libelli partem historicam continere Ecclesiae et cultus S. Georgii, nec non eius Patronatus ab antiquo existentis notitiam, quam tradunt uno ore magnae notae historici** *Rochus Pirrus Abbas Netinus* **in** *Sicilia Sacra disquisitionibus illustrata edita Panormi anno 1634,* **et** *Pla- cidus Carafa in* **opere cuius titulus** *Mothucae illustratae De- scriptio* **quod lucem vidit anno volventi 1653. Hanc ipsam notitiam documentis confirmari quae ad annum i 179 refe- runtur. Item mentionem fieri in precibus decreti a Sac. Rituum Congregatione emissi anno 1661 die 2 iulii, quo utrique clero facultas concessa est recitandi officium** S. **Georgii sub ritu duplici cum octava.**

Multominus obreptionem existere in secunda parte sup- plicis libelli qua nunciatum est « crescentibus quotidie chri-

« stiani nominis hostibus auctum e contra esse Mothucae « amorem ac devotionem erga S. Georgium ». Etenim in facto ostendi, Mothucanum Municipium recentissime, anno ineUnte 1872, inter feriatos dies recensuisse etiam « festum « S. Georgii Patroni civitatis » atque huiusmodi decretum Provinciae Coetui gratum fuisse. Ostendi etiam cives num. 2 140 cuiuscumque gradus vel paroeciae, Pontifici ob concessum festum de praecepto, gratias egisse.

Sedulo autem prae oculis esse habendum, preces non totius Cleri et populi nomine fuisse exaratas, sed eorum tantum qui in calce proprio nomine eas subsignaverant.

Nec meliori omine S. Petri Capitulum confugere ad *subreptionem qua veritas tacetur,* nisi forte velit ex eo subreptionem haurire, quod reticitum fuerit; alium haberi Mothucae patronum praecipuum S. Cataldum, vel per S. Georgium patronum unicum renuntiatum, magnum inferri iuribus sibi quaesitis praeiudicium. Verum in facto constare, admisso etiam quod aliquem habuisse quandoque inferiorem cultum S. Cataldus, ab anno 1818 eius festum in desuetudinem abiisse, ideo que nullo prorsus iure requiri a S. Petri Capitulo ut de eo mentionem fieret: iura autem Capituli adversi, quaecumque ea essent, etiam usurpata, per S. Georgii patronatum detrimentum nullum pati, siquidem Patronus civitatis nihil capitularibus S. Georgii iuribus neque addat neque detrahat. Tandem non ostendi ex adverso quod S. Cataldus patronus sit Capituli S. Petri proprius : immo S. Cataldi parvum sacellum cum existeret, iurisdictioni S. Georgii Ecclesiae subiecisse. Et quomodocumque se res haberet, huiusmodi praeiudicium, si quod immineret, lucentissimis probationibus per asserentem esse evincendum, praesertim dum gratia iam, prouti in casu, est exequutioni demandata : ceu monet *Card. De Luca, de iuris d., Diseurs. 8, N. j,* [1] et 6*. *Rota, Decis. 333, N. i,*

[1] Haud supervacaneum erit theoriam afferre insignis *Cardinalis De Luca,* loc. cit. *Ad duplicem effectum huiusmodi, aperitio peti et respective concedi solet. Primo nempe, cum reductione gratiae, ita ut*

part. XVIII. Recentior, et Decis. 273 cor. Marco, N. 7. Itaque si bona quae Pontifex Seminario largitus est ad Augustianenses pertinebant, ipsorum non Viturclanensium iura laesa concifyi possunt, atque ex concessione per Pontificem Seminario facta, Conventui non populo damnum illatum. Non probata vero iuris proprii laesione, tritum est perperam de subreptione per quemquam verba moveri.

Incassum adversarios instantes laborare ut suadeant in eo existere subreptionem quod reticitum fuerit Pontifici alios adfuisse Mothucae Ecclesiasticos qui patronatum S. Georgii recusare potuissent. Etenim ex ipsis precibus subscriptorum tantum nomine exaratis, sat notum fuisse: quosdam existere posse etiam ex clero qui forsan obstitissent. Docere namque *Gratian., Discep.* 5j"5, *N. 26 « non esse narr anda omnia nisi quae de iure praestant impedimentum ».* [1]

Exclusa analytice obreptione ac etiam subreptione a supplici S. Georgii Capituli aliorumque qui eam subscripserunt petitione, eam aliunde eruere non .licere contendebat. Frustra igitur contrarium oratorem laborare circa Ordinarii informationem, vel circa narrationem quae decretum praecedit diei

eius substantia et ius grattato quaesitum tollatur, vel minatur. Secundo vero ut firma remanente gratia eiusque substantia non alterata, petens admittatur solum ad opponendum de eius nullitate resultante ex subreptione vel defectu intentionis, ita ut simplex habilitatio iudicis et partis ad opponendum et respective iudicandum id quod adversus gratia validitatem vel operationem de iure fieri possit. Ad primum effectum id concedi non solet nisi ex magna causa, et accedente exorbitanti laesione quam gratia tertio inferat, praesertim ubi gratia est iam executioni demandata.

[1] *Gratianus,* loc. cit., ita arguit: *Cum non omnia potuisset movere Principem ad gratiam concedendam illam vitient, sed ea solum de quibus reperitur expressum, et quae ex iuris dispositione exprimí debent, vel de quibus est in iure cautum: cum non sint narr anda omnia, nisi quae de iure praestant impedimentum.* S. Rota *in Decisione 340 cor. Marco N. 5 eamdem theoriam tenuit inquiens. Quod vero pertinet ad ius inhibendi, narrari certe non poterat summo Pontifici illud Communitati competere, sed satis fuit ut nosceret ius pascendi: quia reticentia earum rerum quae iuris sunt, nequaquam inducit vitium subreptionis.*

30 aprilis, ut ex his obreptionem vel subreptionem eruat. Nam quidquid extra preces est, precibus non est tribuendum: ad traditum in *Decis. 140 cor. Marco, N. i. Numquam conceditur arbitrium aperitionis oris adversus Supremi Principis placitum, nisi preces ostendantur vitio obreptionis et subreptionis infectae, quando nimirum falsi expositione aut reticentia veri, deceptus inductusque fuerit Princeps ad preces ipsas adprobandas et excipiendas.*

Denique adversae orationi respondens monebat: aliud pro alio sumere qui contra sunt, cum oris aperitionem iam locum habuisse tenent, propter Pontificium indultum quo facultas concessa est disputandi de rescripto diei 30 aprilis 1874.

Cum enim Pontifex facultatem concedit oris aperiendi, nonnisi necessitate a plena Congregatione cognita, ea uti permittit : ac ideo reverentem formulam adhiberi in dubiis de aperitione oris concinnandis *an intret arbitrium aperitionis oris* **quia Papa arbitrium concedit quatenus intrare debeat: ostium autem per quod intret sunt obreptio et subreptio, quarum existentia praeiudicialiter ad trutinam revocatur, et excluditur per minimum quodvis dubium in contrarium iuxta illud** *Decis.* ***71,*** *N.* ***25,*** *part. XII. Recent. - Et satis est aliquo modo reddere dubiam allegatam subreptionem, quae est plene et concludenter probanda ab allegante.*

Praeiudiciali quaestione absoluta, controversiae de principaliori patronatu in merito bipartitum tractationem proponebat etiam Capituli S. Georgii orator, sed partibus inversis: nam primo loco agebat de Sancto Georgio vero unico qui Principalioris Patroni titulum Mothucae mereretur ; dein de S. Cataldo vix inter minores patronos numerando.

Quoad primum caput eadem et ipse proponebat iuris fundamenta quae adversarius adduxit circa Sanctos Patronos ante Urbani VIII decretum iam electos, teste *Ferraris in Bibliotheca Canonica* **verbo** *Patroni Sancti n. 7 qui* **decretis innixus SS. Rituum Congregationis expresse ait:** *Èxcipientur etiam electiones Sanctorum Patronorum factae ante emanatio-*

nem supra aliati decreti Urbani VIII, quia tale decretum licet irritet electiones postea factas seu faciendas, non irritat tamen electiones iam antea celebratas.

Sancti Patroni definitionem eruebat et ipse ex iisdem verbis *Guyeti* **ex adverso decerptis ab** *Heortologia sive de festis propriis locorum et Ecclesiarum, Lib. i, Cap. VII, Quaest,* ***z*** *et* **afferebat etiam auctorem** *Merati* **in opere cuius titulus** *Thesaurus Sacrorum Rituum, etc., tom.* ***2,*** *part. i, sect. 3, cap.* ***I2****y* *pag. 183* **(Edit. Roman, anni 1788).** [1]

Ad notas descendens quibus aliquis Sanctus ut Principalior Patronus inter alios sit habendus, eas enumerabat auctore iterum adhibito *Guyeto, op. cit., Lib. i, cap. VII, Quaest. 8 - Idem de oppidis iudicandum : nisi forte aliqua sint in quibus celebris habetur memoria Sancti alicuius Martyris sive confessoris, qui ab universis incolis tamquam loci patronus colitur et observatw ... In eo siquidem casu, censenda eiusmodi oppida alium praeter dioecesanum habere proprmm patronum, maxime*

[1] Digna censemus quae lectoribus nostris innotescant tradita loco citato ab auctore Merati. - *De patrono loci et titulo Ecclesiae Novae observationes et additiones ad Gavanti Commentarium. - Gavant N. 1. Respondeo Patronum esse quem Episcopus, etc. - Cum in rubricis generalibus saepe mentio fiat de Patrono loci, duo examinanda recurrunt : quid nomine Patroni loci veniat, et quaenam sit differentia inter Patronum loci et Patronum Titularem Ecclesiae? ad primum quod attinet Gavantus respondet illum dicendum esse Patronum loci, quem Episcopus cum populo sibi Patronum eligit ob rationes quas ipsemet Gavantus insinuât. Guyetus tamen lib. I, Cap. 8, quaest. 1 adstruit Patronum loci dicendum esse illum Sanctum, qui sive perpetuo usu ac traditione maioribus accepta, sive legitima facta electione, uti peculiaris apud Deum intercessor propriusque suffragatur, ab Universo loci illius Clero ac Populo colitur, et observatur ; quae definitio nihil discrepat ab ea quam dedit noster Gavantus, nisi quod sola electione Gavantus unum e Sanctis aliquem Protectorem censeri asserit; Guyetus autem traditionem usumque immemorabilem adiecit, quia antiquitus Patroni locorum magis ex usu et traditione colebantur ut tales, quam ex electione; sive is usus primum electione aliqua inductus fuerit, sive aliqua alia ratione puta unius aut alterius arbitrio, aut tacito plurium consensu, seu secreta quadam Dei inspiratione. Nunc autem certissimum est quod Patroni locorum provinciarum et Regnorum eligendi sunt iuxta tenorem, et observatis conditionibus quae habentur in decreto edito die 20 martii 1630.*

quando Ecclesiae Sanctorum illorum titulares, swe Collegiatae eae fuerint sive Abbatiales ab Ordinariis exemptae, iurisdictionem quasi episcopalem obtinent in « alias eiusdem loci Ecclesias ut non raro contingit. **Nec silentio praeteribat quae opportune tradit** *Henricus Pisart* **in sua** *Appendice ad directorium canonicum* **et refert** *Meratius, op. cit., pag. ici.* **-** *Secunda per patronum principalem loci non solum designatur Patronus Principalis Ecclesiae Cathedralis seu Dioecesis, sed etiam Patronus Matricis nullius Dioecesis patriae et loci seu oppidi, quae saepe non tam late patent quam Dioecesis.*

Ex his (aiebat) iam patere quid de S. Georgio esset sentiendum. Etenim iam usque a die 19 martii anno 1179 Litteras Apostolicas misisse Pontificem Alexandrum III Sa: Me: ad Umbertum Abbatem Mileten. Monasterii SS. Trinitatis et B. Michaelis Archangeli, quibus inter Ecclesias « sub B. Petri et nostra protectione susceptas » recensebit « in Sicilia Ecclesiam S. Georgii de Mohac ».

Sed luculentius etiam patere Ecclesiam S. Georgii unicam esse quae Mothucae matricitate polieret, ac quasi Episcopalem iurisdictionem in alias eiusdem loci Ecclesias exerceret, ex litteris Apostolicis *Alias emanarunt* **a Sa. Me. Innocentio XI ad hoc datis die 4 iunii 1689, quibus Pontifex, confirmans ac ratum habens quae S. Rituum Congregatio contra Capitulum S. Petri de matricitatis paritate acriter contendente edixerat anno 1636, diebus vero 24 maii et 6 septembris; decrevit omnia Matricitatis privilegia uni S. Georgii Collegiatae Ecclesiae competere, litterasque munivit clausula « ac irritum et « inane si secus super his a quopiam quavis auctoritate con- « tigerit attentari ». Quamobrem, si ex traditis iuxta Guyetum Meratium et Pisart, per Patronum Matricis Patronus principalis loci designatur, iam non esse ambigendum quod S. Georgius cuius Ecclesia erat totius civitatis mater, fuerit praecipuus Mothucae patronus.**

Alteram quam auctores tradunt principalioris patronatus notam, scilicet quod Sanctus ab universis incolis tamquam loci

Patronus colatur et observetur, in casu haberi plenissimam, et cuiusque generis documentis ostendi.

Atque hoc loco probationes quaslibet antecellere testimonium historicorum in Sicilia insignium *Rocki Pirri Abbatis Netini* **et** *Placidi Carafa.* **Primum, idest Rochum Pirrum, in** *Sicilia Sacra disquisitionibus illustrata* **(opus quod lucem vidit Panormi anno volvente 1634)** *Tom. 2, pag. 233* **haec tradere « Motyca antiquissima et amplissima, comitatus titulo ab « anno 1300 et civium frequentia hodie 14443 et larium 3586 « egregia, in profunda valle sita est; Caput totius comitatus « antiquissimae familiae Caprerae, cuius iuris anno 1392, post « eiectos a Rege Martino Claramontanos Comites, et nunc « Alphonsi Enriquez et Caprerae est. Parochiale templum « Claramontani Comites suo tutelari D. Georgio dicarunt; « sed anno 1630 die 6 novembris, ex dipl. Urbani VIII in « regno excripto anno 1634 die 6 iulii, in insigne Canoni« corum Collegium erectum est... Hic plures SS. Reliquiae « coluntur; praecipue D. Georgii Martyris ex crure et dente, « tutelaris et patroni; cuius dies festus 23 aprilis, solemnis « est apud Motycanos, et pompa ac processione in arca argen« tea circumducuntur Reliquiae ».**

Ampliora inveniri penes Placidum Carafa in opere cuius titulus *Mothucae Illustratae Descriptio* **typis edito Panormi anno 1653, et a Motucanis omnibus plausibus excepto. Ab eo namque tradi, S. Georgii cultum initium duxisse anno salutis 1086 quo « Rogerius Tancredi Normanni Comitis filius « natorum minimus, Saracenis a regno expulsis, Calabriam et « Siciliam tenuit, et Urbani Secundi Pontificis consensu Comes « fuit appellatus anno 1092 post Siciliam a barbaris sub« actam, quam ei gloriam divino opere invenimus tributam. « Nam et in exercitu Rogerii eques splendidissimus armisque « coruscus Crucis ferens vexillum pro Nortmannis dimicare « visus est, Divus Georgius creditus (Manrolye fol. 96. Bon« filius in sua Sicilia, lib. 4, part. i, fol. 179, aliique Siciliae « historici) ».**

**Tradi etiam ab eodem auctore pag. 65 «c pium illum Co-
« mitem (Rogerium) templum propriis sumptibus construxisse
« ubi ad praesens cernitur, illud feliciter reiicitur, beneficiisque
« et honoribus augetur. Atque aedes haec Matrix, ut vulgo
« appellant, et Maior in urbe colitur, et nobili Collegio ac
« praepositura insignita, maxima veneratione cum Motucen-
« sium Comitum magna gloria prospicitur: et Martyris festos
« dies celebriores Mothucani quam aliorum sanctorum agere
« solent ». Et pag. 66 addere quae sequuntur « Huic Eccle-
« siae per eumdem pium Comitem dona sunt collata quorum
« adhuc durat proprietas: et illustres status Comites quotannis
« eidem tribuunt decimam et totius status: et in urbe Mothucae
« tamquam in regionis capite, in patronum Divum Georgium
« elegerunt potissimum ».**

**His accedere quae scripsit pag. 106 et seq. « Sed ad
« magnificum et primum Motucanum templum, quod dicitur
« maior Ecclesia Sanctissima et in urbe Mater, Divo Georgio
« Tutelari et Patrono Potissimo** *deditum* **sermonem conver-
« tamus... In hoc eodem delubro quod in urbe dicitur prin-
« cipale, complures ibi reconditae Sanctorum Reliquiae colun-
« tur: praecipue eiusdem Martyris ex dente humero et vexillo
« ut alibi meminimus: cuius dies festus 23 aprilis solemnis-
« simus est apud Motycanos, in quo devotione eximia et
« egregia pompa in arca ditissimi candentis argenti, sumpti-
« bus olim Domini Ioannis Enriquez et Caprera Gubernatoris
« Status confecta, praecedentibus religiosis et clero populjsque
«devote sequentibus, circumducuntur reliquiae... Ad huius
« urbis maximi Tutelaris magnum diem festum numerosissima
« etiam exterorum currit turba ».**

Nec dissimilibus verbis usum fuisse eumdem auctorem in *Sicaniae Descriptione* **eodem anno 1653 iisdemque typis vul-
gata « Sancta Mothucana Maior Ecclesia sanctae verae Crucis
« inter alias innumeras sanctorum partes optima gaudet por-
« tiuncula, et magni ac principalis urbis et status Patroni Militis
« Georgii insignibus brachii humeri, molium, et vexillo, et fere**

< innumeris aliorum Sanctorum potitur reliquiis, quae magna « celebritate et populorum maximo concursu die 23 aprilis per « totam circumducuntur Urbem ».

Historicorum verbis cohaerere innumera documenta: ac praesertim:

I. Actum appositionis primi lapidis pro reaedificatione templi S. Georgio Sacri, magna cum solemnitate peractae die 25 martii 1463.

II. Instrumentum celebratum anno 1657 inter Capitulum S. Georgii et Capitulum S. Mariae de Bethlem pro campanis Sabbato Sancto pulsandis.

III. Actum possessionis Francisci Carafa Abbatis Benedictini, Praepositi Ecclesiae S. Georgii, quae possessio locum habuit anno 1668.

IV. Actus consecrationis reaedificatae Ecclesiae S. Georgii expletae a Siracusano Episcopo Matthaeo Trigona die i februarii 1738. His in actis omnibus, S. Georgium civitatis Patronum appellari vel ab ipsis Capituli S. Georgii adversariis, inter quos iam ex tunc, prouti ad praesens, eminebant Capitulares S. Mariae de Bethlem Ecclesiae S. Petri filialis.

Solemnissimae S. Georgii festivitatis et processionis attestationes reliquisse anno 1686 Motucani Cleri sacerdotes numero viginti, et anno 1703 die 21 augusti sacerdotes alios numero sex, una simul cum civibus omni laude dignis. Processionis autem actae annis 1758, 1759 et 1760 accuratissimas descriptiones ad acta existere. Magni demum esse faciendum, quod cum anno 1798 omnes Ecclesiasticas suppellectiles in pecuniam numeratam convertendas fiscus sibi addixisset, instantibus Canonicis fideiibusque S. Georgii, argenteam arcam servari decrevisset in qua S. Georgii Reliquiae conditae fuerant, ea tantum de causa, quod S. Georgius Patronus esset civitatis Mothucae principalis.

Verum etiamsi haec omnia deficerent, rem confecisse Sacram Rituum Congregationem die 2 iulii 1661. Sacra Congregatio, cui ob aetas de matricitate lites omnia apprime innotuerant

quae spectabant ad Capitulum S. Georgii, in eius vota concedens rescripsit: « SS. Rituum Congregatio precibus Capituli insignis « Collegiatae et Matricis Ecclesiae S. Georgii civitatis Mothucae « Syracusanae Dioecesis benigne inclinata, utrique Clero tum « saeculari tum regulari facultatem indulsit, ut in officio S. Geor- « gii Martyris Patroni et Titulari eiusdem Ecclesiae, sub ritu « duplici cum octava recitari possint oratio et lectiones propriae « eiusdem Sancti, alias pro civitate Ferrariensi approbatae ».

Contra hoc rescriptum obiici solere ex adverso, S. Georgium dici *Titularem et Patronum Ecclesiae Collegiatae,* non civitatis; sed frustra. Nam ea verba « Patroni et Titularis eiusdem Ecclesiae > ad eam Ecclesiam esse referenda quae eodem in rescripto dicitur Insignis Collegiata et Matrix: cumque ex traditis, Patronus Matricis sit Patronus loci, non esse ambigendum quin concessio locum habuerit ratione Principalioris Patronatus.

Ast urgere eiusdem concessionis obiectum, nempe facultatem recitandi officium proprium S. Georgii *sub ritu duplici cum octava,* pro utroque clero tam saeculari quam regulari; scitissimum namque esse in iure, huiusmodi privilegia, si ad utrumque clerum extendantur, nonnisi Patrono Dioecesis vel Loci tribui solere. Audiendum esse ad rem *Meratium op. cit. pag. 186:* « *Procedit Gavantus ad assignandum discrimen quod intervenit inter patronum loci et patronum seu titularem Ecclesiae, asseritque primum latius extendi quam secundum, cum hic •ad unam tantum Ecclesiam spectet, ille vero plures Ecclesias respiciat. Locus enim, inquit Gavantus n. j, accipitur pro multitudine cleri et populi, seu potius pro multis cleris ac populis in uno loco, puta civitate aut Dioecesi constitutis* ». Et *pag. i8ç « Gavant, n.* 5 *Regulares eum teneri ad festum de patrono loci « et officium sollemne, non tamen teneri ad octavam eiusdem ».* Quod docet hic Gavantus *ex decretis S. R. C. nimirum Regulares teneri ad servandum festum et recitandum officium sub ritu primae classis de patrono loci, non tamen teneri ad eiusdem octavam, immo, neque posse, patet etiam et confirmatur aliis S. R. C. Decretis quae dantur in nostro indice.*

Haud dissimilibus verbis uti *Luctum Ferraris* sub verbo *« Patroni Sancti » n. S: « Regulares tenentur celebrare festum et officium de Patrono Principali loci conventus, ac de Patrono seu Protector e Principali Civitatis Regni aut Provinciae, sub ritu duplici primae classis ac sine octava. Ad officia vero de patronis minus principalibus ac de Sanctis Dioecesum non tenentur, nisi sint descripta in Kalendario* ». Tradita exemplis confirmare eumdem Auctorem referentem Decreta S. R. C. inter quae sub n. 283 extare et sequens: « *De Protector e Principali civitatis debet celebrari officium cum octava per Civitatem, et Dioecesim sub ritu duplici primae classis tam apud saeculares quam apud Regulares utriusque sexus, sed isti sine octava* » *(S. R. C.* 23 *maii* 1630 *in Caven).*[1]

Quamobrem vel esse dicendum S. Congregationem haud satis consultum habuisse quid pro S. Georgio concederet, aut esse tenendum S. Georgium revera fuisse eo tempore unicum Principaliorem Mothucae Patronum. Iamvero primum absurdum esse tum absolute, tum relate ad peculiares circumstan-

[1] *Meratius* peractas quaestiones explet afferens verba Henrici Pisart pag. 191. Operis pluries citati - *Antequam absolvamus has nostras observationes et Additiones spectantes ad ritum et modum celebrandi festa Patronorum et titularium, placet aliqua colligere ex iis quae tradit Henricus Pisart in sua appendice ad directorium Canonicum.*

Primo igitur, si in aliqua civitate vel oppido praeter Patronum loci Principalem aliqui velut minus principales habeantur, verosimilius apparet, quod Clerus Saecularis illorum festa servare posset et deberet; at non Regularis : nisi sit Festum de praecepto in populo, quo casu censemus cum Gavanto, quod regulares etiam se conformare possent; servando talis Festi Officimi, vel proprium si sit debite adprobatum, vel de communi.

Secundo per Patronum principalem loci, non solum designatur patronus principalis Ecclesiae Cathedralis seu Dioecesis, sed etiam Patronus Matricis nullius Dioecesis Patriae et loci seu oppidi, quae saepe non tam late patent quam Dioecesis.

Tertio Patronus Parochiae seu Titularis Ecclesiae Parochialis colendus est ab omni Clero qui illius Ecclesiae est adscriptus, idque ritu primae Classis et cum Octava. Regulares autem sub tali Parochia in civitate habitantes tale festum non respicit, utpote qui proprium in Sua Ecclesia Titularem habent, et insuper Festum Profecturis civitatis celebrant. Hoc confirmatur rescripto etc.

tias temporum, quibus concessio locum habuit. Eo enim tempore decreti Urbani VIII recens erat memoria.

Ex his omnibus duo aperte liquere:

I. S. Georgium esse *unicum* Mothucae civitatis Patronum *Meratius op. cit. « Quamvis enim Patroni locorum, uti diximus, plures esse possint, unus tamen tantum locum pnncipalioris obtinet regulariter loquendo, ita ut caeteri omnes minus principales censeantur, de quibus non celebratur officium nisi sub ritu duplici maiori ».*

II. Eius festum de praecepto esse servandum *Ferraris loc. cit. n, 6. « Excipitur tamen festum unius ex principalioribus patronis in quocumque Regno et Provincia, et alterius pariter prinCipalioris in quacumque civitate oppido vel pago, ubi hos patronos haberi et venerari contigerit: nam tale festum est de praecepto observandum, ut expresse statuit Urbanus VIII in Constit, quae incip. Universam.* **§** *2 ».*[1]

In facto certum esse, ab antiquissimis usque temporibus S. Georgii festum de praecepto constanter fuisse celebratum, et erui tum ex illo *Rochi Pirri* « cuius dies festus solemnis « est apud Motycanos » tum ex *Placido Carafa* testante *pag. 65* « et Martyris festos dies celebriores Mothucani quam aliorum « Sanctorum agere solent » et pag. 107 « cuius dies festus « solemnissimus est apud Motycanos ». Erui etiam ex actu pos- « sessionis Praepositi S. Georgii et usus pontificalium in quo « scriptum est: « Eo quod hodie solemnis festivitas magni « Martyris Georgii titularis dictae Matricis et Patroni huius « dictae civitatis in hac praedicta civitate celebratur etc. ».

Festum S. Georgii die 23 aprilis constanter de praecepto fuisse servatum, testari matrimoniorum denunciaciones ea die quotannis peractas ab anno 1624 ad praesens, nec non Kalendarium Religiosae Familiae S. Dominici transacto saeculo edi-

[1] Inter decreta Sac. Rituum Congr. ab auctore Ferraris relata, est et sequens sub N. 288: «Festum principalis patroni in quacumque civitate « aut oppido vel pago ubi hos patronos haberi aut venerari contigerit, est «praeceptivum: cum obligatione audiendi sacrum et vacandi ab operibus « servilibus » *(Sac. **Rit.** Cong. 13 **sept.** 1642).*

tum in quo sub diç 23 aprilis scriptum est « S. Georgii Martyr. « Caccab. Motuc et Ragus. Pa. Pr. de praec. >. Quibus omnibus et cultus continuationem in vado esse.

Rebus ita se habentibus, non alia de causa postulasse S. Georgii Capitulum, sui Titularis et Protectoris Civitatis Praecipui festum de praecepto declarari, quam ut tuto procedi posset post decretum anno 1818 a Sa. Me. Pio VII confectum, quo festa Patronorum Regni utriusque Siciliae intra et trans pharum, ad proximum diem Dominicum transferri iussit. Licet enim Mothucae S. Georgii festum usque adhuc die 23 aprilis quotannis celebraretur et de praecepto, prouti et Netinus Episcopus testatus est, nonnullos de obligatione sacro adstandi et a servilibus abstinendi dubitasse.

Ceterum, ad enunciatum principaliorem Patronatum confirmandum praesto esse, praeter Kalendaria Patrum Dominicanorum, etiam Kalendaria Religiosorum Ordinum Minorum Observantium, et reformatorum, et Excalceatorum S. Mariae a Carmelo pro universa Siciliae Provincia Panormi exarata, in quibus formula adhibetur « die 23 aprilis... pro Conv. Mothu- « eae et Ragus. S. Georgii M. Dup. I Cl. Pa. Pr. U. ».

Tandem gravissimum omnium nostris hisce temporibus documentum praebere Mothucani Municipii resolutionem, editam anno 1872 ad tramites Italicae legis diei 17 octobris 1869, qua inter Catholicae Ecclesiae festa a civili gubernio celebrandas, recensetur dies sacra Patrono Coelesti cuiusque civitatis. Indictum namque est scholas vacare quoque debere die 23 aprilis ob celebrationem festi S. Georgii Patroni Civitatis. Nec esse praetereundum huiusmodi resolutionem a Provinciae Consilio fuisse approbatam. Ac illud peculiare accidisse in casu, quod cum decretum diei 30 aprilis magna cum laetitia excepissent Mothucenses, inter eos bismille centum quadraginta cuiusque coetus, ordinis, sexus et districtus, gratias Pontifici agere voluerunt, subscribentes gratulationem Romam mittendam.

Quod attinebat executionem decreti de quo disputabatur, eam in probatis esse, cum in Directorio ***pro divinis agendis***

Jyro Dioecesi Netina anni 1875 scriptum fuerit: «Aprilis 23 « F. 6 S. Georgii M. ... pro civitate Mothucae tantum est « festum sub utroque praecepto, adstandi scilicet sacro et a «servilibus abstinendi, Dec. 30 aprilis 1874 ». [1]

Ita S. Georgii principaliori patronatu in tuto posito, S. Cataldi patronatum aggrediebatur orator: eiusque existentiam inficiabatur, ad trutinam revocando responsum a Sac. Rit. Congr. datum precibus Didaci Carrera die 19 iunii anni 1700. Ad rem recolebat: Didacum Carrera se dicentem Cappellanum Maiorem Ecclesiae S. Cataldi, penes Congregationem Sacrorum Rituum postulasse, ut concederetur Mothucae civitati ac distructui facultas recitandi officium proprium S. Cataldi, quem ipse Patroni Principalis titulo decoraverat; petitionemque communivisse electione Municipium de anno 1629, decreto Episcopi Capiblanco, qui anno 1655 quatuor inter patronos S. Cataldi principaliorem fecerat, aliisque omnibus documentis quae in praesenti e pulvere excitaverunt adversarii: et nihilominus S. Congregationem respondisse, Ponente Emo Patre Cardinali De Colloredo « doceant nos de legitima « electione in patronum, et de facultate recitandi officium de « communi ». Quo quidem responso aperte dictum fuisse, documentis ad eam editis, nec electionem in patronum in probatis esse, nec facultatem recitandi officium de communi. Itaque cum nullum prorsus novum documentum ex adverso exhiberetur quod decretum diei 14 iunii 1700 infirmandum esse suaderet, existentem S. Congregationis resolutionem in omnibus esse servandam.

Verumtamen hoc etiam reposito invictissimo argumento, alia haud minoris ponderis suppeditare Mothucanarum rerum históricos, et documenta ad acta exhibita. Etenim Rochum

[1] Videri poterit haud simul coaherere quae dicuntur in provisionali decreto diei 19 iunii 1877, et quae Capituli S. Georgii orator documentis innixus asserebat. Sed tenendum est, S. Congregationem ignorasse, cum provisionale decretum edidit, Ordinarium Netinum in Kalendario an. 1875, Decreti diei 30 aprilis exequutionem curavisse.

Pirri qui de S. Georgii patronatu tot tantaque narrat, de S. Cataldo nec verbum facere, quamvis se S. Petri Capitulo (quod iam ex tunc ob aemulationem pro S. Cataldo pugnabat) favorabilem profiteatur. Et Placidum Carafa adsertam S. Cataldi Ecclesiam in castro Mothucae S. Georgii Paroeciae subiecto tum existentem descripsisse : « Est in castro « hoc Gubernii superbissimum palatium et quamplurimae « domus inhabitantium, pro quorum opportunitate tria insunt « caelestibus numinibus dicata templa, quorum primum Maio- « ris filiale et suffraganeum sub nomine Divae Mariae, duo- « decim presbyteros continuo obsequio mancipatus continet, « annuis proventibus ab ipso comite sacris ministrandis muni- « ficen tissime assignatis. Aliud est sub titulo S. Cataldi par- « vulum sacellum palatii comitis a Capreris conditum, etc. ». Nec de eius festo, ac multo minus de eius patronatu, Scriptorem rerum et locorum peritissimum fuisse loquutum.

Verum omnia historicorum testimonia antecellere visitationem peractam anno volvente 1633 die 5 martii ab Episcopo Antenoro, qui retulit : S. Cataldi Ecclesiam *habere potius Privati Oratorii quam Ecclesiae,* et mandavit *in ea non celebrari* eiusque Reliquiam *mandavit non publice exponi, nec ad publicas venerationes fidelium admitti sub poena excommunicationis.*

Ex his prono alveo fluere, absurdum esse concipere cives Mothucanos patronum suum principaliorem venerasse Sanctum Cataldum, qui nec templum unquam habuit Mothucae nec reliquiam authenticam ; cuius cappellani terraemotu destructam nunquam refici curaverunt, cuius assertam reliquiam disperdi reliquerunt; prae sancto Georgio, cuius in honorem templum magnificum fuerat conditum matricis Ecclesiae titulo insignem, recenter propriis civium sumptibus restauratum, et cuius reliquiae magno in honore erant. Atque hoc loci in oculos etiam insilire assertam approbationem Reliquiae S. Cataldi an. 1629 per S. R. C. concessam, quam in lucem ediderunt Canonici S. Petri, inter commenta esse amandandam : quia si extitisset,

Episcopus Antenóro anno 1633, ne publicae venerationi exponeretur reliquia haud prohibuisset, et certe huius asserti decreti mentio incidisset (quae deest omnino) inter documenta a Didaco Carrera una cum precibus exhibita. Ceterum comparatione instituta inter preces Capituli S. Georgii et Didaci Carrera quarum idem erat obiectum, nempe facultas recitandi officium proprium S. Georgii vel S. Cataldi; et visis responsis S. Congregationis dierum 2 iulii 1661 et 19 iunii 1700 ; quaestionem iam esse absolutam, cum S. Congregatio adamussim id pro S. Cataldo negaverit, quod pro S. Georgio concesserat.

Tametsi, dato etiam quod S. Cataldus aliquem cultum Mothucae habuerit, hunc in desuetudinem abiisse. Et revera ipsis confitentibus adversariis, ad Dominicam diem io maii proxime sequentem fuisse amandatum S. Cataldi festum, dum illud S. Georgii die 23 aprilis constanter servatum fuit usque ad praesens. Compulsatis libris parochialibus ab anno 1825 ad integrum annum 1860, baptizatos nomine S. Georgii imposito, ad bismille centum nonaginta sex ascendere : eodemque temporis spatio, pro tresdecim tantum natis S. Cataldi nomen adhibitum fuisse. Iurata testium fide constare, nec unam aediculam Mothucae vel in territorio inveniri S. Cataldo Sacram: -dum quatuordecim S. Georgii imaginem exhibent, earumque nonnullae in S. Petri districtu existentes.

S. Cataldi festum ex adverso ostendi ex nundinis adhuc perse verán tíbus a die nona ad undecimam maii, prouti eas commemorat Placidus Carafa. Verum historicum nundinas haud cohibere tantum ad festum S. Cataldi sed narrare *(Op. cit., pag.* /57) pluries infra annum haberi nempe « Decimo maii « in festo S. Cataldi. Eiusdem mensis Dominica tertia in festo < S. Mariae Gratiae. Vigesimoquarto iunii in festo S. Ioannis « Baptistae. Sexto augusti in festo SS. Salvatoris. Vigesimo- « nono septembris in festo S. Michaelis ». Itaque etiamsi concederetur nundinis patronatum ostendi, profecto in casu principaliorem patronatum haud evinci.

Verumtamen, admissa etiam duorum patronorum paritate* nihilominus S. Georgium praevalere debere : cum SS. Rituum Congregatio ***die*** *12* ***martii*** *LOCO* **definiverit :** ***In Patronorum seu Profectorum praecedentia servandus est ordo hier ar chichus, et inter ordinem hierarchicum anterioritas in electione.*** **Quid autem hierarchici ordinis nomine veniat, tradidisse** ***Guyetum in Heortologia, Lib. IV, Cap. VI, Quaest.*** *6* **«** ***Alteram patronorum inter sese concurrentium, diluet comode satis vel maior personae dignitas, si videlicet Angelus Apostolo, Apostolus Martiri, Martyr caeteris, et caeteri alii ordine litaniarum praeferantur*** **».**[1] **Iamvero S. Georgium utroque ex capite S. Cataldo praestare: tum quia antiquior est S. Cataldo, tum quia uti Martyr Confessori Pontifici praeire debet. Tandem quavis iuris et facti disputatione seposita, melius esse ad unitatem revocare dissidentes, quam dualitàtis approbatione iurgia in» aevum producere.**

His aliisque fuso calmo hinc inde deductis, proposita fuere dirimenda sequentia

Dubia.

I. ***An intret arbitrium aperitionis oris adversus decretum diei*** *30* ***aprilis*** *1874.*

Et quatenus affirmative

II. ***An S. Georgius Martyr vel S, Cataldus Episcopus sit patronus praecipuus civitatis Mothucae, ideoque Decretum supradictum diei*** *30* ***aprilis*** *1874* ***sit nec ne exequendum in casu.***

[1] Ad rem haec tradit Guyetus, *Op. cit., Lib. I, Cap. VII, Quaest. 5 « Non raro tamencontingit plures in una Dioecesi Patronos censeH aequales, uti Biturigibus S. Ursinum et Sulpitium, Aureliis S. Eeurtium et Ancianum, etc. Ex quo tu statim arguas neutrum esse Principalem, sed ambos inter minus principaliores dumtaxat habendos. Quam ego consequentiam non abnuo si eam ad ritum officii referas, ut videlicet ambo eiusdem sint qualitatis, puta duplicis maioris aut minoris non tamen primae classis: quod si ratio personarum habeatur unus plerumque alio prior, saltem vel ipso tempore utendus erit, imo etiam merito, si primus susceptae Christianae fidei actor extiterit, etc. Qui quidem auctor ordinem hierarchicum latius explicat sub titulo " De*

Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus Praepositi, in plenis comitiis diei 13 aprilis 1878 rescribendum censuerunt.

Ad L *Providebitur in secundo.*

Ad II. *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam: ideoque Decretum supradictum* (diei 30 aprilis 1874) *'^se exequendam et amplius.*[1]

forma inscribendi festa propria quoad dignitatem seu conditionem personae „. Sunt itaque gradus illi seu Ordines inter se sic distinguendi eo plane modo quo in Litaniis sese consequuntur Angeli et Archangeli, Patriarchae et Prophetae, Apostoli et Evangelistae, Discipuli Domini, Martyres Pontifices, non Pontifices, Confessores Pontifices, non Pontifices, Virgines Martyres, non Martyres, Non Virgines, Martyres, Viduae.

[1] **En postremum Decretum Sacrae Rituum Congregationis pro causae resolutione confectum « Neten. Ad controversiam definiendam inter Capi- « tulum Ecclesiae Matricis Sancti Georgii Martyris et Capitulum Sancti « Petri in Civitate Mothucae Dioeceseos Netensis quoad praecipuum Civitatis ipsius Patronum, utrum scilicet Patroni Praecipui honor tribuen- «dus sit Sancto Cataldo Episcopo, vel potius Sancto Georgio Martyri, « prouti a sa: me: Pio Papa IX per Decretum Sacrae Rituum Congrega- « tionis diei 30 aprilis 1874 constitutum fuerat, cuius vero Decreti executio « suspensa remansit per aliud eiusdem Sacrae Congregationis provvisio- « naie Decretum diei 19 iunii 1877, facta interim potestate partibus con- « tendentibus sua iura rite proferendi; Emus et Rmus Dnus Cardinalis « Miecislaus Ledochowski huius Causae Relator, in Ordinariis Sacrorum « Rituum Congregationis Comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis, «sequentia Dubia discutienda proposuit:**

« **DUBIUM I.** *An intret arbitrium aperitionis oris adversus Decre- « tum diei 30 aprilis 1874?*

« **DUBIUM II.** *Et quatenus affirmative, an Sanctus Georgius Martyr, « vel Sanctus Catalans Episcopus sit Patronus Praecipuus Civitatis Mo- « thucae, ideoque Decretum supradictum sit necne exequendum in casu?*

« Emi porro et Rmi Patres sacris tuendis Ritibus Praepositi, utraque « parte voce et scripto informante audita, visisque iuribus hinc inde dedu- « ctis, iisque maturo examine perpensis, rescribendum censuerunt:

« Ad I. PROVIDEBITUR IN SECUNDO.

« Ad II. Ad primam partem AFFIRMATIVE, ad secundam NEGA- « TIVE: ideoque supradictum Decretum esse exequendum, et *Amplius.*

« Die 12 aprilis 1878.

« Facta deinceps ab infrascripto Secretario de hisce omnibus San- « ctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII fideli relatione, Sanctitas Sua « Rescriptum Sacrae Congregationis ratum habuit et confirmavit.

« Die 2 maii eiusdem anni.

« Fr. T. M. Card. MARTINELLI, **S. R. C.** *Praefectus.*

« Piae. Ralli, S. R. C. *Secretarius ».*

Ex QUIBUS OMNIBUS COLLIGERE POTERIS:

I. Pontificia rescripta veritatis praesumptionem pro se habere, ideoque nonnisi per oris aperitionem a Papa ipso concessam licere de Pontificio rescripto quaestionem instituere. [1]

II. Oris aperitionem eo tantum in casu adhiberi posse, quo vel falsum narrando vel verum reticendo, idest obreptitie aut subreptitie rescriptum postulatum fuisse ostendatur.

III. Obreptionem vel subreptionem concludenter ab actore esse demonstrandas, cum ad eas excludendas sufficiat probationem aliquo modo dubiam reddere.

IV. Actorem de obreptione vel subreptione certantem, magnam causam ac iuris proprii laesionem probare debere : idque praesertim requiri, si gratia iam fuerit exequutioni commissa.

V. Inutile esse extra preces obreptionem vel subreptionem quaerere, quia animus decipiendi in eo ostendendus est qui gratiam obtinuit: et rescripta expressam vel tacitam continent clausulam ***si preces veritati innitantur.***

VI. Nec subreptioni prodesse reticentiam earum rerum quae iuris sunt, cum non sint narranda nisi quae de iure praestant impedimentum.

VII. Iuxta Urbani VIII Decretum diei 23 martii 1630, de patrono Civitatis electionem fieri debere per secreta suffragia a populo, mediante consilio generali illius Civitatis vel Loci, non autem ab officialibus solum : electioni vero accedere debere consensum Episcopi et Cleri illius Loci.

VIII. Verum huiusmodi dispositionem electiones in futurum faciendas attingere, haud quaquam iam existentes: et

[1] Veneratio Pontificiis rescriptis debita, vel ex ipsa formula dubitandi hauritur. Etenim licet Pontifex abnuerit os operiri, tamen os iudicantium non est apertum, et dubium proponi solet, an arbitrium ab eo concessum intrare possit vel non. Ostium autem per quod intrare potest arbitrium huiusmodi, est vitium obreptionis vel subreptionis, quo exsulante, ostium clausum manet. Maiorem vim obtinet haec regula cum agitur de Litteris Apostolicis *motu proprio* a Pontifice editis.

veteres Patronos ante hoc decretum veneratos, esse servandos.

IX. Patronum eum esse colendum, qui sive perpetuo usu ac traditione a maioribus accepta, sive legitima facta electione, uti peculiari apud Deum intercessor propriusque suffragatur ab universo illius Loci Clero et populo colitur.

X. Valde inter se differre Patronum Loci et Titularem Ecclesiae. Hunc enim unam tantum Ecclesiam respicere, primum illum plures Ecclesias complecti.

XI. Locum accipi pro multitudine Cleri vel populi, seu potius pro multis Cleris et populis.

XII. Nihilominus Titularem Ecclesiae etiam Loci Patronum esse, si Ecclesia Matricitate polleat, et iurisdictione quasi Episcopali super omnes alias eiusdem Loci Ecclesias.

XIII. Sancti Matricis Titularis nomen frequentius civibus impositum, aediculas per vias eius imaginem exhibentes, ipsam Templi magnitudinem ac ornamenta, Reliquiarum conservationem, cultus continuationem, die Illi sacra a scholis vacationem, festi sollemnitatem, Patronum Principalem eumdem ostendere.

XIV. Praecipuam haberi in huiusmodi quaestionibus facultatem recitandi officium proprium cum octava pro utroque Clero saeculari et regulari, quae nonnisi Loci seu Civitatis Patrono concedi solet, licet Regulares ad octavam observandam non teneantur.

XV. Principaliorem Patronum in uno loco seu Civitate unum tantum esse debere, licet alii eodem in Loco seu Civitate adsint Patroni minus principales.

XVI. Duos vel plures inter Patronos Eum esse Praecipuum, qui antiquitate et hierarchico ordine praevalet.

XVII. Patronum Principalem sequi festum de praecepto, cum obligatione adstanti Sacro et a servilibus abstinendi.

XVIII. In casu Patres Eminentissimos videntes dubii de aperitione oris resolutionem pendere a quaestione super Principaliori Patronatu S. Georgii vel S. Cataldi, eidem dubio

respondendum censuisse per formulam *provisum in secundo:* quod forensi praxi cohaeret.

XIX. Pontificii rescripti executionem maximum fuisse controversiae obiectum, ac propterea secundi dubii resolutionem continere non modo S. Georgii Principalioris Patronatus affirmationem, sed etiam praeceptum exequendi decretum diei 30 aprilis 1874.

DECRETUM.

Quoad usum petrolei.

FAVENTINA.

Quum non una sit sententia circa interpretationem Decreti a Sacra Rituum Congregatione lati sub die 9 iulii 1864 in una *Plurium Dioecesum* super usu Petrolei et Oleorum quae ex vegetabilibus habentur pro nutriendis lampadibus Ecclesiarum, ita ut nonnulli putaverint posse Petroleum adhiberi in Ecclesiis proprio arbitrio et extra casum necessitatis, dummodo non adhibeatur ante Ssmam Eucharistiam vel ante imagines sacras, Rmus D. Canonicus Antonius Conti Vicarius Capitularis Dioeceseos Faventinae a Sacra Rituum Congregatione declarari petiit, num sit contra sensum memorati Decreti diei 9 iulii 1864[1] adhibere Petroleum ad illuminandam Ecclesiam, quando necessitas non urgeat, et absque praevio Ordinarii consensu?

Sacra porro eadem Congregatio, referente infrascripto Secretario, re mature perpensa, rescribendum censuit: Minime adhiberi posse Petroleum vel aliud Oleum ex vegetabilibus ad illuminandam Ecclesiam; sed in casu tantum necessitatis ex prudentia Ordinariorum. Atque ita rescripsit et servari mandavit, die 20 martii 1869.

¹ Reperies decretum hoc pag. 38, vol. I harum ephemeridum.

LITTERAE

Ssmi D. N. Leonis Papae XIII ad R P. D. Paulum Melchers, Archiepiscopum Coloniensem.

LEO PP. XIII

VENERABILIS FRATER

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Solatio Nobis et oblectationi fuerunt officiosae litterae, quibus vota tua faustis coniuncta ominibus, appetente solemni die Natali Domini, Nobis explica visti; per eas enim luculenter se prodidit cum tua erga Nos egregia voluntas, tum inviolabile studium quo huic Apostolicae Sedi adhaeres. Haec autem officia dum tibi dilectionem Nostram magis conciliant, decori tibi ac laudi cedunt, simulque plenum obsequium, quo Nos prosequitur Coloniensis Ecclesiae grex tibi creditus, validius confirmant. Neque aliunde quam nutu et voluntate regentis omnia et moderantis Dei factum esse putamus, ut paria iis quae edidisti signa pietatis devotique animi, Nobis a caeteris Venerabilibus Fratribus catholici orbis Episcopis exhiberentur; namque in hac tanta rerum perturbatione, mira haec consensio periucunde Nos afficit et recreat; atque illas e pectore Nostro Apostoli voces exprimit : *Benedictus Deus qui consolatur nos in omni tribulatione nostra* (II, *Cor., I).* Ac sane, ut primum ad hoc Apostolicae Sedis fastigium evecti, ad omnes Venerabiles in Episcopatu Fratres verba Nostra convertimus, tantam cogitationum, sententiarum, ac pene verborum concentionem in eorum responsis deprehendimus ; ut Nobis non modo laetandum fuerit de mirabili unitate quae viget in Ecclesia Dei, sed etiam manifesto constiterit, totius orbis Episcopos fidos esse interpretes sanae doctrinae, quae a Sede Apostolica traditur, eosque Pastoralis sollicitudinis Nostrae et alacres laborum socios Nobis ultro adfuturos.

Iam vero haec unitas in doctrinis, in consiliis, in operibus spem Nobis facit, fore ut omnia iuxta vota Nostra contingant; quo facto non solum Ecclesia compendio fruetur amplissimo, sed et civilis societas uberrimos salutis fructos percipiet. Siquidem probe novisti, Ven. Frater, hanc Nobis insidere sententiam (quam saepe verbis expressimus et palam testati sumus): tristia discrimina, quae hominum communitati impendent, ex eo potissimum repetenda esse, quod undi que intercepta sit Ecclesiae auctoritas, ne salutarem vim suam publice in bonum societatis exerat, eiusque libertas sic impedita sit, ut vix illi liceat privatim singulorum necessitati ac bono prospicere. Quae

sane persuasio non solum ex eo Nostrae menti inducta est, quod Ecclesiae naturam efticacemque virtutem probe cognitam habeamus, sed etiam ex indubiis historiae documentis, quibus evidentissime comprobatur tunc optimam rem publicam florere, cum Ecclesia plena fruitur agendi libertate ; quoties vero vinculis constringitur, ea principia et doctrinas invalescere, quibus omnis humana consortio labefactata dissolvitur.

Cum itaque id Nobis fuerit iampridem persuasum, pronum erat, ut ab ipsis Nostri Pontificatus exordiis, Principes et populos ad pacem et amicitiam cum Ecclesia colendam revocare adniteremur. Ac tibi quidem compertum est, Ven. Frater, Nos mature animum intendisse, ut nobilis quoque Germanorum natio, dissidiis compositis, bona et fructus duraturae pacis, salvis Ecclesiae iuribus, consequeretur: compertum etiam tibi esse putamus, ad Nos quod attinet, nihil fuisse praetermissum, ut finem tam praeclarum ac Nostra dignum sollicitudine attingeremus. Utrum autem quod aggressi sumus et perficere contendimus prosperum tandem exitum sit habiturum. Ille novit a quo est omne bonum, Quique Nobis tam ardens indidit pacis studium ac desiderium.

At quocumque demum res vertant, divinae voluntatis placitis acquiescentes, eodem tamen incensi studio, in arduo Nobis commisso munere obeundo perseverabimus, dum vita manebit. Neque enim rem tantam posthaber e aut negligere fas est: quandoquidem propter pravas doctrinas et audacia perfidorum hominum consilia, fraenum omne legis detrectantium, religioso, politico, sociali denique ordini tam grave cernere imminere exitium, ut Apostolici Ministerii officio deesse putaremus, nisi humanae societati, in supremum iam discrimen adductae, efficacissima Ecclesiae remedia pararemus. Itaque ab hoc proposito communis salutis curandae, adeoque etiam gentis tuae, Ven. Frater, nulla nos deflectent obstacula undequaque interposita. Nunquam enim poterit cor Nostrum quiescere, donec, ingenti cum animarum iactura, Pastores Ecclesiae damnatos vel exules conspiciemus, sacerdotale ministerium nexibus omne genus implicitum, religiosas Sodalitates, piasque Congregationes disiectas, et iuventutis institutionem, ne clericis quidem exceptis, ab Episcopali auctoritate et vigilantia subductam. Verum quo plenius ac celerius hoc salutis opus a Nobis susceptum perfici valeat, Te, Ven. Frater, et caeteros istarum regionum illustres Episcopos appellamus, ut Nobiscum studiis viribusque coniunctis ad opus illud efficiendum conitamini, satagentes, ut fideles, curationi Vestrae commissi, sese magis magisque dociles exhibeant Ecclesiae documentis, divinae legis perscripta accuratius in dies exequantur, ita ut, *communicatio fidei* eorum *evidentior fiat in agnitione omnis operis boni, quod est* in illis *in Christo Iesu* (*ad Philem.*, 6). Exinde profecto eveniet, ut per modestiam suam et obedientiam legibus praestitam (quae tamen fidei et officio catholici viri

haud repugnant) sese dignos esse demonstrent, qui bona pacis recipiant, diuque laetis illius fructibus utantur.

Ceterum optime intelligis, Ven. Frater, conatus Nostros in re tam gravi prorsus in irritum cessuros, nisi nobis adfuerit auspex et adiutor Deus; nam *nisi Ipse aedificaverit domum, in vanum laboraverunt qui aedificant eam (Ps. C XX VI).*

Quare coram Ipso fervida vota et preces fundamus oportet, Eumque innixe obsecremus, ut caelesti lumine Vicarium suum in terris atque Episcopos collustrat : et cum in manu Eius corda regum sint, Ipse ad mitiora consilia inclytum et potentem Germanorum Imperatorem, et praestantes qui ei adsident viros inclinet.

Denique quoniam multorum in idem consentientium precatio bonitati divinae quodammodo vim infert, optamus Germaniae Episcopos hortatu concordi greges excitare quibus praesunt, ut consociatis precibus divinam opem praesentem Nobis ac propitiam implorent.

Auspicem interea caelestium munerum et pignus dilectionis Nostrae, Apostolicam Benedictionem, Tibi, Ven. Frater, nec non caeteris Germaniae Episcopis et fidelibus vigilantiae vestrae concreditis ex intimo cordis affectu in Domino impertimur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die 24 decembris 1878, Pontificatus Nostri anno primo.

LEO PP. XIII.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

DECIMARUM SUPER LIQUIDATONE.

Die 23 martii 1878.

Compendium facti. Quae causa pluries coram S. Congregatione Concilii proposita fuerat ac ita absoluta videbatur, per responsa edita in plenis comitiis dierum 12 decembris i 874 et 2 septembris 1876, ut quaevis via novis quaestionibus esset praeclusa ; ea triplici ex capite super liquidatione ad trutinam

rediit. Et quoniam bis iam[1] ephemeris haec nostra huius causae synopsim obtulit, ne plena desit rei notitia gravitate haud destituta, prosequutionem adiicimus.

Per resolutionem diei 12 decembris 1874 constitutum fuerat: Plebano S. competere utique ius decimandi in fundis Familiae N., sed quoniam Familia N. acriter contendebat, se gravissimis impensis et novis culturae operibus inertes agros frugiferos reddidisse, eosque ob novalia decimae rependendae oneri esse subtrahendos, S. Congregatio limitationem adiecerat ; *et quoad quantitatem, quousque perdtiret actualis cultura vineae, loco vigesima^, partis y debeatur Parocho trigesima.*

Ius trigesimae partis eligendae ad omnes Familiae N. fundos extendere exoptaverat Parochus S. ideoque etiam ad praedium pro quo annuam certam pecuniae quantitatem titulo decimae ei solvebat Familia N. et hac super re nova exarserat quaestio ad S. Congregationem dirimendam delata. Insuper, difficile admodum esse in casu viderat S. Congregatio decimae solutionem fieri in natura ; et decimas in pecunia numerata rependi iusserat, ac pro quantitate statuenda Ordinarium delegaverat. Itaque rescripserat ultimo loco sub die 2 septembris 1876 *resolutionem datam die 12 decembris 1874 non affecisse neque afficere praedium seu partem praedii pro quo certa quantitas pecuniae in scutatis 2,30 annuis titulo decimae rependitur. In reliquo vero praedio, seu in reliqua parte praedii, praeter mensuram tabularum 37,87 in quibus recenter vinea consita fuit, salvum esse parocho ius decimandi fructus quoad quantitatem et qualitatem, servata veteri consuetudine. Ceterum Ordinarius rem componat quoad vineam tabularum 37,87 constituta annua certa quantitate pecuniae loco praestationis in natura.*

Huic resolutioni obsequentes, convenerant coram Ordinario partes contendentes ut summam annuatim rependendam determinarent: et iam eo pervenerant ut utrinque in annuis libellis

[1] Videris Volumen **VII,** pag. 387 et Volumen **IX,** pag. 388.

centum decimae quantitatem constituerent; cum duplici ex capite acrior exorta lis est, alterum circa epocham a qua trigesimae solutio incipere deberet, alterum circa expensas iudicii. Siquidem contendebat Plebanus S. trigesimam sibi deberi a die editae resolutionis tantum, et ante sibi ius competere ad decimam exigendam in vigesima parte fructuum, nec non ad expensarum refectionem. Hanc ob novam contentionem, se pro quantitate decimae in annuis libellis centum constituenda coram Episcopo consensisse inficiabatur. Excipiebat Familia N. a die instituti iudicii idest ab anno 1868 se loco vigesimae, trigesimam parocho debere in annuis libellis centum iuxta conventionem, et nihil pro expensis esse solvendum ad praxim S. Congregationis Concilii. Itaque instauratum est triplici ex capite certamen.

1. Super quantitate pecuniae annuae rependendae pro trigesima.

2. Super epocha a qua huiusmodi solutio initium sumere deberet.

3. Super expensis iudicii.

Disceptatio synoptica.

IURA PLEBANI S. In primo capite Plebanus aiebat, culpae Familiae N. esse adscribendum quod decimae quantitas determinari nequiverit. Se omnia expertum fuisse media quae ad rem apta censuerat. Etenim ad decimae quantitatem constituendam, opus esse plene cognoscere qui fructus ex praediis Familiae N. decimae subiectis colligantur, et ad hoc tria media se proposuisse: vel quod Familia N. notulas redituum vineae exhiberet, vel quod libros administrationis offerret, vel quod rei peritus mediam fructuum vineae ab anno 1868 ad 1874 indicaret. Iamvero nihil huiusmodi praestitisse Familiam N.: nam quae praestitit ita esse manca atque inordinata, ut impossibile sit aliquid certi, inde eruere. Exinde factum esse, ut datis innixus quae publica vox et opinio ferebat, ipse ad Eccle-

siae iura tutanda minimam libellarum 400 pro quolibet anno summam petierit.

Secundam quaestionem pertractabat, recolens S. Concilii Congregationem plebani ius exigendi decimas admisisse, et quidem ad rationem vigesimae. Proposito namque dubio ***an et quomodo Plebano S. ius competat decimandi vinum in casu,*** **responsum fuisse in Congregatione diei 12 decembris 1872:** ***Affirmative iuxta vicesimam partem redituum.*** **Et licet ob novam audientiam a Familia N. impetratam, in generalibus comitiis diei 12 decembris 1874 decimae quantitas ad trigesimam partem cohibita fuerit, tamen hanc resolutionem nonnisi ad concordiam inter partes conciliandam locum habuisse, quia responsum fuit complementum praecedentis resolutionis diei 12 septembris 1872, qua rescriptum est** ***placere de concordia.*** **Igitur cum concordia conventio sit, planum esse concordiam ab ipso S. O. indictam, futurum tempus non praeteritum respicere posse, quia conventio futurum respicit non anteactum tempus, nisi de anteacto expresse cautum fuerit.**

Nec esse obiicendum in themate quod S. O. responsum pro vera sententia habendum sit: non enim agi de sententia elicita in iudicio stricti iuris, sed de vera amicabili concordia ideoque firmum manere decimas ab anno 1868 ad integrum 1874 ad rationem vigesimae esse adhuc solvendas.

Tertiam quaestionem absolvebat ex canone iurisprudentiae notissimo quod habet: expensas in iudicio ab eo esse reiiciendas qui victus ab arena discessit. Familiam N. omne ius Plebani ad decimas adversatam fuisse, e contra S. Congregationem ius decimandi Plebani firmum immotumque habuisse ac propterea in vado esse cladem a Familia N. in iudicio perpessam.

Neque praesidium ex eo esse captandum quod coram S. Congregatione nonnisi in casibus expressis expensarum refectio admittatur: etenim cum ad Familiae N. importunitatem, quae ipsum inficiabatur ius decimandi, tribuendum sit quod lis fuerit agitata, applicandam esse in casu regulam

Gregorii IX traditam iri Cap. I, de plus petitionibus quae habet : ***Punitur importunitas plus petitionum si super petitione sua duxerint in iudicio persistendum, ita ut qui repetunt amplius sine causa, in expensis adversario condemnentur.***

IURA FAMILIAE **N. Haec primae quaestioni respondebat circa quantitatem canonis in futurum solvendi, nullum amplius dubium oriri posse. Teste enim Episcopo A. partes in hoc tandem consensisse, ut, « confirmato canone scutor. 230 pro « parte praediorum, quam resolutio diei 12 decembris non « afficiebat, pro reliqua vineae parte in annuum canonem « libellarum centum convenerint loco praestationis in natura ». Huius quidem summae aequitatem ex ipsa hauriri Plebani confessione ad Episcopum scribentis : « Mediae decimae a « Familia N. rependendae, prouti in congressibus coram E. V. « habitis statutum est, ad annuas libellas centum evehi poterit ». Eo vel magis hanc summam aequam esse, ex facto ipsius Plebani qui sub die 28 septembris 1868 petiit cados vin[1] numero 21 pro decima in vigesima parte. Atqui ex tabulis publicae annonae erui pretium vini per decennium 1865-74 fuisse libellarum 4,15, unde pretium cadorum 21 non excederet libellas 100,80. Quod si ratione vigesimae in dicta summa, decima computanda foret, potiori ratione dicendum esse conventam summam annuarum libellarum centum plus aequo continere, postquam S. C. decrevit pro decima trigesimam esse solvendam.**

Responsum S. Congregationis non modo futurum, sed et anteactum tempus respicere haud esse ambigendum, si lata sententia suum sortiri debeat effectum a tempore introducti iudicii. Exploratissimum enim esse in iure, iudicum sententias novum rerum statum non efformare, sed qualis sit declarare ; easque retrotrahi ad diem introductionis iudicii. Ita S. Rota Romana ***in decis.*** *672* ***coram Marini, num.*** **5. -** ***Cum itaque ex hactenus animadversis luculentissime appareat usque ab anno*** *IJ26* ***Collegiatas Amandulensem et Montis Florum ad causam fuisse admissas, litemque contestasse cum Cap. Mum-***

vallium, sua sponte sequebatur, resolutionem seu sententiam quae anno 1732 lata est a S. Rituum Congregatione quoad praefatas omnes Collegiatas, ad diem petitionis ipso iuris ministerio esse retrotrahendum ad Textum in Leg. 18, ff. de rei vindicat, et Leg. 13, ff. de donat. Atqui in facto esse sententiam a S. Ordine latam, quae in rem iudicatam abivit per adiectam clausulam *et amplius,* materiam respexisse litis contestatae anno 1868. Ergo ad annum 1868 S. O. rem iudicatam esse retrotrahendam.

Quae Plebanus oggerit de concordia ab Emis Patribus proposita in Congregatione diei 14 septembris 1874, nihil ad rem facere. Siquidem inficiari neminem posse, rem in iudicium deductam fuisse quantitatem decimae rependendae: cum ipsa Familia N. anno 1868 a S. C. postulaverit « antequam pro- « xima anni currentis 1868 fructuum collectio adveniat, decer- « nere dignentur EE. VV., an et in qua quantitate decimandi « ius Plebano competat ». Hanc in trigesima constituisse Sacram Congregationem in resolutione diei 12 decembris 1874 quae veram sententiam continet. Etenim causam ad S. Ordinis iudicium iterum deferre opus fuisse, quia concordiam cum Plebano inire impossibile evaderat, et idcirco rem ad iuris tramites S. Ordinem definivisse.

Quoad tertiam quaestionem circa expensas, aiebat : frustra Plebanum asserere sententiam unice sibi favere ; etenim meritum causae unice constitisse in decimarum deminutione, quam Plebanus concedere nolebat, et Familia N. instanter petebat. Hanc se consequutam esse maxima ex parte, ita ut ad summum locus fieret expensarum compensationi. Verum coram Sacris Congregationibus locum nunquam esse refectioni expensarum. Quod attinet S. Congregationem Concilii id moneri in causa *Romana, Legati Pii super expensis diei 16 iunii 1827. Cum enim illud receptum sit in causis quae apud Sacrum hunc Ordinem agitantur, ut litis expensae a temere litigantibus refici non debeant, ut probant patula exempla in D er tonen., 6 iulii 1726.*

Quidquid tandem sit de causis remotiori tempore actis, ius quo hodie vivimus haberi in *Regula observanda in causis quae coram S. Congregatione Concilii iuris ordine servato proponuntur* edita anno 1847 die 27 septembris,[1] qua sub § 24 statutum est : « In casibus de quibus sermo est a § 12 et 22 « (quae sunt *contumacia et restitutio in integrum)* et in aliis « in quibus iuxta S. Congregationis decreta expensarum refé- « ctio locum habet (idest in causis *matrimonii, alimentorum, « attentatorum et spolii)* pars victrix Rmo Secretario notulam « exhibebit ut eam approbet, atque ad legum vigentium nor- << mam opportuno mandato muniat ». Casibus hisce exceptis, numquam, neque a temere litigantibus expensas refici.

Hisce utrinque disputatis, Emis Patribus propositum est dirimendum

Dubium.

An et quomodo sit standum vel recedendum a decisis in casu.

S. Congregatio, generalibus habitis comitiis die 28 martii 1878, respondendum censuit.

In decisis pro responsione annua libellarum centum a die motae litis, exclusa qualibet taxatione expensarum.

EX **HIS COLLIGES :**

I. Conventiones verbis tantum initas iure Ecclesiastico esse servandas.

II. Conventionem verbis initam haud esse revocandam, si curam Ordinario ad compositionem curandam delegato, ipso testante Ordinario, locum habuerit.

III. Eo fortius huiusmodi conventione teneri contrahentes, si aliunde constet quod conventum est, iustum et aequum esse.

IV. Ad diem motae litis retrotrahi Sacrae Congregationis Concilii resolutiones, quae veram sententiam continent ; veram

[1] Huiusmodi regulam per extensum dedimus in Volum. IX, pag. 558 et seqq.

autem sententiam continere, cum de re decernunt super qua lis contestata est.

V. Id locum obtinere praesertim cum resolutio per clausulam *et amplius* in rem iudicatam abiverit.

VI. Generatim in causis coram sacris Congregationibus et peculiariter coram S. Congregatione Concilii, expensarum refectioni locum non fieri, nisi in casibus in *iure expressis.*

VII. *Ius* in praesenti haberi ex *Regula* ab ipsa S. Congregatione in vulgus edita die 27 septembris 1847.

MISSAE PRO POPULO.

Die 3 martii, 21 aprilis 1877 et 24 augusti 1873.

Compendium facti. Episcopus Dioecesis *S.* exhibens relationem suae Dioecesis exposuit quae sequuntur.

« Parochus residentialis Civitatis S. habetur vicesgerens Episcopi in officio parochiali. Nominatur et eligitur ab Episcopo absque concursu et est semper unus ex capitularibus, canonicali tantum beneficio provisus. Nulla adest praebenda nec habitatio parochialis, et redditus stolares sunt ita tenues, ut vix exaequent expensas muneri parochiali adnexas pro loco officii, libris et officiosa communicatione. Hac de causa Episcopus antecessor Parocho urbano declaravit, eum ad applicationem Missae non teneri, et reapse ille non applicat ». His relatis duo, quae in calce referuntur, enodanda proposuit dubia.

Qua de re a S. Congr. rescriptum fuit: « *Episcopo qui transmittat praedecessoris declarationem, quoad Parochi urbani exemptionem ab onere applicandi Missam pro populo ; ac referret, an idem Parochus seu Vicarius sit perpetuus vel ad nutum amovibilis, et quaenam fuerit praecedens observantia* ». Et iterum « An Episcopus pro tempore vere proprieque sit, et

habeatur unicus civitatis Parochus ». Respondit Episcopus: « declarationem Praedecessoris mei, quoad Parochi urbani exemptionem ab onere applicandi Missam pro populo, fuisse tantum vocalem, actuali Canonico Parocho civitatis modo prorsus privato factam, ideoque ad istam S. Congr. exemplar eiusmodi transmitti non posse. Idem autem non est Parochus proprie talis, neque Vicarius perpetuus, sed tantummodo temporalis et ad nutum amovibilis. Praecedens autem observantia fuit, ut Parochus urbanus numquam ad applicandam Missam pro populo duceretur obligatus. Episcopum pro tempore non esse, nec haberi debere vere proprieque unicum Civitatis Parochum, quum omnis cura actualis, omneque iurium, muniorum et officiorum parochialium exercitium, quoad administrationem sacramentorum et caeteras functiones, nec non custodiam et descriptionem librorum parochialium, et documentorum ex iis excerptorum, penes Parochum supradictum resideat ; ita ut ex. gr. ad validitatem matrimonii potestas civilis requirat assistentiam Parochi et non sufficiat assistentia solius Episcopi ».

Disceptatio synoptica.

EA QUAE VICARIO AMOVIBILI ADVERSANTUR. **Tridentina Synodus innixa sacris testibus tum veteris Testamenti** ***Levitic, cap. IX, vv.*** *6* ***et /,*** **tum novi Testamenti** ***Ioan., cap.*** *21,* ***vv.*** *15, 16,* ***i y, et Actor., cap.*** *20y* ***v.*** *28* **innuit, onus animarum pastoribus incumbens, applicandi Missam pro populo, ex divino praecepto descendere. Et** ***Sess.*** *23,* ***cap. i, De ref. habet: « Cum praecepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas dignoscere, pro his sacrificium offerre ...*** **». In iure vero nomine Pastorum, qui tenentur ad applicationem Missae diebus festis, veniunt parochi qui actu curam exercent: sive perpetui sint sive temporanei et ad nutum amovibiles, sive habeant congruam sive non. Nam Parochus has applicare tenetur Missas non ob**

congruam, sed ratione officii. Quod vero animarum curatores actu curam exercentes, etsi amovibiles, teneantur Missam pro populo applicare, triplici probatione evincitur: nempe ex Tridentino, ex Constitutionibus Sedis Apostolicae, et ex resolutionibus S. C. Concilii. Verba Tridentini supra relata generalia, clara apertaque sunt. Quoad vero Constitutiones Apostolicae Sedis, audiendus est Benedictus XIV qui in *Constit. Cum semper oblatas,* § 4 haec habet: « Quum enim sacrum Tri-
« dentinum Concilium, ne animarum cura negligatur, non uno
« in loco Episcopis mandet, ut quotiescumque opus fuerit,
« idoneos Vicarios cum certorum fructuum assignatione ad
« eamdem curam exercendam eligant ac deputent, uti videre
« est in *Sess.* 5, *cap. 2, de ref., Sess. 7, cap.* 5 *et y, Sess. 21* ,
« *cap. 6* non raro autem eveniat, ut aliqua ecclesia parochiali
< vacante, Vicarius pariter ad implenda huiusmodi Ecclesiae
« onera usque ad novi Rectoris electionem ab Episcopo depu-
« tari debeat, eodem Concilio Tridentino id iubente *Sess. 24,*
< *cap. 18, de ref. ;* nonnulli ex huiusmodi Vicariis nituntur
« seipsos a praedicta obligatione subtrahere, vel ex eo quod
« habituali cura penes alium seu alios residente, ipsi actualem
« dumtaxat exerceant, vel quod ipsi sint ad nutum amovì-
< biles, vel ad breve tempus huiusmodi curae sint addicti ...
« Itaque mens nostra et sententia est, sicuti etiam pluries a
« praelaudatis Congregationibus iudicatum fuit atque defini-
re tum, quod *omnes et singuli qui actu animarum curam exer-
« cent* et non solum parochi aut Vicarii saeculares, verum
« etiam parochi aut Vicarii regulares, uno de verbo omnes
« et singuli de quibus supra dictum est, *atque alii quicumque
« etiam speciñea et individua mentione digni* aeque teneantur
« Missam parochialem applicare pro populo, ut praefertur,
« ipsorum curae commisso; § 5. Nonnulli vero ad evitandum
« huiusmodi obligationis implementum, allegare solent, con-
« gruos sibi parochiae suae reditus non suppetere; alii vero
« ad inveteratam consuetudinem confugiunt, sustinentes id
« neque sibi neque decessoribus suis per longum tempus,

« quod immemorabile affirmant unquam in usu fuisse. Nos «. autem ad praecedentes praedictae Congregationis Concilii « resolutiones nostram approbationem et confirmationem extende dimus, et, quatenus opus sit, auctoritate Apostolica, iterum « tenore praesentium decernimus et declaramus quod licet « Parochi seu alii, ut supra animarum curam habentes, con« gruis praefinitis reditibus destituantur, et quamvis antiqua « seu etiam immemorabili consuetudine in ipsorum dioecesibus « seu parochiis obtinuerit, eadem nihilominus omnino in poste« rum ab ipsis debeat applicari ».

Concinit Constitutio *Amantissimi* nuperrima Pii Papae IX. Multae afferri possent resolutiones S. C. Concilii idem confirmantes. Idque eo magis, quia Parochus in casu iam canonicali Praebenda est satis provisus, suisque gaudet incertis stolaribus. Pro nihilo autem habenda est declaratio Ordinarii antecessoris, quoad exemptionem ; nam vocalis est et modo prorsus privato facta et a Parocho tantum asserta. Quod documentum authenticum haud est, quia est assertio unius peracta, in causa et favore proprio. Neque Episcopus ab onere Missae eximere poterat eumdem Parochum, qui etsi Vicarius amovibilis et ad nutum sit ille, tamen vere ac proprie actualis est Parochus ; ceu Episcopus apertis verbis declarat. « Episcopum pro tempore non esse, nec haberi debere « vere proprieque unicum civitatis Parochum, quum omnis « cura actualis, omneque iurium, muniorum et officialium « parochialium exercitium, quoad administrationem sacramen« torum et caeteras functiones, nec non custodiam et descri« ptionem librorum parochialium et documentorum ex iis « excerptorum penes Parochum supradictum resideat, ita ut « ex. gr. ad validitatem matrimonii potestas civilis requirat « assistentiam Parochi, et non sufficiat assistentia solius Epi« scopi ».

EA QUAE VICARIO AMOVIBILI FAVENT. Consuetudo tamen haud leve praebere videtur argumentum favore Vicarii amovibilis. Consuetudo contra ius, ut sustineri possit, debet esse

rationabilis et legitime praescripta. Sane consuetudo contra ius in fieri considerata, etsi per se irrationabilis esse videatur, quia contra ius constitutum procedit, quod rationabile semper praesumitur, tamen in facto seu in suo esse formali iam constituta, uti rationabilis habetur, et vim legis habet et ius ipsum scriptum abrogat vel eidem derogat. Legitime vero praescripta dicitur consuetudo, si saltem per decennium de facto absque interruptione perduraverit, ceu in themate evenisse testatur Episcopus aiens : « Praecedens vero observantia fuit ut Parochus urbanus numquam ad applicandam Missam pro populo duceretur obligatus».

Sacra C. Concilii haec uti vera saepe habuit confirmavitque pluribus in casibus. Sane *in Camerinen. Missae pro populo, 16 decembris 1820* haec leguntur: « In oppido S. Ana-
« toliae Camerinensis dioecesis, extabat Collegiata S. Mar-
« tini, cuius bona ab Italico regimine usurpata fuere. Quatuor
« ex illius canonicis, qui primae erectionis dicebantur, curam
« habitualem habebant; *actualis* vero cura exercebatur a Vi-
« cario per Capitulum electo et ab Ordinario approbato, eique
« solvebatur stipendium scutatorum sexaginta a Canonicis
« Curatis; *qui per turnum pro populo in diebus festis celebrabant,*
« prout etiam alia Missarum legata bonis capitularis massae
« infixa adimplebant. Sequuta bonorum Capituli occupatione,
« Demanii nomine anno 1812, assignata est singulis Cano-
« nicis pensio scutatorum nonaginta, qui prius ex propriis
« praebendis annua circiter 11o percipiebant. Vicario vero
« Curato idem stipendium scutatorum sexaginta annuatim
« solutum est. Putarunt tunc Canonici liberam sibi addicere
« pensionem, quin amplius tenerentur in posterum legata Mis-
« sarum satisfacere, et Missam pro populo celebrare. Ita etiam
« Vicarius Curatus, qui eamdem, ut in antecessum stipendii
« quantitatem percipiebat, a celebratione Missae pro populo
« sese abstinuit, ita ut quingentum circiter Sacrificia inadim-
< pleta remaneant ». Proposito primo dubio : « *An, et ad quem*
« spectet onus celebrationis Missae pro populo in casu ». Respon-

sum fuit: « *affirmative, ad quatuor Canonicos primae erectionis « ad formam consuetudinis* ».[1]

In casu de quo agitur nulla adest praebenda, nec habitatio parochialis, et reditus stolares tenuissimi sunt.

Praeterea plane liquere videtur, declarationem Ordinarii Antecessoris, etsi verbalem, admitti tamen ab actuali Ordinario. Quod autem civilis auctoritas requirat assistentiam proprii Parochi ad matrimonii validitatem, nil Parocho nocet; quia incompetentia civilis potestatis in diiudicandis huiusmodi quaestionibus neminem latet. Dum alia ex parte clare innotescat omnibus Episcopum, in sua Dioecesi iure Divino esse primum et praecipuum omnium sacramentorum ordinarium administrum. Quamobrem non Vicario amovibili ad nutum in casu, sed Episcopo utpote Parocho, onus inesse videtur Missam pro populo applicandi.

Quoad secundum dubium videtur quod Episcopus unico Missae sacrificio possit duplici oneri satisfacere ; etenim pas-

[1] Resolutio presentís quaestionis citatae resolutioni in *Camerinen. Missae pro populo* contraria videtur. Etenim in Camerinen. Vicarius Curatus eximitur a celebratione missae ex observantia, quae sine contradictione admittitur; Parochus vero in themate oneratur Missa pro populo, quin excusetur a consuetudine contraria vel a defectu parochialis beneficii. At prospice, sodes, differentiam inter unum et alium casum. In Camerinen. cura habitualis penes Capitulum erat, cura actualis a Vicario Parocho exercebatur. In themate apud capitulum nulla cura habitualis est, sed prostat tantum vicarius Episcopi, seu actualis Parochus. In Camerinen. Missam applicant curam habitualem habentes, in casu nostro, nisi Parochus applicet, populus Missa caret. Devium a iure siquidem est ut Parochi ex contraria consuetudine ab applicatione Missae pro populo omnino liberentur; sed pluries S. C. Concilii arbitrata est Tridentinis Patribus et Benedicto XIV eam non fuisse mentem, ut ea abrogaretur consuetudo, qua curam habitualem habentes Missam pro populo, loco parochi, aut semper aut cum eodem alternis vicibus celebrarent. Etenim dum sacri canones praescribunt onus applicandi Missam pro populo, eo potissimum spedasse videntur, ut populus spirituali huiusmodi auxilio numquam privaretur, non autem ut Parochi Missam pro populo ita per se celebrare obstringerentur, ut onus illud ne ex diuturna quidem consuetudine in Vicarios aut alios beneficiarios refundere possent. Et ideo dum in Camerinen. consuetudo servatur spiritus SS. Canonum manet intactus; si consuetudo in themate servata fuisset, SS. Canones frustrarentur, quoniam Missam pro populo nullus litaret.

sim contingere videmus unico actu duplex impleri praeceptum. Sicut qui obligatur ad recitandas horas canonicas ratione ordinis sacri, simulque beneficii ecclesiastici unica satisfecit recitatione. Idem dic de ieiunio ex voto die veneris; si tali die occurrant quatuor anni tempora, et vigilia alicuius sancti, unico ieiunio satisfit tribus obligationibus, scilicet voto et diebus Ecclesiae praeceptis.

Ex altera parte tamen videretur Episcopus haud satisfacere, unico sacrificio, duplici onere; capto exemplo a Parocho qui eodem tempore esset etiam canonicus. Exploratum est enim unico sacrificio Missae conventualis, qua teneretur uti Canonicus haud satisfacere obligationi applicandi Missam pro populo, ad quam obstringitur uti Parochus[1] **ex iustitia.**

Notatu etiam dignissimae sunt declarationes nuperrime editae a S. C. de Propaganda Fide.[2] **Huic S. Congregationi inter alia proponebatur dubium, quod est octavum. An Episcopus Dumorensis, qui Parochi officium exercet, dum missam pro suis Dioecesanis applicat, suae satisfaciat obligationi, quae sibi uti parocho inhaeret. Emi Patres responderunt:** ***Ad 8 iuxta exposita negative, et ad mentem; mens est quod si Episcopus nullum habet in civitate Neurry Vicarium, qui eam parochiam administret, teneatur eum ibi constituere, ac per etim ipsum***

[1] Pro casu hoc nil officiunt exempla, quibus supra demonstratum est unico actu duplex impleri posse praeceptum ; nam illa exempla intelligenda sunt extra materiam iustitiae. Ast Canonicus ex iustitia tenetur ad Missam conventualem, ceu ex iustitia Parochus obstringitur ad applicandam Missam pro populo. Si enim plures sint obligationes iustitiae, eisdem satisfieri nequit unicu actu, quia in materia iustitiae commutativae seu in debitis iustitiae, attenditur aequalitas rei ad rem. Sic si Petrus deberet Paulo centum aureos ex contractu, et alios centum ex damnificatione iniusta, haud satisfaceret duplici obligationi dando semel centum, sed dare teneretur biscentum. Secus autem est in materia legali, seu in debitis legalibus; quia ibi attenditur mens et intentio legislatoris, quae saepius ferri potest in unum idemque opus. Ex benignitate autem praesumitur quod legislator permiserit et contentus fuerit ut unico actu fieret satis pluribus simul obligationibus.

[2] Eiusmodi declarationes relatas reperies Vol. I, pag. 389 harum ephem.

debet etiam satisfacere obligationi Missae pro populo animadverso tamen quod ad normam § 4, Constit. Bened* XIV, *Cum semper oblatas, in praefinienda congrua ad illiusmodi onus habeat respectum.

Hisce praeiactis, enodanda proposita fuere

Dubia.

I. ***An Episcopus vel Parochus teneatur ad applicandam Missam pro populo in casu.***

Et quatenus affirmative quoad Episcopum :

II. ***An ipse unico sacrificio duplici obligationi satisfaciat in casu.***

RESOLUTIO. **Sacra C. Concilii, re discussa, sub die 24 augusti 1877 respondere censuit:**

Ad I. ***Negative ad primam partem, affirmative ad secundam et ad mentem.***

Ad II. ***Provisum in primo.***

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. **Pastoribus cunctis, quibus animarum cura commissa est. onus incumbere, ex divino praecepto, oves cognoscendi proprias, easdem pascendi praedicatione verbi divini, et sacramentorum administratione, proque eisdem Missae sacrificium offerendi.**

II. **Nomine pastorum, qui ad Missae applicationem pro populo obligantur, omnes venire parochos, qui actu curam animarum exercent: sint illi perpetui aut temporanei et ad nutum amovibiles, sive saeculares, sive regulares.**

III. **Et neminem animarum curam habentem, ab onere applicandi Missam eximi, quamvis contraria atque immemorabili fulciatur consuetudine, aut congruis et praestitutis destituatur reditibus : eoquod Parochi non ratione congruae, sed ratione officii hoc gravantur onere.**

IV. Ex iure divino integrum officium pascendi gregem et pro eodem litandi Missam, in Episcopis residere ; ex iure ecclesiastico autem huius officii partem parochis committi; ex qua commissione sequitur quod parochus fiat proprius concrediti gregis pastor, statimque obligatione teneatur pro populo sibi commisso sacrum litandi.

V. Parochum in themate haud eximi ab applicatione Missae pro populo; tum quia vere et proprie actualis est Parochus, Cui Episcopus gregis partem concredidit ut eam rite pasceret, tum quia ab onere eiusmodi per Ordinarium dispensari nequiverit.

MATRIMONII.

Die 10 iunii 1876, 15 iunii et 24 augusti 1878.

Compendium facti. Praemissis de more denunciationibus, anno 1842, die vero 29 decembris matrimonium, nocturno tempore, celebratum fuit inter Conceptum G. et Vincentiam N. Quae, elapsis viginti duobus .annis, a celebratione matrimonii, Curiae Episcopali enarravit: se ab ineunte pubertate quemdam deperire coepisse iuvenem, cuique nubere firmissime constituisse. Attamen ob erferatos patris sui mores, ob atrocia verbera, quibus fere ad mortem saepenumero caederetur ; ob furores, quibus non una vice percitus, armata manu ipsam et amasium interficere minitabatur, nisi nuptias cum Concepto iniret, demum ob matris amicorumque deprecationes, tandem aliquando se invisis nuptiis assertiri simulavisse.

Neque minas huiusmodi defuisse, ait, nocte qua ad Ecclesiam ipsa delata fuit; quum enim pater adhuc haerentem prospiceret, ante aram minari haud cessavit, pugionem ostendens. Quinimo certior factus Pater quod filia, post matrimonii celebrationem voluntati viri haud obsecundare vellet, domum illius petiit et verberibus eam aggrediens, cubitum ire com-

pulit et, viri violentus minime exclusis, rem uxoriam praestare debuit ; ex quo gravis utero facta est, puellamque peperit.

Enarravit insuper iurgia et dissidia continuo inter eos adfuisse, donec sexto vix elapso mense odium in eum et amorem erga alium manifeste aperiens, a marito aufugit. Hac de re, oblato libello, postulavit huiusmodi matrimonium, utpote vi ac metu initum, nullum atque irritum declarari.

Exhibito hoc libello die io novembris anni 1864, variis de causis, iudicium huius quaestionis pluries dilatum fuit usque ad diem 18 decembris 1869; quo die Curia Episcopalis, formiter causa discussa, sententiam tulit, qua matrimonium in themate nullum atque irritum declaratum fuit. Curia Archiepiscopalis appellatam sententiam confirmavit.

Quum defensor vinculi matrimonialis Curiae Archiepiscopalis, aegre tulisset hanc sententiae confirmationem, ideo eam appellavit ad S. Sedem.

Causa haec ob coniugum paupertatem, ex gratia, oeconomice tractata est, praehabitis tamen Theologi et Canonistae votis, nec non animadversionibus defensoris matrimonii ex officio: quorum compendium tradimus. [1]

VOTUM THEOLOGI. **Advertit Theologus doctores omnes et sacra Tribunalia pro certo habere, matrimonium gravi metu celebratum, cadente in virum constantem a causa libera, in ordine ad illud extorquendum, iniuste incusso, esse nullum et invalidum. S. Bonav.** *quaest, i n. i, D. Tkom. 4 dist. 29*

' Praenotandum est Theologum, Canonistam, et officiosum Defensorem graviter incusare Curiam Episcopalem, quod insectando ineptias et nugas, quinque absumpserint annos (dum mulier in concubinatu insordesceret), sed substantialia iudicii, et quae ad veritatem dignoscendam erant prae omnibus necessaria, penitus neglexerint. Sic ex. gr. ipsi coniuges inquisitioni haud subacti sunt; nec parentes querelantis, qui vis et metus denunciabantur auctores, acciti ; nec *septimae manus* testes rogati, nec consanguinei auditi, qui nuptiis astiterant, neque Defensoris vinculi rationes, ut ipse retulit, satis auditae fuerunt ante sententiae pronunciationem a Curia Episcopali. Quapropter videtur Vicarius Capitularis testimonio quorumdam testium, non raro sibi invicem contradicentium, innixus, sententiam protulisse. Hinc opus fuit actorum sanatione ex parte R. Pontificis, ut tuto procedi posset ad veritatem inquirendam.

quaest, unica art. 3 et 4. **Nam si naturae leges iubent ut liberae sint actiones, ut obligatio firma sit, qua adstringimur ad aliquid dandum vel faciendum, quanto magis hac libertate opus erit ad nuptias contrahendas, quae perpetuam vitae societatem atque individuam corporum consuetudinem continent?**

Attamen ut nullum declaretur matrimonium, vis et metus tales esse debent ut constantem virum et foeminam percellere possint. Itaque omnis nostra inquisitio, ait Theologus, respiciet an in facto vis et metus illata probentur, atque illius sint generis, ad consensum extorquendum, ut mulier invita impulsa fuerit ad nuptias contrahendas. Idque ut facilius deprehenderet Theologus revocare ad examén, opus esse putavit, circumstantias et actus matrimonium praecedentes, concomitantes et subsequentes.

Quoad circumstantias antecedentes se reperiisse, ait Theologus, testes satis probare verbera, minas atroces quibus pater usus est ad vim metumque inferendum filiae, ut eius extorqueret consensum, ad sibi invisum connubium ineundum; quae omnia matrimonium prorsus irritant nullumque reddunt, tum ex iure civili, tum ex iure pontificio. Edixit enim Praetor in */. i ff. « quod metus causa gestum erit, ratum non habebo ».* **Colligitur quoque ex** *cap. Ex litteris de Spons. Impub. « Ubi sponsalia dicuntur irrita, quando filia nolens, et invita minis parentum impulsa est ».* **Multis aliis omissis, perbelle ad rem ait Sperell.** *decis. 73 n. 67:* **« Sed magis est in casu nostro, « etiam verbera, quae quidem non erant ad probandum metum « necessaria, cum absque illis sufficiant minae una cum metu « reverentiali non modo in foemina meticulosa, vel in puero, « ut omnes fatentur, sed etiam in masculo adulto ». Sánchez** *lib. 4, disp. 6, n. 8.* **Guttierez,** *de matrim., cap. 44, n. 40.*

Testes omnes, etsi in aliquo non convenientes, uniformiter testari de armis ac verberibus. Ast in casu nostro verbera et minae fiebant a patre, qui eas effectuare poterat in filia, sicut de facto saepe in puellam intulit, et iusto metu eamdem perterruit. Rota, *dec. 38, n. 3 et seqq., part. 16, recent.* **« Per**

« metum cadentem in personam constantem, qualis est timor « libertatis... quinimo absque alia probatione, sola suspicio in « animo apprehensa, quod illa pater exequi potuerit habetur « pro iusto metu, et prae caeteris advertunt Sánchez... Mul- « tum enim ad effectum, de quo agitur inspicienda est qua- « litas personae inferentis metum... ».

Possunt quidem parentes impedire aut suadere matrimonium mediis suavibus, nullo autem pacto id facere possunt vim inferendo vel metum ; quia matrimonium est quaedam servitus perpetua, unde cum homo sit liberae conditionis, nequit a parente ad hanc servitutem compelli; neque divus Thomas admittit in patre potestatem obligandi filiam ad contrahendum matrimonium cum tali determinata persona.

Matrimonium eiusmodi nullum esse renunciandum etiam protestationes suadent incessanter emissae ante matrimonium a muliere, quia, ceu tradit Mascard, ***de probat., conci.*** *1054,* ***n.*** *1 1 ,* ***lib.*** *2* **« qui protestationem adhibet, ille enim saltem « declarat a contractu consensum abesse ».**

Maxima aversio, qua mulier afficiebatur erga Conceptum, magnum est argumentum coactae voluntatis.

Loquens autem Theologus de coniecturis matrimonium concomitantibus, ait constare ex depositione testium, metum perdurasse usque ad altare, quamvis ex iure necessarium non sit, ut minae praecise inferantur tempore contracti matrimonii. Sufficit enim illas ante fuisse illatas, quia praesumitur durare metus ille, qui antea fuit incussus, ut habet Rota ***coram Ludovis. dec.*** *326* ***n.*** *30:* ***« Nec refert, quod non sint factae in actu contrahendi matrimonium, sed antea ». Et cor. Coccin, dec.*** *227,* ***n.*** *5:* ***« Cum enim esset iam semel metus illatus adhuc durare praesumebatur ».***

Ergo constare satis videtur Vincentiam matrimonium inivisse per istum metum ; quo nihil voluntati magis contrarium deprehenditur ***ex leg. nihil consensus ff. de reg. iur. c. super hoc et ibi Abbas, de renunciat.***

Ad actus matrimonium subsequentes gradum faciens, ait

Theologus, istos magnopere comprobare mulieris metum, quia, inito matrimonio, nunquam sponte, sed per vim nuptialem thalamum ingressa est, ibique violenter retenta fuerit. Unde cum omnes isti actus per testes comprobati, tum animum contrarium mulieris, tum timorem per patrem ipsius incussum demostrarent, concludendum videtur matrimonium in casu cum metu contractum fuisse. Neque obiici posse matrimonium ex metu nullum revalidátum fuisse per cohabitationem et condormitionem per aliquod temporis spatium; nam S. C. Concilii declaravit necesse esse, post Tridentinum Concilium, matrimonium de integro contrahi coram parocho et testibus. Id rescriptum fuit in Compostellana *2* ***et*** *16* ***decembris*** *1634;* ***ut in lib.*** *13* ***decr. pag.*** *130* ***et*** *140* ***et*** *13* ***septembris*** *162c* **« Sacra « Congr. censuit matrimonium contractum a filia per metum « a matre illatum esse invalidum, etiamsi mulier metum passa, « per plures annos post mortem matris permanserit cum marito « et filios procreaverit ».**[1] **Et S. Rota** ***dec.*** *403,* ***n.*** *13,* ***part.*** *18*

[1] Vide Appendicem I, in Vol. Il, pag. 52 et seqq. in qua distinguitur impedimentum occultum a publico pro revalidando matrimonio. Quod si nullitas a metu proveniens sit occulta, et matrimonium celebratum fuerit iuxta solemnitates a Tridentino praescriptas, potest deinde, purgato metu, iteratoque coniugum consensu convalescere; nec oportet illud denuo contrahi cum eisdem solemnitatibus, ceu definitum fuisse a S. C. Concilii testatur Fagnanus *in cap. Is qui fidem n. 14 de Sponsal.* Et Sánchez ad rem *lib. 2, disp. 37 :* « Tandem dicendum est matrimoniuni illud, quod propter impedimentum occultum nullum fuit, posse revalidan copula affectu maritali inter coniuges habita, sicut revalidatur novo consensu occulto. Probatur quia Tridentinum *Sess. 24, cap. 1,* minime comprehendit hunc casum; et ita tamquam casus omissus relinquitur dispositioni iuris communis ; ergo cum secundum ius commune tale matrimonium convalesceret copula maritali per *cap. si is qui fidem de sponsal.* hinc idem erit, attento Tridentini decreto ». Et Gonzalez *comment ad tit. de sponsalib. et matrim, in cap. 21 n, 5* eamdem faciens distinctionem, explicat qua de causa in matrimonio nullo propter occultum impedimentum, non est opus, ad idem 'revalidan, dum, Concilii Tridentini solemnitate. « Quum ratio propter quam decrevit Concilium, matrimonium non valere nisi contractum coram parocho et testibus sit, ut vitentur gravia peccata ex clandestinis nuptiis provenientia; quae ratio cessat in praesenti casu, nam prius matrimonium nulliter contractum, in foro Ecclesiae validum reputatur; inde est ut non desideretur iterum eadem solemnitas, cum ratificatur matrimonium ex defectu consensus, vel simili impedimento nullum ».

tom. 2 recent. **« In muliere autem purgatio metus excluditur, si « illa semper conquesta est de vi sibi illata ad contrahendum «matrimonium, et a viro tandem ob hanc causam aufugit».**

VOTUM CANONISTAE. **Miratur Canonista cur, post duplicem sententiam Curiarum nempe Episcopalis et Archiepiscopalis causa haec ad S. Sedem in tertia instantia delata fuerit; cum plurium testimoniis probetur, mulierem illam gravi adactam metu, ac specie tenus in eas nuptias consensisse. Et quamvis testimonia, in quibusdam, inter se differant, id tamen evenire putat in rebus parvi momenti, ita ut veritas exurgat et deprehendi possit.**

DEFENSORIS VINCULI ANIMADVERSIONES. **Cum ex actis processualibus, ait ille, exulet nedum forma Constitutionis Benedictinae, sed quaelibet forma iudicialis a iure praescripta, ut rerum veritas inter partium conflictus elucescat ; mirum non est quod a duabus Curiis matrimonium declaratum fuerit nullum. Ast si paulisper ea quae in actis sunt prospiciantur, facile est deprehendere validum fuisse matrimonium, quia defuit vera coactio ut variis ex testimoniis innuitur. Cum insuper in actis substantialia deficiant, quae luculentius matrimonii validitatem proclamarent, impossibile est, ut sententiae Matrimonii huius nullitatem proclamantes, validae censeri possint. Ast posito etiam quod quaedam coactio ex testimoniis emerserit, probandum manet quod vis et metus incussus fuerit talis, ut re et facto libertatem penitus in actu matrimonii abstulerit. Sed si factorum historia intimius inspiciatur, et accuratius cum exploratis iuris principiis comparetur rerum veritas ex hisce factis emergens, manifestum apparebit metum illatum eiusmodi naturae haud fuisse, ut liberum consensum praefocaverit in celebratione nuptiarum. Quia in iure certum est quod ad constituendum impedimentum dirimens matrimonii, ex capite vis et metus, oportet omnino, ut metus ipse eiusmodi naturae et potentiae sit, quod virum constantem conturbare valeat, eidemque adimat libertatem consensus. Non enim quaelibet metus incussio libertatem adimit, dum actus consensus eiicitur,**

sed illa tantummodo, quae in eodem actu eliciendo conturbat animum ; ita ut sub eiusdem metus pressione amittatur constantia, et omne consilium abiiciatur, ut Cuiacius ait ***commentar, ad tit. quod met. caus. ff. princ.*** **— ibi — «** ***Metus verbo significatur pavor, terror, exanimatio, conturbatio, perculsio, consternatio, mentis trepidatio, ex quibus affectibus deiicimus et dimittimus animum. Unde merito Iulius Scaliger deduxit, quod ex eo amittatur constantia, et omne consilium abiiciatur*** **•». Quoniam vero ambulatoria est voluntas hominis ita, ut quod antea reiecit, libera posthac electione amplectatur, ideo etsi quaedam coactio matrimonium praecesserit, nisi certis probationibus evincatur, violentiam usque perdurasse atque metum ex ea conceptum in ipso connubii actu contrahentem occupasse, nullatenus antecedens illa coactio matrimonium invalidat; ad rem atque in terminis Rota Romana** ***decis.*** *600,* ***n.*** *2,* ***part.*** *4* ***recent.*** **Metus enim haud est habitualis quidam animi status, aut impressio, quae semel incussa veluti in machina eidem semper anima inhaeret. Igitur necesse est demonstrare quod non remote, non incerto tempore causa praecesserit, sed proxime, sed constanter sub eiusdem incubo patientis animum detinuerit; quod in themate non constat.**

Alia praeterea conditio intercedere debet in coactione, ad hoc ut metus in virum constantem cadere diiudicetur. Oportet enim ut qui metum incutit potens sit minas executioni mandare, imo etiam easdem exequi sit solitus ; qui autem coactionem patitur ad evadendas minas sit penitus impar; Sánchez ***lib.*** *4* ***disp.*** *2,* ***n. ig.*** **Si tamen in dissidiis inter patrem et filiam quis prospiciat, facile deprehendet pertinaciam mulieris potentiorem fuisse vaporosa saevitate genitoris ; ita ut dum ipsa vere noluit, mordicus restitit, et quando cessit voluntati paternae, ideo cessit, ideo se nuptui tradidit, quia ipsa voluit ; neque impar erat resistendo coactionibus genitoris, neque hic solitus erat clamorosas minas ad actum deducere.**

Deperibat mulier iuvenem vagabundum et inopem ; genitor renuebat coniicere in miserias incautam filiam; hinc dissidia,

hinc iurgia. Praevaluit ne Pater? vel an obtinuit ne iuvenis ille familiam frequentarci? Nil minus. Quapropter si ex monitu Sánchez ad rectam aestimationem metus « *perpendenda est potentia metum incutientis, illumque passi* **» patet quod non recte conciliabitur metus Vincentiae cum ipsius pervicacia. Insuper si explorandum etiam sit an -** *metum incutiens minas exeqtii solitus sit, secus si homo sit facile minas lactans, faciliusque ira deposita nihil, aut parum exequutioni mandans* **— quivis prospiciet filiae pervicaci nil aliud fuisse extimescendum a genitoris clamoribus, quam paternam fustigationem, quae ut plurimum in plebeis familiis est panis quotidianus.**

Ex diuturna autem cohabitatione coniugum et ex copula maritali, per quam filia nata est, eruit vinculi defensor argumentum ad innuendum convalidatum fuisse matrimonium utcumque vi metuque contractum. Idque verificari de iure communi etiam post Tridentinum, sub quibusdam conditionibus.

Conditiones requisitae sunt, ut ratificans matrimonium sciat illud fuisse nullum ; si enim ex errore, quo putabat prius matrimonium validum fuisse, cohabitet, aut copulae maritali accedat, numquam prius matrimonium ratificabitur. Alia conditio est, ut habitatio sit diutina; arbitrio autem prudentis definiendum est hoc tempus; qui prudens considerabit fugiendi opportunitatem, habitationisque moram.

Attamen irritum matrimonium (post Tridentinam sanctionem de praesentia Parochi et testium) ratificatur his comitatum adiunctis; si nempe impedimentum metus fuerit occultum, et Parocho et testibus ignotum. Quapropter, prosequutus est vinculi defensor, in absurda hypothesi invaliditatis nuptiarum Vincentiae cum Concepto, censendum easdem plene convalidatas fuisse. Quia mulier cum viro spontanee copulam habuit, qua coniugium ratificavit ; quia nullitas matrimonii fuerit eidem mulieri cognita, ita ut ex plena cognitione causae cum viro coiverit ; denique quia praesumpta matrimonii nullitas ita fuerit occulta parocho et testibus, ut nullatenus renovari debuisset consensus coram eisdem parocho et testibus ; quia

in publica opinione tamquam validum atque legitimum habebatur.

Hisce aliisque in medium deductis, sequens dirimendum propositum fuit

Dubium.

An sententia Curiae N. et S. *confirmanda vel infirmanda sit in casu.*

RESOLUTIO. **Sacra Concilii Congr. causa discussa sub die io iunii 1876, censuit respondere:**

Supplicandum SSmum pro sanatione actorum processus et quamprimum compleantur acta, iuxta instructionem.[1]

Concessa a SSmo Patre actorum sanatione, et impletis mandatis, iterum percontati fuerunt Canonista et Theologus qui contra matrimonii validitatem antea emisso opinamento adhaeserunt. Hinc sub eadem dubitandi formula nempe

An sententia Curia N. *et* S. *confirmanda vel infirmanda sit in casu* **reproposita fuit eiusmodi quaestio.**

Cui dubio eadem s. Congregatio sub die 15 iunii 1878 respondit :

Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Sub die vero 24 augusti 1878, iterum quaestio haec proposita fuit cum dubio :

An sit standum vel recedendum a decisis in casu.

Cui dubium responsum fuit:

In decisis.

Ex QUIBUS COLLIGES :

I. Ipso iure nullum esse matrimonium vi et metu initum ; quia si ex sese irritum non esset, amplius a iudice rescindi nequiret, utpote quod ex divino iure, perpetuum inducat vinculum.

[1] Pro examine nimirum utriusque coniugis, nec non septimae utrinque manus testium, per interrogationes a matrimonii vindice exhibendas.

II. Non omnem tamen metum sufficere **ad dirimendum matrimonium: sed talem esse debere, qui cadat in virum constantem, et per quem consensus, ab actu contrahendi omnino remotus probetur.**[1]

III. Matrimonium nullum ex impedimento vis et metus occulto, iuxta Tridentinas solemnitates contractum, revalidan posse, purgato metu, iteratoque coniugum consensu, quin oporteat illud denuo contrahi cum eisdem solemnitatibus.

IV. Huius facti rationem in hoc positam esse, quod matrimonium nullum ex occulto impedimento, habeatur ut validum in foro Ecclesiae ; proinde non requiritur, ad idem convalidandum, Parochi et testium praesentia; quae a Tridentino praescripta fuit ea solum de causa, ut gravia vitarentur peccata e clandestinis nuptiis promanantia.

V. Matrimonium in themate haud fuisse nullum ex **occulto vis et metus impedimento, sed** ex **publico; ideoque convalescere nequivisse, neque ex dîutina cohabitatione, aut ex copula maritali affectu habita, sed opus fuisse ut iterum Parochus et testes adessent.**[2]

VI. Vim et metum naturae legibus opponi; quae volunt unumquemque libere agere, ut obligatio firma enascatur ; divusque Thomas ipsis parentibus potestatem adimit, obligandi filiam ad nubendum alicui determinatae personae.

[1] Sánchez, *de matrim., I. 4, diss. 3, n. 4 scribit:* « Dum dicitur metus cadens in virum constantem, intelligitur nomine viri animi robur pro cui usque conditione ». Etenim natura vis seu causa metus, potest esse formidabilis *absolute* seu *relative.* Ideoque metus probatur vel ostendendo naturam coactionis gravem esse, vel graves produxisse effectus, iuxta diversam personarum conditionem».

[2] Enixis viribus matrimonii vindex demonstrare conatus est notorietatem huius impedimenti, si ipsa existeret, talem non fuisse, ut opus fuisset Parocho et testibus ad matrimonium, de quo disceptatur, revalidandum. Ita ut sufficeret ad revalidationem diutina cohabitatio et copula carnalis, quae iam inter coniuges interfuerant. Attamen S. Congregationem pro invaliditate matrimonii prima et secunda vice stetisse videtur, quia plures testes deposuerunt vim illatam et metum durasse patenter etiam tempore cel ebrationis matrimonii. Adeo ut ob impedimenti notorietatem, matrimonium convalescere nequiverit, nisi per solemnitates Tridentini, iuxta vigentem ecclesiae disciplinam.

VII. Quum homo sit liberae conditionis, nequit a parentibus per vim obstringi ad tale ineundum matrimonium, quod est quaedam perpetua servitus : ast iuxta regulam iuris : ***velle non creditur qui obsequitur imperio patris vel domini.***

EX S. CONGR. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

IURIS DUCENDI FUNUS ET SEPULTURAE.

Die 5 aprilis et 30 augusti 1878.

Compendium facti. In Insula *M.* lege civili prohibetur mortuorum corpora in Ecclesiis, intra civitatis moenia positis, condere ; sed permittitur tantum id fieri in Ecclesiis extra moenia extructis, dummodo istarum Rectores fidem faciant Politicae auctoritati, inibi vita functum propriam habere sepulturam. Die 15 maii 1874 Michael *A.* mortem oppetiit; eiusque parentes dum disponerent, ut funeralia in Ecclesia Collegiata et paroeciali conficerentur, volebant tamen ut corpus efferretur atque sepelietur in Capuccinorum Ecclesia, extra civitatem posita, ubi autumabant adesse familiae Michaelis sepulturam. Collegiatae Parochus sese opposuit aiens: ius sepulturae in Ecclesia Capuccinorum non esse liquidum: et nisi Pater Guardianus argumentis aptioribus id evinceret, haud permitteretur eidem efferre et humare corpus Michaelis. Pater Guardianus oppositionem parvipendens, neque ius sepulturae clarius demonstrans, quum ei Politica auctoritas petitam facultatem humandi cadaver dedisset, circa horam nonam diei 16 maii domum defuncti adivit; atque induto superpelliceo et stola, nec non elata cruce, transmeando territorium paroe-

ciae et Civitatis *C.* in Capuccinorum Ecclesia defuncti corpus condidit.

P. Guardianus autem enarravit, scriptisque documentis probavit in sui defensionem, ipsum Parochum Collegiatae iam constituisse sese conferre, die 16, hora octava matutina ad defuncti domum, ut adesset, dum efferretur cadaver ad Capuccinorum Ecclesiam. Filius quoque defuncti Michaelis scripto asseruit, omnia iam disposita fuisse, ut die 16 maii cadaver sui patris efferretur ad Ecclesiam Capuccinorum ; quum Parochus Collegiatae distulit elationem hanc post meridiem. Quae dilatio familiae defuncti displicuit, vocavitque Capuccinorum Guardianum, ut hora statuta, elatio perficeretur. Canonici Collegiatae et Paroeciae defuncti, arbitrati factum hoc laedere sua iura, recursum habuerunt contra Capuccinos apud S. Cong. Ep. et Regularium.

Disceptatio synoptica.

IURA CANONICORUM. Episcopus favore istorum retulit sepulturam in Ecclesia Capuccinorum non fuisse *sepulturam maiorum* pro demortuo Michaele. Ex instrumento enim rogato a publico tabellione die *g* octobris 1849 constat, istam sepulturam fuisse acquisitam a quodam Iosepho Micallef pro se suaque familia et omnibus successoribus, vel ut in lapide legitur pro se suaque uxore et parentibus. Ast defunctus nullo vinculo ligabatur cum familia fundatoris; et vinculum affinitatis tantum existebat inter illum et aliam lineam eiusdem familiae Micallef. Ergo defunctus nullo iure condi poterat in sepultura illa, quam fundator pro se suaque familia et successoribus constituerat, quia de *familia non erat, neque successor neque parens* agnatus, aut cognatus.

Verumtamen lapidis mortuariae verba innuere ideam videntur, affines quoque includi debere ; quandoque enim parentum vocabulo comprehenduntur etiam affines. Sed Fargna, *comment, ad sing. Canon, de iurepatr., part. 2, can. i* difficultatem diluit

edicens, voces *successorum* et *parentum* in materia iurispatronatus, et praecipue quoad sepulturae iura strictam expetunt interpretationem. *Eodem modo,* **ibi** *quo si iuspatronatus fuisset reservatum pro parentibus et consanguineis esset gentilitium, cum nomine parentum, et consanguineorum veniant omnes illi qui sanguinis vinculo coniuncti sunt, tum ex latere agnatitio et cognatitio,^ quam cognatio matris. Card. de Luca de iurepatron., disc. 28, n. 11 ; Rota in Interamnen., Iurispatron., 22 martii 1706.*

Quapropter ni liquide constet defunctum eiusque parentes, ius sepulturae in Ecclesia Capuccinorum possidere, et nisi idem Michael *A.* elegerit suam sepulturam, humari defunctus deberet in Paroeciali Ecclesia. Et re quidem vera S. **C. C.** *in Fanen. seu Min. Conventualium Ianuarii 1870* **proposito dubio :**

An parentibus et haeredibus ius sit eligendi, proprio arbitrio, Ecclesiam pro funere suorum defunctorum; **respondit:** *Negative.*

Et in *Civitatis Castellanae funerum 28 ianuarii 1764* **Sacra Congregatio negat parentibus defuncti omne arbitrium eligendi sepulturam :** *quia praesumebatur morientem se accomodasse ad iuris ordinationem et de iure esse, ut qui aliter non constituerit, sepeliatur in Ecclesiis Parochiae.* **Nisi tamen defunctus habeat sepulchrum** *maiorum.*

Proinde, prosequebatur Episcopus, si Michael *A.* sepeliri nequivit in dicta sepultura, etiam P. Guardianus fidem facere non potuit, cui innixa politica auctoritas tumulationem in Ecclesia Capuccinorum indulsit; neque efferre iure valuit cadaver, idemque associare cum stola et cruce elata in territorio alienae Paroeciae.

IURA CAPUCCINORUM. **Rmi Patres diversam ab Episcopo sequuti rationem, cum genealogiam defuncti texerent, demonstrare satagunt istum fuisse filii fundatoris socrum. Et ideo ceu fundator est avus filiorum qui nati sunt a proprio filio coniuncto cum filia Michaelis *A.* sic defunctus Michael est avus**

quoad eosdem filios. Proinde Guardianus dubitare nullimode poterat de iure quod defunctus haberet, ut tuto sepeliri posset in sepultura, quam Ioseph Micallef emerat pro se, suaque familia et pro coniunctis amborum: idest sui et uxoris suae et in qua praemortuus nepos conditus iam fuerat. Idque eo magis quia in Ordinatione quadam anni 1870 dictum fuit: «praesumitur cuique ius esse sepeliri in sepultura... in qua ex proprio suo iure, conditus fuit aliquis ex consanguineis ».

Neque iniuria egisse putant dum cadaver efferrent atque associarent, absque interventu parochi ; nam Regulares id facere iure possunt quoties Parochus ab eisdem invitatus, aut renuerit, aut stata hora non venerit ; *S. C. Cong. in Tusculana funerum* 24 *iulii* 1734. Ista enim proposito dubio :

***An postquam Patres Reformati per aliquod temporis spatium expectaverint Archipresbyterum, vel illius coadiutorem, possint absque iisdem asportare cadaver ad eorum Ecclesiam:* respondit :**

Affirmative, intimato tamen prius et expectato per horam Archipresbytero vel Canonico coadiutore.

In casu, aiunt Capuccini, Parochus vocatus renuit, expectatus non venit. Neque ad Guardianum probare pertinuit, clarioribus argumentis, ius quod defunctus habuit in dicta sepultura; istius familia tantum evincere cogitur praetensum ius et omne diluere dubium, si enasceretur quoad realem eius existentiam. Guardianus nil aliud facere poterat quam familiam defuncti audire, quae ius suum in sepoltura asseruit ; dum aliunde innotesceret istius parentela cum fundatoris familia, conditumque fuisse in eadem sepultura praemortuum defuncti nepotem.

Quod si Pater Guardianus in funere hoc rite egit,- nullum laesit ius cum stola et cruce elata incedendo; quia omnia haec agere poterat, etiamsi Parochus interfuisset associationi. Spectat enim ad Ecclesiam tumulantem ius elevandi crucem et sacras peragere functiones; parochi autem sola requiritur praesentia ; Reiffenstuel, *lib.* 3, *tit.* 28, *n.* 36 ibi. *Dum defer-*

tur corpus ad sepulchrum, non defertur crux Parochialis Ecclesiae in qua sepelitur, Barbosa, loc. cit., n. 78 citans S. Congregationis decreta duo. Potest tamen parochus loci etiam cum stola funus comitari usque ad Ecclesiam Regularium, ac etiam illam intrare ibique permanere, nullo modo tamen se immiscere in actu sepulturae vel officia defunctorum peragere aut preces vel psalmos publice recitare, quoniam omnia haec ab ipsis fratribus fieri debent.

Hisce aliisque in utramque partem adductis, duo quae sequuntur proposita fuerunt diluenda

Dubia.

I. *An et quomodo competat sepultura gentilitia familiae* **A.** *in Ecclesia S. Liberatae* **(Capuccinorum)** *in casu.*

II. *An P. Guardianus PP. Capuccinorum S. Liberatae violaverit iura parochialium in casu.*

RESOLUTIO. **S. Congr. EE. et** RR. **re discussa, sub die 5 aprilis respondit :** *Dilata ;* **sub die vero 30 augusti an. 1878 respondere censuit:**

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Ad mentem, mens est; scribatur Episcopo ut imponat silentium, et admoneat Religiosos ut cautius agant.*

Ex QUIBUS COLLIGES :

I. Vocabula successorum et parentum, praecipue quoad sepulturae iura, stricte esse sumenda; ita ut sub his nominibus veniant tantum qui sanguinis vinculo coniuncti sunt, tum agnatitio, tum cognatitio, non autem affines.

II. In themate defunctus nullo iure condi poterat in Capuccinorum sepultura, quam Micallef pro se, pro sua familia suisque successoribus constituerat, quia de familia non erat neque successor, neque agnatus aut cognatus.

III. Defunctum, si maiorum suorum sepultura careat, aut nisi sacrum sibi constituerit sepulturae locum, sepeliri debere

in Parochiae sepultura ; presumitur enim sese accomodasse ad iuris ordinationem, qui ante obitum aliter non constituerit.

IV. Neque parentibus aut haeredibus defuncti ius esse eligendi, proprio arbitrio, sepulturam pro defuncto eodem.

V. Associationem cadaveris usque ad sepulturae locum adnumerari inter iura parochialia : ideoque regulariter associatio fieri debet a proprio Parocho, in cuius Paroecia quis decessit et in qua sacramenta recepit.

VI. Proinde iniuria Rmi Patres Capuccini associationem cadaveris ad sepulturam peregissent etiamsi locus sepulturae pro illo defuncto realiter esset in Ecclesia eorumdem Patrum, quia associatio cadaveris inter Parochi iura cooptatur.

EX S. CONGREGATIONE INDULGENTIARUM

CONGREGATIONIS PRETIOSISSIMI SANGUINIS.

De facultate Vicarii Capitularis quoad Confraternitatum erectionem.

Die 15 novembris 1878.

DECRETUM. **Cum in Aurelianen, diei 18 augusti 1868 ab hac S. Congregatione indulgentiis sacrisque Reliquiis praeposita declaratum fuerit, Vicarios Generales in erigendis Confraternitatibus, earumdem statutis approbandis, ac litteris testimonialibus pro ipsarum aggregatione concedendis iuxta Clementis VIII Constitutionem, quae incipit *Quaecumque a Sede Apostolica* haud pollere potestate ordinaria, sed specialis indigere delegationis: in dubium fuerunt etiam revocatae Vicarii Capitularis, quoad praedicta, facultates. Unde Superior Gene-**

ralis Congregationis Pretiosissimi Sanguinis preces huic Sacrae Congregationi porrexit ad hoc, ut sequentia dubia dignetur resolvere.

I. ***Potestne Vicarius Capitularis erigere Confraternitates, ita ut erectio sic peracta canonica sit?***

II. ***Utrum Vicarius Capitularis possit valide concedere litteras testimoniales, ac consensum requisitum a Clemente VIII pro aggregatione Confraternitatum?***

III. ***Utrum Vicarius Capitularis possit approbare statuta Confraternitatum f***

In Congregatione Generali habita in Palatio Apostolico Vaticano die 15 novembris 1878 Emi Patres rescripserunt:

Ad I, II, III. Vicarius Capitularis se abstineat.

Factaque de his omnibus per me infrascriptum dictae S. Congregationis Secretarium SSmo D. N. Leoni Papae XIII in audientia diei 23 novembris 1878 relatione, Sanctitas Sua S. Congregationis resolutionem benigne approbavit.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die et anno ut supra.

A. **Card.** OREGLIA A S. STEPHANO, ***Praefectus.***

A. Panici, *Secretarius.*

Disceptatio Synoptica.

ANIMADVERSIONES EX OFFICIO. EX **officio in propositis dubiis enucleandis animadversum est, non esse extra controversiam positum an Vicarius Capitularis ea omnia peragere possit ad quae Vicarius ipse Generalis speciali indiget mandato. Plures enim tam pro affirmativa, quam pro negativa sententia afferuntur[1] doctores ; et denegantium opinionem pluries a S. Rota et a S. Congr. Concilii confirmatam fuisse additur.**

[1] Vide Bened. XIV, de Synod. Dioec, lib. 2, cap. **9,** num. 4. Ferraris V. Vicarius Capitularis, art. 2, n. 40.

Ast posito etiam iurisdictionem universam Capitulo, sede vacante, devolutam in Vicarium Capitularem transferri, dubium tamen posset excitari, non facultas, de qua agitur ad Capitulum et per ipsum ad Vicarium devolvatur. Barbosa habet pro regula generali quod a Capitulo sede vacante exerceri possit « omnem potestatem, administrationem et iurisdictionem « Episcopalem ordinariam, exceptis casibus, quae vel ex iure « in contrarium exprimuntur, vel ex aliqua ratione concludente « pro expressis habentur ».

Sed non est obliviscendum regulam hanc, a pluribus doctoribus sequutam, pati limitationem, quoties praedictae iurisdictionis exercitium, absque ullo praeiudicio et periculo commode differri queat ***in tempus Episcopi futuri successoris.*** **Quibus in casibus dicendum videtur, Vicarium Capitularem seipsum debere ab ea exercenda abstinere. Quae limitatio apprime locum obtinet cum agatur de re non levis momenti, aut de invehendo aliquid novi in Dioecesim ; postremus enim hic casus pro expresso in iure haberi quodammodo potest sub generali sanctione: «Ne sede vacante aliquid innovetur».**

Hisce addendum est quidquid in subiecta materia observavit Emus Ledochowski in sua informatione et voto quoad nonnullos supplices libellos, S. Indulgentiarum Congregationi porrectos ab aliquibus Germaniae Dioecesibus. Exposcebatur in iisdem dispensatio a conditionibus pro erectione Confraternitatum requisitis per Constitutionem Clementis VIII[1] et per decreta Pii IX, ob tristissima adiuncta in quibus res Catholicae Religionis inibi versantur. Haud consilium darem, aiebat praelaudatus Emus, pro dicta dispensatione, eo quod in Dioecesibus novorum Sodalitiorum erectio, quorum finis moralis et religiosus sit, res maximi momenti est ; neque facile Episcopi interventus posthaberi queit. Quapropter in casu

[1] Videsis Vol. VIII, pag. 277 et seqq. quo loco relatae fuere partes Bullae Clementis VIII quae Confraternitates respiciunt. Decreta Pii IX innuunt, inter alia, quod Confraternitates institui possint quovis loco, annuentibus tamen Locorum Ordinariis

mallem applicari principio iuris communis *Sede vacante nihil innovandum.*

VOTUM CONSULTORIS. *Benedictus XIV De Synod. Dioec, lib. 2, cap.* p, *n. 4,* edisserens de Doctorum sententia qui tenent, Vicarium Capitularem sola sui muneris commissione ea expedire valere, ad quae perficienda Vicario Generali Episcopi opus est speciali mandato, ait: « Tridentinum enim « (inquiunt Doctores qui sententiam praedictam tenent) voluit « Vicarium a Capitulo eligi, ad evitandas inter Capitulares « discordias, ad causas celerius expediendas et plurima prae* « cavenda incommoda, quae experientia edocente obvenirent, « si episcopalis iurisdictionis actualis administratio, penes uni- « versum Capitulum resideret. Haec autem incommoda non « minus sequerentur, si constituto Vicario Capitulari, adhuc < tamen Capitulum sibi, suoque iudicio reservaret, quae alias « indigent speciali mandato ». Ex quibus verbis erui posse videtur, ait Consultor, Benedictum XIV haud certam retinuisse illorum sententiam, qui opinabantur Vicarium Capitularem non habere iurisdictionem in iis, in quibus Vicarius Generalis indiget speciali mandato ; sed validiores attulisse rationes pro contraria sententia.

Nec non erui, Doctores eosdem qui Vicario Capitulari adversam profitebantur sententiam, in eadem institisse, quia putabant Capitulum non teneri integram iurisdictionis Episcopalis administrationem demandare Vicario Capitulari, sed posse sibi reservare aliquam partem eiusdem administrationis. Praesertim quoad ea quae in Vicario Generali Episcopi requirunt speciale mandatum, suamque sententiam fulciebant quibusdam Resolutionibus S. C. Concilii et S. Rotae Romanae.

Ast omittendum non est quod S. C. Concilii, re maturius perpensa, praedictas resolutiones dereliquisse, uti demonstrat Rigantius ad regulas Cancellariae Apostolicae *ad reg. 24, § 3, n. 22J et seqq.* Et Bouix, *De Capitulis, Parte 3, Sect. i, Cap. p,* scribit: « Congregatio Concilii, quae teste Fagnano « paucissimas variationes passa est, in hac materia variavit,

« quasi sequens ipsammet contemporaneam Doctorum varia-
« tionem. Nam posse restringi iurisdictionem a Capitulo con-
« cessam Vicario Capitulari tenuerat anno 1632 et 1651 et sibi
« Rotam consentaneam habebat; ut patet ex citata Decisione
< huius Tribunalis (in Maurianensi 25 iulii 1626). Postea vero
< ab anno saltem 1736 sententiae oppositae constans haesit ».

Ex quibus exurgit, fundamento destitui illorum sententiam qui opinabantur, Vicarium Capitularem non posse exercere ea, quae in Vicario Generali Episcopi requirunt speciale mandatum: aliamque contrariam sententiam certam retinendam esse.

Ex officio, adiecit Consultor, subsumebantur; posito etiam quod sede vacante, integra iurisdictio in Capitulo et a Capitulo in Vicarium Capitularem transferatur, tamen dubitari posset num ad Capitulum devolvatur iurisdictio Episcopi, quoad ea de quibus modo quaeritur; quia docente Barbosa ex aliorum Doctorum sententia, non omnis iurisdictio ad Capitulum devolvitur, sed tantum necessaria non vero voluntaria.

Quae obiectio suscitare videtur veterem controversiam olim inter Doctores agitatam, nempe an ad Capitulum devolvatur iurisdictio Episcopalis voluntaria et a Capitulo ad Vicarium Capitularem, an vero necessaria tantum. Super hac controversia Bouix *loc. cit. Sect. 2 cap. 3* scribit quod omnes Doctores conveniunt, iurisdictionem necessariam devolvi ad Capitulum et a Capitulo ad Vicarium Capitularem. Quoad iurisdictionem voluntariam seu gratiosam retulit tres opiniones. « Alii cum
« Suaresio tenent, etiam quoad illam iurisdictionem, admit-
te tendam esse supradictam regulam, scilicet succedere Capi-
« tulum, *exceptis iis, quae a iure communi reperiuntur excepta...*
« Prima tamen sententia, quam probabiliorem dicit Reiffen-
« stuel, *tit. Ne sede, n. 23,* sola videtur solida ratione niti.
« Nam ideo tamquam regula generalis communiter admittitur
« Capitulum succedere iurisdictioni Episcopali, quia textus iuris
« id admittere cogunt; sed isti textus non distinguunt inter
« necessariam, et voluntariam iurisdictionem, sed generaliter

« supponunt iurisdictionem ordinariam Episcopi ad Capitulum, « sede vacante transire. Ergo sine fundamento fingitur neces- « sariam quidem iurisdictionem regulariter transire ad Capi- « tulum, non vero voluntariam ».

Ne autem iurisdictio Vicarii Capitularis magis coarctetur ultra limites in iure expressos et in titulo « *ne sede vacante aliquid innovetur* » argumento eiusmodi Consultor usus est: quae non sunt prohibita, intelliguntur concessa, dummodo haec non sint reservata ab ipso iure; atqui hoc (erigi per Vicarium Capitularem Confraternitates) non est prohibitum, nec specialiter reservatum, ergo intelligitur concessum.

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Dubitari an Vicarius Capitularis facultate polleat rite erigendi pia Sodalitia, eadem aggregandi eorumdemque statuta adprobandi; etsi nemo dubitet illum Vicario praestare Generali: dum iste ad nutum Episcopi iurisdictione utatur, ille autem a Capitulo revocari nequeat, et ordinariam Episcopi consequatur potestatem.

II. Sacram Indulgentiarum Congregationem, in opinionum varietate, noluisse, per suum iudicium, definire, an esset in potestate Vicarii Capitularis, instar Episcopi, ea peragere quae Confraternitatum erectionem, aggregationem, et Statutorum approbationem respiciunt.

III. Attamen prudenti consilio constituisse, ut Vicarii Capitulares, ab his peragendis sese abstinerent; quia, ut nobis videtur, Confraternitatum erectio, maximi momenti res est in Dioecesium regimine, quae vero facili modo differri potest in tempore Episcopi futuri successoris.

FRIBURGEN.

Super interpretatione verborum infra unam vel duas hebdomadas.

Die 15 novembris 1878.

DECRETUM. **Lotharius Kubel Episcopus Leucensis et Vicarius Capitularis Archidioecesis Friburgensis die 14 ianuarii 1877 cum petiisset ab hac S. Congregatione Indulgentiis sacrisque Reliquiis praeposita, quod inibi ob sacerdotum penuriam confessio facta bis in mense, servatis servandis, suffragari possit ad indulgentias intra praedictum tempus occurrentes lucrandas, quemadmodum et aliae Dioeceses tali concessione ex indulto Apostolico laetantur, gratia fuit concessa, ast eo modo et forma qua assolet, rescribendo scilicet « SSmus precibus obsecundans, benigne annuit pro petito indulto, ita ut Presbyteri et coeteri fideles Archidioecesis Friburgensis qui infra unam vel duas hebdomadas uniuscuiusque mensis sacramentalem confessionem peragere solent, omnes et singulas indulgentias plenarias, eo temporis intervallo concessas absque sacramentali confessione lucrari possint, dummodo etc. At vero praelaudatus Episcopus dubitans, num sub voce hebdomada septem dies vel octo sint intelligendi, et num verba infra duas hebdomadas accipi ita, debeant ut bina confessio intra mensem sufficiat, vel potius ut in omni quatuordecim dierum decursu confessio sit peragenda, supplex S. Congregationem adiit postulans, ut dubia istaec diluere dignetur.**

I. ***Utrum confessio praescripta per singulas hebdomadas peragi debeat septem vel potius infra octo dies?***

II. ***An verba « infra duas hebdomadas > stricte interpretanda sint, ita ut confessio peragi debeat infra quatuordecim dies, vel potius sufficiat bina confessio in mense?***

In Congregatione Generali habita in Palatio Apostolico Vaticano die 15 novembris 1878 Emi Patres rescripserunt:

Ad I. ***Affirmative ad primam partem, idest praescriptam confessionem peragi debere quolibet decurrente septem dierum spatio. Negative ad secundam partem.***

Ad II. ***Affirmative ad primam partem idest praescriptam confessionem peragi debere quolibet decurrente quatuordecim dierum spatio. Negative ad secundam partem.***

Factaque de his omnibus per me infrascriptum dictae Congregationis Secretarium SSmo: D. N. Leoni Papae XIII in audientia diei 23 novembris 1878 relatione, Sanctitas Sua S. Congregationis resolutionem benigne approbavit.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die et anno ut supra.

AL. **Card.** OREGLIA A **S.** STEFANO, ***Praefectus.***

A. Panici, *Secretarius.*

Disceptatio synoptica.

Ex OFFICIO. **Observatum fuit tradi a R. P. M. Ulrtch. in opere, cui titulus** ***Tesoro spirituale, part. i, cap.*** *4,* ***art.*** *2,* ***n.*** *2.* **Cum confessio fieri potest et debet (ád acquirendas nempe indulgentias) distinguendi sunt: 1. Fideles in genere. 2. Illi qui confiteri solent semel in- hebdomada. 3. Illi qui etsi consuetudine hac careant, in locis degunt, in quibus Confessorum penuria est.**

1. Omnes Christifideles (vi decreti S. C. Indulgentiarum 31 martii 1759, iterum confirmatum a Clemente XIII die i decembris 1761) confiteri possunt, ad lucrandas Indulgentias, tum in die festi, tum in eiusdem vigilia.

2. Alii qui, solent in hebdomada confessionem peragere lucrantur omnes indulgentias, absque actuali confessione, dummodo ab ultima confessione in laetale non inciderint ex decreto eiusdem Congregationis 9 decembris 1763.

3, Locorum fideles, in quibus Confessorum penuria adsit, per confessionem peractam infra hebdomadam ante festivitatem lucrantur indulgentias eidem festivitati adnexas.

VOTUM CONSULTORIS. Relata quaesita a Praesule proposita fuere, eoquod obscurus et difficilis sibi visus fuerit sensus rescripti quod obtinuerat, tum quia non undequaque oblatae petitioni cohaereret, tum quia minime eluceret an requisita confessio peragi debeat infra septem dies, iuxta propriam vocabuli hebdomadae significationem, vel potius eam frequentare libeat infra octo dies, ceu aliqua sacri Ordinis decreta innuunt.

Conveniunt graves theologi in accipienda hebdomada veluti aliqua unitate in subiecta materia. Quamobrem, ceu quidam notavit, probe expressio ponderanda est *semel in hebdomada,* non dicitur *singulis octiduis;* et ideo, iuxta decreti verba, posset quis peccata confiteri die lunae alterius hebdomadae ut iterum confiteatur Sabbato hebdomadae sequentis, quod est dies decimatertia post ultimam suam confessionem. Et dubitari nequibit quod iste confessus sit unaquaque hebdomada, quod sufficit.

Quapropter censuit aliquis ut in materia indulgentiarum adhaerendum sit proprio ac litterali verborum sensui; ex quo fit quod verba *per singulas hebdomadas* idem sonent ac *infra septem dies.* Nec obstare, creditum est, nonnulla responsa S. Indui. Congregationis, quorum tenore huiusmodi hebdomadae periodus ad integrum octo dierum numerum produci vel supponitur vel declaratur. Sic in Meclinien. cuius est tenor. Publicus professor SS. Canonum in Universitate Catholica Lovaniensi Dioecesis Mecliniensis ad S. Congregationem recurrit pro decisione subsequentium dubiorum. Dubium primum. « Per decretum S. Congregationis Indulgentiarum datum die 12 iunii 1822 conceditur, Confessionem sacramentalem peractam infra hebdomadam ante festivitatem suffragari posse ad indulgentiam lucrandam: quaeritur

I. An verba *infra hebdomadam* significent octo dies tantum, quae festivitatem immediate praecedunt, an vero hebdo-

madam illam totam et integram quae ante festum decurrit, ita ex. gr. Confessio facta die dominica suffragetur ad lucrandam indulgentiam die sabbati hebdomadae sequentis, in quam diem festum inciderat, tametsi tunc tresdecim dies inter confessionem et festivitatem intercessissent?

II. An Confessio octava die ante festivitatem peracta, vi huius indulti suffragetur tantum ad unam Indulgentiam lucrandam, an vero per hanc confessionem etiam aliae lucrifieri possint Indulgentiae, quae infra praedictum tempus occurrent, et ad quas lucrandas sacramentalis confessio caeteroquin requireretur?

Sacra Congregatio respondit: Ad primum affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam.

Ad secundum: Negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam.

Decreti Summi Pontificis Pii VII iussu editi, prosequitur Consultor, interpretationem postulavit hic Lovaniensis Professor, prae oculis habens tum decretum aliud Clementis XIII 8 decembris 1763, quo Christifidelibus semel saltem in hebdomada confiteri solitis, omnes indulgentiae occurrentes conceduntur, pro quibus lucrandis requiritur confessio actualis; tum traditam regulam, de quo supra, accipiendi hebdomadam per modum *unitatis.* Exquisivit itaque an etiam hebdomada ad tramites praefati decreti Pii VII praecedens diem festum, cui affixa sit indulgentia, significaret unitatem, vel potius praeferret definitum dierum numerum; ac propterea utrum eadem iuxta decretum Pii VII concessio, non secus ac illa Clementis XIII complecteretur, ultra unam diei festo adnexam, omnes alias Indulgentias, cum onere confessionis per ipsam hebdomadam occurrentes, sive hae alicui festo adnecterentur, sive non.

Primum negavit S. Congregatio; si enim ratio non numerandi dies singulos, sed hebdomadas, valere potest in uno casu, in quo agitur de succedentium hebdomadarum serie, nullo modo potest intelligi in casu altero, in quo res est de una tantum hebdomada, intra cuius ambitum et non ultra, conditio

sacramentalis confessionis adimpleri debet. Alterum affirmavit; quia concessio ad formam decreti Pii VII 12 iunii 1822, non est nisi communicatio atque extensio memorati Indulti Clementis XIII, firmo remanente decreto 9 decembris 1763 pro iis fidelibus, qui ad confessionem saltem semel in hebdomada accedunt, pro caeteris autem fidelibus in locis, in quibus ob inopiam confessariorum, nequeunt frequenter Confessione sacramentali expiari, postulantibus *communicetur dictum decretum* et facto verbo cum SSmo extendatur ad omnes utriusque sexus Christifideles, unde Confessio peracta infra hebdomadam ante festivitatem suffragari possit ad Indulgentiam lucrandam. Hinc merito vi huius decreti Pii VII censuit S. Congregatio extensam fuisse facultatem lucrandi etiam alias indulgentias cum obligatione peragendi sacramentalem confessionem intra designatam hebdomadam occurrentes.

His inspectis resolutionibus, ait Consultor, iure Archiepiscopus Friburgensis dubitavit an verba *infra hebdomadam* quae relate ad decretum Pii VII sumuntur de confessione *infra octo dies* seu usque ad *octavam diem* ante festivitatem, pariter intelligenda sint veluti idem ac *octo dies* in decreto Clementis XIII et ideo Confessio iniuncta per *singulas hebdomadas* peragi valeat *infra octo dies.*

Res specie tenus implexa adnimadversione ac distinctione explanari potest. Ac imprimis utraque resolutio S. Congregationis in illa Mechliniensi non cadit super verba enunciata •*octo dies, octava die* sed aliud respicit. Resumuntur autem hae locutiones ex libello supplici per Oratorem Lovaniensem exhibito prout in eo iacent non admodum inter sese cohaerentes. Prima enim ponit *octo dies quae festivitatem immediate praecedunt,* ex quo émergèrent, una cum festivitate, integri novem •dies. Alia assurgit usque *ad octavam diem ante festivitatem,* ideoque iam non amplius novem sed octo dies videntur pro hebdomada computari. Nonne igitur eo fortius negligendae huiusmodi formulae, et solae attendendae in toto decreto ipsae propositarum quaestionum solutiones?

Sed fuerint tamen verba illa, ut non explicite probata, aliquomodo in decreto admissa ad hebdomadam veluti idem ac octiduum significandam. Omnino recte dicitur confiteri *infra hebdomadam ante festivitatem* qui id praestat infra octo dies : nam supputatis diebus septem qui praecedunt, additoque ipso die festo, prodit summa octo dierum qui vere ac proprie, ad indulti tramites utiliter decurrunt ad conscientiam expiandam; horum autem dierum primus, cohaerenter ad decretum Mechliniense erit octavus ante festum. Neque secus in alio casu : loquendo siquidem de Confessione *semel saltem in hebdomada* iuxta decretum 9 decembris 1763, is recte dicitur huic conditioni satisfacere qui confitetur, ad minus, *die octava* ab alia peracta confessione. Minime tamen ex hoc argui utroque in casu poterit tribui hebdomadae octo dies pro septem. Quin potius ex quo certum est, constare hebdomadam septeno dierum numero, necessitas oritur praedicto modo computandi dies, qui unam et alteram confessionem, aut confessionem et diem festum intercedunt ; hoc est computandi dies in uno casu a die saltem octava ab alia Confessione ut verum sit eam fieri in qualibet hebdomada ; in altero a die octava ante festum,, ut verum sit agi Confessionem infra hebdomadam illud praecedentem.

Cum igitur diversae res sint numerus dierum hebdomada comprehensus, et numerus dierum qui computantur tum ab altera Confessione ad alteram, tum a Confessione ad diem festum; cum ad secundam dumtaxat referantur obiecta Mechliniensis decreti verba, quae ceterum supponunt hebdomadam per se coalescere ex numero dierum septem ; superest quoad primam solutio, quae quidem haud ambigua est, danda Antistiti Friburgensi. Quaerit enim an Confessio ex decreto Clementis XIII explenda *semel saltem in hebdomada,* peragi debeat infra septem vel potius infra octo dies, seu an quolibet decurrente septem dierum numero vel octo. Re huc deducta, idest ad dierum numerum quibus afficitur hebdomada, profecto nonnisi septem dies pro eadem accipere fas erit. Ac plane ipsa

rei natura exigit, et rigorosa ratio ordinis, observanda maxime in subiecta specie, expostulat ut hebdomadae computatio incipiat eius die primo, claudatur cum postremo, qui est dies septimus, octavus vero sit initium sequentis hebdomadae. Si octo recenserentur dies, quo tandem, unum qualibet hebdomada addendo, in hac praegravi et undequaque arcte definita Indulgentiarum lucrandarum semita deveniretur?

Quare hisce praehabitis, a RR. Consultorum opinione, qui scripserunt in praecedenti huius causae propositione nisi aliter Eminentissimis Patribus visum fuerit, mihi recedendum non arbitror. Quia porro sub certo alio respectu, ex allatis, octo dierum numerus recte ponitur, ex quo sane, ut censeo orta confusio ac dubitatio a Friburgensi Oratore proposita; ne confusio adhuc oriatur, adeo ut obscurum appareat quid affirmatum, quid negatum sit, et ad periculum arcendum erroneae interpretationis : perutile putarem sensum responsi ad primum dubium coarctare hac fere ratione : « Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam ; idest Confessionem in casu peragendam esse quolibet decurrente septem dierum spatio ».

EXINDE COLLIGES :

I. In materia Indulgentiarum adhaerendum esse proprio ac litterali verborum sensui; quo fit ut verba *per singulas hebdomadas* nil aliud sonent, quam *infra septem dies.*

II. Convenire graves theologi quod relate ad Indulgentiarum materiam, hebdomada accipienda sit ceu aliqua *unitas* ad tempus dimitiendum.

III. Omnem sublatam fuisse dubitationem, ex aliis resolutionibus ortam, per responsum in themate datum clarisque conceptum verbis ; per quod pro certo constituitur pro hebdomada nil aliud intelligi quam septem dierum spatium.

IV. Proindeque si, ad aliquam lucrandam indulgentiam, praescripta sit confessio *in singulas hebdomadas,* fideles obligari ad confessionem quolibet decurrente septem dierum spatio, et non ultra.

V. Parique modo quoties imponitur ut confessio fiat, pro indulgentiis lucrifaciendis, *infra duas hebdomadas,* praescriptioni haud satisfieri bina confessione in mense, sed requiri ut Christifidelis confessionem peragat quolibet decurrente quatuordecim dierum spatio.

VI. Omnes Christifideles semel saltem in hebdomada confiteri solitos, lucrari posse omnes indulgentias occurrentes, et pro quibus lucrandis confessio actualis requiratur.

DECRETUM.

Quo emere aut mercari prohibetur Sacras Reliquias et Sanctorum exuvias tum in Urbe quam extra.

Cum Sanctorum Martyrum et aliorum cum Christo viventium Sancta Corpora, quae viva membra fuerunt Christi et templum Spiritus Sancti a fidelibus veneranda sint ; multa enim beneficia per ea a Deo hominibus praestantur; ut eorum venerationi consulatur utque omnis turpis quaestus eliminetur, non semel leges ecclesiasticae sed et civiles late fuerunt. Siquidem cap. 3 Cod. de Sacrosanctis Ecclesiis statutum fuit; *Nemo Martyres distrahat, nemo mercetur.*

Iam vero abhinc nonnullis annis, suffragantibus rerum ac temporum adiunctis, abusus irrepsit, ut homines catholicae fidei osores et turpis lucri avidi Sacras Reliquias undequaque exquisitas et arreptas et authenticitate pollentes, Romae potissimum, magno fidelium et maxime advenarum scandalo vendere non erubescant.

Id cum Sanctissimo Domino Nostro Leoni Pp. XIII innotuerit, Eadem Sanctitas Sua volens huic malo occurrere, et simul Sacrarum Reliquiarum, quantum fieri potest, recuperationi studere, sacrorum canonum statutis inhaerens districte praecepit, ne Christifideles sub quolibet praetextu, etiam redimendi, Sacras Reliquias et Sanctorum exuvias licet capsula

recónditas et sigillo munitas, tam in Urbe, quam extra, emere aut mercari praesumant. Insuper mandavit, ut quicumque Sacras Reliquias, quae venales prostent, invenerit, Locorum Ordinarios commoneat, quorum intererit opportune providere.

Hoc propterea Decretum Idem Sanctissimus Dominus Noster fieri et publicari mandavit.

Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae die 21 decembris 1878.

A. Card. OREGLIA A **S.** STEPHANO, ***Praefectus.***

A. Panici, *Secretarius.*

EX S. CONGREGATIONE SS. RITUUM

DECRETUM.

Quo praecipitur, ut scripta quae Sanctorum Canonizationem respiciunt, solummodo imprimi debeant a typographus, qui ab officio et auctoritate Patris S. Palatii Apostolici rite dependent.

Sacra Rituum Congregatio Causarum Beatificationis Servorum Dei et Canonizationis Beatorum, quae eius examini proponuntur summam gravitatem perpendens, sui muneris esse duxit illa praecavere pericula, quae ex inconsulta evulgatione eorumdem Servorum Dei rerum gestarum, ac iudicialium desuper disquisitionum, luctuosissimis hisce temporibus, facile oriri possent. Perpensis itaque accurate Decretis sa. me. Alexandri Papae VII die 19 et 23 iulii anni 1661, statuendum censuit, ut, firma lege nullibi extra Urbem imprimendi quaelibet eiusmodi scripta, in Urbe ipsa, durantibus praedictis

rerum publicarum conditionibus, vel donec aliter a Sede Apostolica provisum fuerit, eadem nonnisi a Typographis imprimi valeant, qui ab officio et auctoritate Patris S. Palatii Apostolici Magistri rite dependent, ab eoque approbati habentur. Si secus quaelibet e praefatis scripturis praelo excussa fuerit, tamquam irrita prorsus ac nulla a S. Congregationis Officialibus haberi debeat. Et ita declaravit ac statuit.

Die 30 ianuarii 1878.

Facta autem de praemissis Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per me infrascriptum Secretarium fideli relatione, idem Sanctissimus Dominus Noster Decretum S. R. C. praefatum approbavit, et ita in posterum servari mandavit. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 7 martii anni eiusdem.

Fr. T. MARIA **Card.** MARTINELLI, **S. R. C.** ***Praefectus.***

L. $ S.

ALTONEN.

Resolvitur quod festum Patroni alicuius Ecclesiae consecratae aut solummodo benedictae, celebrari debet duplex I classis cum octava quoad Missam et Officium a Presbyteris dictae Ecclesiae addictis.

Rmus Dominus Petrus Iosephus Baltes Episcopus Alton, in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis Sacrorum Rituum Congregationi exposuit inter Decreta Concilii (plenarii) Baltimorensis, sub numero 384, reperiri sequens, scilicet : « Volumus ut in posterum Festum patronale ecclesiae cuiusque consecratae solemniter et ritu debito celebretur. Quod in urbibus adeo facile fieri potest, ut, si negligatur, nullus sit excusationi locus. Idem faciendum erit, licet ecclesia fuerit tantum benedicta. Rure tamen et in oppidulis, ubi difficile esset per hebdomadam plebem fidelium congregare, poterit

Festum (quoad externam solemnitatem) in dominicam proxime sequentem transferri ».

Quum Status praedicti sint loci missionum, paroeciae proprie dictae non adsunt, si cathedrales excipiantur ecclesiae. Reliquae enim ecclesiae generatim habent Sacerdotem missionarium, qui meliori quo potest modo in ipsis ecclesiis statutis temporibus officia facit. Id autem non in omnibus accidit ecclesiis; sunt namque plurimae quae sacerdotem residentialem non habent, ac consequenter ibi divina officia peraguntur meliori quo potest modo iuxta circumstantias. Plures sunt sacerdotes qui etiam quinque inserviunt ecclesiis. Nonnulla istarum sunt magnae et pulchrae, maxima vero pars earum sunt tales ut vix hoc nomine possint appellari. Insuper rarissimae sunt ecclesiae consecratae et in hac dioecesi ecclesiae consecratae ad quatuor ascendunt; reliquae sunt benedictae.

Hisce expositis, Rmus orator ab eadem S. Congregatione duo insequentia Dubia resolvi humiliter petit, nimirum :

DUB**, I. Utrum festum patroni ecclesiae consecratae in hisce Americanis missionibus celebrandum sit sicut festum primae classis cum octava tam quoad missam tam quoad officium?**

DUB**. II. Utrum festum ad normam supradicti Decreti Concilii Baltimor. Festum Patroni ecclesiarum non consecratarum celebrari debeat prout duplex primae classis cum Octava tam quod missam tam quoad officium?**

Sacra vero eadem Congregatio, re mature perpensa, rescribere rata est: affirmative ad utrumque, tam quoad missam, si in iis ecclesiis commode celebrari valeat, tam quoad officium, si qui clerici ad horas canonicas obligati vel saltem ex ipsis unus eisdem ecclesiis sint adscripti. Atque ita respondit et servari mandavit.

Die 28 septembris 1872.

C. Card. PATRIZI, **Episc. Ostien et Velitern.,**
S. R. C. *Praefectus.*

D. Bartölini, S. R. C. *Secretarius.*

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

LEONIS DIVINA PROVIDENTIA PAPAE XIII

EPISTOLA ENCYCLICA

Ad Patriarchas Primates Archiepiscopos et Episcopos universos catholici orbis gratiam et communionem cum Apostolica Sede habentes.

VENERABILES FRATRES

-SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Quod Apostolici muneris ratio a Nobis postulabat, iam inde a Pontificatus Nostri principio, Litteris encyclicis ad vos datis, Venerabiles Fratres, indicare haud praetermisimus lethiferam pestem, quae per artus intimos humanae societatis serpit, eamque in extremum discrimen adducit: simul etiam remedia efficacissima demonstravimus, quibus ad salutem revocari, et gravissima quae impendent pericula possit evadere. Sed ea quae tunc deploravimus mala usque adeo brevi increverunt, ut rursus ad vos verba convertere cogamur, Propheta velut auribus Nostris insonante : *Clama ne cesses, exalta quasi tuba vocem tuam.*[1] Nullo autem negotio intelligitis, Venerabiles Fratres, Nos de illa hominum secta loqui, qui diversis ac pene barbaris nominibus *Socialistae, Communistae* vel *Nihilistae* appellantur, quique per universum orbem diffusi, et iniquo inter se foedere arctissime colligati, non amplius ab occultornm conventuum tenebris praesidium quaerunt, sed palam fidenterque in lucem prodeuntes, quod iampridem inierunt consilium cuiuslibet civilis societatis fundamenta convellendo perficere adnituntur. Ii nimirum sunt, qui, prout divina testantur eloquia, *carnem quidem maculant, dominationem spernunt, maiestatem autem blasphemant.*[2] Nihil, quod humanis divinisque legibus ad vitae incolumitatem et decus sapienter decretum est, intactum vel integrum relinquunt. Sublimioribus potestatibus, quibus Apostolo monente, omnem animam decet esse subiectam, quaeque a Deo ius imperandi mutuantur, obedientiam detrectant, et perfectam omnium hominum in iuribus et officiis praedicant aequalitatem. - Naturalem viri ac mulieris unionem, gentibus vel barbaris sacram, dehonestant; eiusque vinculum, quo domestica societas principaliter continetur, infirmant aut etiam libidini permit-

* Is., LVIII, 1.
[2] Iud. Epis., v. 8.

tunt. - Praesentium tandem bonorum illecti cupiditate, quae *radix est omnium malorum et quam quidam appetentes erraverunt a fide,*[1] ius proprietatis naturali lege sancitum impugnant; et per immane facinus, cum omnium hominum necessitatibus consulere et desideriis satisfacere videantur, quidquid aut legitimae haereditatis titulo, aut ingenii manuumque labore, aut victus parsimonia adquisitum est, rapere et commune habere contendunt. Atque haec quidem opinionum portenta in eorum conventibus publicant, libellis persuadent, ephemeridum nube in vulgus spargunt. Ex quo veneranda Regum maiestas et imperium tantam seditiosae plebis subiit invidiam, ut nefarii proditores, omnis freni impatientes, non semel brevi temporis intervallo, in ipsos regnorum Principes, impio ausu, arma converterint.

Haec autem perfidorum hominum audacia, quae civili consortio graviores in dies ruinas minitatur, et omnium animos sollicita trepidatione percellit, causam et originem ab iis venenatis doctrinis repetit, quae superioribus temporibus tamquam vitiosa semina medios inter populos diffusae, tam pestíferos suo tempore fructus dederunt. Probe enim nostis, Venerabiles Fratres, infénsissimum bellum, quod in catholicam fidem inde a saeculo decimo sexto a Novatoribus commotum est, et quam maxime in dies hucusque invaluit, eo tendere ut, omni revelatione submota et quolibet supernaturali ordine sub verso, solius rationis inventis ses potius deliramentis, aditus pateret. Eiusmodi error, qui perperam a ratione sibi nomen usurpât, cum excellendi appetentiam naturaliter homini insertat pelliciat et acuat, omnisque generis cupiditatibus laxet habenas, sponte sua non modo plurimorum hominum mentes, sed civilem etiam societatem latissime pervasit. Hinc nova quadam impietate, ipsis vel ethnicis inaudita, respublicae constitutae sunt, nulla Dei et ordinis ab eo praestituti habita ratione: publicam auctoritatem nec principium, nec maiestatem, nec vim imperandi a Deo sumere dictitatum est, sed potius a populi multitudine; quae ab omni divina sanctione solutam se aestimans, iis solummodo legibus subesse passa est, quas ipsa ad libitum tulisset. - Supernaturalibus fidei veritatibus, tamquam rationi inimicis, impugnatis et reiectis, ipse humani generis Auctor ac Redemptor a studiorum Universitatibus, Lyceis et Gymnasiis, atque ab omni publicae humanae vitae consuetudine sensim et paulatim exulare cogitur. - Futurae tandem aeternaeque vitae praemiis ac poenis oblivioni traditis, felicitatis ardens desiderium intra praesentis temporis spatium definitum est. - Hisce doctrinis longe lateque disseminatis, ac tanta cogitandi agendique licentia ubique parta, mirum non est quod infimae sortis homines, pauperculae domus vel officinae pertaesi, in aedes et fortunas ditiorum in violare discu-

» I, Tim, VI, 10.

piant; mirum non est quod nulla iam publicae privataeque vitae tranquillitas consistat, et ad extremam perniciem humanum genus iam pene devenerit.

Supremi autem Eccclesia Pastores, quibus dominici gregis ab hostium insidiis tutandi munus incumbit, mature periculum avertere et fidelium saluti consulere studuerunt. Ut enim primum conflari coeperunt clandestinae societates, quarum sinu errorum, quos memoravimus, semina iam tum fovebantur, Romani Pontifices Clemens XII et Benedictus XIV impia sectarum consilia detegere et de pernicie, quae latenter instrueretur, totius orbis fideles admonere non praetermiserunt. Postquam vero ab iis, qui philosophorum nomine gloriabantur, eflfenis quaedam libertas homini attributa est, et ius novum, ut aiunt, contra naturalem divinamque legem confingi et sanciri coeptum est, fel. mem. Pius Papa VI statim iniquam earum doctrinarum indolem et falsitatem publicis documentis ostendit; simulque apostolica providentia ruinas praedixit, ad quas plebs misere decepta raperetur. - Sed cum nihilominus nulla efficaci ratione cautum fuerit ne prava earum dogmata magis in dies populis persuaderentur, neve in publica regnorum scita evaderent, Pius PP. VII et Leo PP. XII occultas sectas anathemate damnarunt, atque iterum de periculo, quod ab illis impendebat, societatem admonuerunt. - Omnibus denique manifestum est quibus gravissimis verbis et quanta animi firmitate ac constantia gloriosus Decessor Noster Pius IX f. m., sive Allocutionibus habitis, sive litteris encyclicis ad totius orbis Episcopos datis, tum contra iniqua sectarum conanima, tum nominatim contra iam ex ipsis erumpentem Socialismi pestem dimicaverit.

Dolendum autem est eos, quibus communis boni cura demandata est, impiorum hominum fraudibus circumventos et minis perterritus in Ecclesiam semper suspicioso vel etiam iniquo animo fuisse, non intelligentes sectarum conatus in irritum cessuros, si catholicae Ecclesiae doctrina, Romanorumque Pontificum auctoritas, et penes Principes et penes populos, debito semper in honore mansisset. *Ecclesia* namque *Dei vivi,* quae *columna* est *et firmamentum 'veritatis,*[1] eas doctrinas et praecepta tradit, quibus societatis incolumitati et quieti apprime prospicitur, et nefasta Socialismi propago radicitus evehitur.

Quamquam enimvero Socialistae ipso Evangelio abutentes, ad male cautos facilius decipiendos, illud ad suam sententiam detorquere consueverint, tamen tanta est inter eorum prava dogmata et purissimam Christi doctrinam dissensio, ut nulla maior existat: *Quae enim participatio iustitiae cum iniquitate? aut quae societas lucis ad tenebras?*[2] Ii profecto dictitare non desinunt, ut innuimus, omnes

[1] I Tim., III, 15.
* II, Cor., VI, 14.

homines esse inter se natura aequales, ideoque contendunt nec maiestati honorem ac reverentiam, nec legibus, nisi forte ab ipsis ad placitum sancitis, obedientiam deberi. - Contra vero, ex Evangelicis documentis, ea est hominum aequalitas, ut omnes eamdem naturam sortiti, ad eamdem filiorum Dei celsissimam dignitatem vocentur, simulque ut uno eodemque fine omnibus praestituto, singuli secundum eamdem legem iudicandi sint, poenas aut mercedem pro merito consecuturi. Inaequalitas tamen iuris et potestatis ab ipso naturae Auctore dimanat, *ex quo omnis paternitas in caelis et in terra nominatur.*[1] Principum autem et subditorum animi mutuis officiis et iuribus, secundum catholicam doctrinam ac praecepta, ita devinciuntur, ut et imperandi temperetur libido, et obedientiae ratio facilis, firma et nobilissima efficiatur.

Sane Ecclesia subiectae multitudini Apostolicum praeceptum iugiter inculcat : *Non est potestas nisi a Deo ; quae autem sunt, a Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt ipsi sibi damnationem acquirunt.* Atque iterum *necessitate subditos* esse iubet *non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam ;* et *omnibus debita* reddere, *cui tributum tributum, cui vectigal vectigal, cui timorem timorem, cui honorem honorem.*[2] Siquidem qui creavit et gubernat omnia provida sua sapientia disposuit, ut infima per media, media per summa ad suos quaeque fines perveniant. Sicut igitur in ipso regno caelesti Angelorum choros voluit esse distinctos aliosque aliis subiectos; sicut etiam in Ecclesia varios instituit ordinum gradus, officiorumque diversitatem, ut non omnes essent Apostoli, non omnes Doctores, non omnes Pastores;[3] ita etiam constituit in civili societate plures esse ordines, dignitate, iuribus, potestate diversos; quo scilicet civitas, quemadmodum Ecclesia, unum esset corpus, multa membra complectens, alia aliis nobiliora, sed cuncta sibi invicem necessaria et de communi bono sollicita.

At vero ut populorum rectores potestate sibi concessa in aedificationem et non in destructionem utantur, Ecclesia Christi opportunissime monet etiam Principibus supremi iudicis severitatem imminere; et divinae Sapientiae verba usurpans, Dei nomine omnibus inclamat : *Praebete aures vos qui continetis multitudines et placetis vobis in turbis nationum ; quoniam data est a Domino potestas vobis et virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra et cogitationes scrutabitur ... Quoniam iudicium durissimum his qui praesunt fiet... Non enim subtrahet personam cuiusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cuiusquam; quoniam pusillum et magnum ipse fecit,*

[1] Ad Eph., III, 15.
[2] Rom., XIII.
[3] I, Cor., XII.

et aequaliter cura est illi de omnibus. Fortioribus autem fortior instat cruciatio.[1] Si tamen quandoque contingat temere et ultra modum publicam a Principibus potestatem exerceri, catholicae Ecclesiae doctrina in eos insurgere proprio marte non sinit, ne ordinis tranquillitas magis magisque turbetur, neve societas maius exinde detrimentum capiat. Cumque res eo devenerit ut nulla alia spes salutis affulgeat, docet christianae patientiae meritis et instantibus ad Deum precibus remedium esse maturandum. - Quod si legislatorum ac principum placita aliquid sanciverint aut iusserint quod divinae aut naturali legi repugnet, christiani nominis dignitas et officium atque Apostolica sententia suadent ***obediendum*** esse ***magis Deo quam hominibus.***[2]

Salutem porro Ecclesiae virtutem quae in civilis societatis ordinatissimum regimen et conservationem redundat, ipsa etiam domestica societas, quae omnis civitatis et regni principium est, necessario sentit et experitur. Nostis enim, Venerabiles Fratres, rectam huius societatis rationem, secundum naturalis iuris necessitatem, in indissolubili viri ac mulieris unione primo inniti, et mutuis parentes inter et filios, dominos ac servos officiis iuribusque compleri. Nostis etiam per Socialismi placita eam pene dissolvi; siquidem firmitate amissa» quae ex religioso coniugio in ipsam refunditur, necesse est ipsam patris in prolem potestatem, et prolis erga genitores officia maxime relaxari. Contra vero ***honorabile in omnibus connubium,*** * quod in ipso mundi exordio ad humanam speciem propagandam et conservandam Deus ipse instituit et inseparabile decrevit, firmius etiam et sanctius Ecclesia docet evasisse per Christum, qui Sacramenti ei contilit dignitatem, et suae cum Ecclesia unionis formam voluit referre. Quapropter, Apostolo monente,[4] sicut Christus caput est Ecclesiae, ita vir caput est mulieris; et quemadmodum Ecclesia subiecta est Christo» qui eam castissimo perpetuoque amore complectitur, ita et mulieres viris suis decet esse subiectas, ab ipsis vicissim fideli constantique affectu diligendas. - Similiter patriae atque herilis potestatis ita Ecclesia rationem moderatur, ut ad filios ac famulos iri officio continendos valeat, nec tamen praeter modum excrescat. Secundum namque catholica documenta, in parentes et dominos caelestis Patris ac Domini dimanat auctoritas, quae idcirco ab ipso non solum originem ac vim sumit, sed etiam naturam et indolem necesse est mutuetur. Hinc liberos Apostolus hortatur ***obedire parentibus suis in Domino, et honorare patrem suum et matrem suam, quod est mandatum primum in promissione.***[5] Parentibus autem mandat: ***Et vos,***

* Cap. VI.
[2] Act., V, 29.
3 Hebr., XIII.
4 Ad Eph., V.
s Ad Eph., VI, 1, 2.

patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educate illos in disciplina et correptione Domini.[1] Rursus autem servis ac dominis per eumdem Apostolum divinum praeceptum proponitur, ut illi quidem obediant *dominis carnalibus sicut Christo... cum bona voluntate servientes sicut Domino :* isti autem *remittant minas, scientes, quia omnium Dominus est in caelis et personarum acceptio non est apud Deum.*[2] - Quae quidem omnia si secundum divinae voluntatis placitum diligenter a singulis, ad quos pertinet, servarentur, quaelibet profecto familia caelestis domus imaginem quamdam praeseferret, et praeclara exinde beneficia parta, non intra domesticos tantum parietes sese continerent, sed in ipsas respublicas uberrime dimanarent.

Publicae autem ac domesticae tranquillitati catholica sapientia, naturalis divinaeque legis praeceptis suffulta, consultissime providit etiam per ea quae sentit ac docet de iure dominii et partitione bonorum quae ad vitae necessitatem et utilitatem sunt comparata. Cum enim Socialistae ius proprietatis tamquam humanum inventum, naturali hominum aequalitati repugnans traducant, et communionem bonorum affectantes, pauperiem haud aequo animo esse perferendam, et ditiorum possessiones ac iura impune violari posse arbitrentur; Ecclesia multo satius et utilius inaequalitatem inter homines, corporis ingeniique viribus naturaliter diversos, etiam in bonis possidendis agnoscit, et ius proprietatis ac dominii, ab ipsa natura profectum intactum cuilibet et inviòlatum esse iubet: novit enim furtum ac rapinam a Deo, omnis iuris auctore ac vindice, ita fuisse prohibita, ut aliena vel conspicere non liceat, furesque et raptores, non secus ac adulteri et idololatrae, a caelesti regno excludantur. - Nec tamen idcirco pauperum curam negligit, aut ipsorum necessitatibus consulere pia mater praetermittit: quin imo materno illos complectens affectu, et probe noscens eos gerere ipsius Christi personam, qui sibi praestitum beneficium putat, quod vel in minimum pauperem a quopiam fuerit collatum, magno illos habet in honore: omni qua potest ope sublevat; domos atque hospitia iis excipiendis, alendis et curandis ubique terrarum curat erigenda, eaque in suam recipit tutelam. Gravissimo divites urget praecepto, ut quod superest pauperibus tribuant; eosque divino terret iudicio, quo, nisi egenorum inopiae succurrant, aeternis sint suppliciis mulctandi. Tandem pauperum animos maxime recreat ac solatur, sive exemplum Christi obiicens, qui *cum esset dives propter nos egenus factus est;*[3] sive eiusdem verba recolens, quibus pauperes beatos edixit et aeternae beatitudinis praemia sperare iussit. - Quis autem non videat optimam

[1] Ibid., v. **4.**
[2] Ibid., vv. 5, 6, 7.
3 II, Cor., VIII, **9.**

hanc esse vetustissimi inter pauperes et divites dissidii componendi rationem? Sicut enim ipsa rerum factorumque evidentia demonstrat, ea ratione reiecta aut posthabita, alterutrum contingat necesse est, ut vel maxima humani generis pars in turpissimam mancipiorum conditionem relabatur quae diu penes ethnicos obtinuit; aut humana societas continuis sit agitanda motibus, rapinis ac latrocináis funestanda, prout recentibus etiam temporibus contigisse dolemus.

Quae cum ita sint, Venerabiles Fratres, Nos, quibus modo totius Ecclesiae regimen incumbit, sicut a Pontificatus exordiis populis ac Principibus dira tempestate iactis portum commonstravimus quo se tutissime reciperent; ita nunc extremo, quod instat, periculo commoti Apostolicam vocem ad eos rursus attollimus; eosque per propriam ipsorum ac reipublicae salutem iterum iterumque precamur, obstantes, ut Ecclesiam, de publica regnorum prosperitate tam egregie meritam, magistram recipiant et audiant; planeque sentiant, rationes regni et religionis ita esse coniunctas, ut quantum de hac detrahitur, tantum de subditorum officio et de imperii maiestate decedat. Et cum ad Socialismi pestem avertendam tantam Ecclesiae Christi virtutem noverint inesse, quanta nec humanis legibus inest, nec magistratuum cohibitionibus, nec militum armis, ipsam Ecclesiam in eam tandem conditionem libertatemque restituant, qua saluberrimam vim suam in totius humanae societatis commodum possit exerere.

Vos autem, Venerabiles Fratres, qui ingruentium malorum originem et indolem perspectam habetis, in id toto animi nisu ac contentione incumbite, ut catholica doctrina in omnium animos inseratur atque alte descendat. Satagite ut vel a teneris annis omnes assuescant Deum filiali amore complecti, eiusque numen vereri; Principum legumque maiestati obsequium praestare; a cupiditatibus temperare, et ordinem quem Deus sive in civili sive in domestica societate constituit, diligenter custodire. Insuper adlaboretis oportet ut Ecclesiae catholicae filii neque nomen dare, neque abominatae sectae favere ulla ratione audeant: quin imo, per egregia facinora et honestam in omnibus agendi rationem ostendant, quam bene feliciterque humana consisteret societas, si singula membra recte factis et virtutibus praefulgerent. - Tandem cum Socialismi sectatores ex hominum genere potissimum quaerantur qui artes exercent vel operas locant, quique laborum forte pertaesi divitiarum spe ac bonorum promissione facillime alliciuntur, opportunum videtur artificum atque opificum societates fovere, quae sub religionis tutela constitutae omnes socios sua sorte contentos operumque patientes efficiant, et ad quietam ac tranquillam vitam agendam inducant.

Nostris autem vestrisque coeptis, Venerabiles Fratres, Ille aspiret, cui omnis boni principium et exitum acceptum referre cogimur. - Caeterum in spem praesentissimi auxilii ipsa Nos horum dierum

erigit ratio, quibus Domini Natalis dies anniversaria celebritate recolitur. Quam enim Christus nascens senescenti iam mundo et in malorum extrema pene dilapso novam intulit salutem, eam nos quoque sperare iubet; pacemque, quam tunc per Angelos hominibus nuntiavit, nobis etiam se daturum promisit. Neque enim *abbreviata est manus Domini ut salvare nequeat, neque aggravata est auris eius ut non exaudiat.*[1] His igitur auspicatissimis diebus Vobis, Venerabiles Fratres, et fidelibus Ecclesiarum vestrarum fausta omnia ac laeta ominantes, bonorum omnium Datorem enixe precamur, ut rursum *hominibus appareat benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei,*[2] qui nos ab infènsissimi hostis potestate ereptos in nobilissimam filiorum transulit dignitatem. - Atque ut citius ac plenius voti compotes simus, férvidas ad Deum preces et ipsi Nobiscum adhibete, Venerabiles Fratres; et B. Virginis Mariae ab origine Immaculatae, eiusque Sponsi Ioseph ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli, quorum suffragiis maxime confidimus, patrocinium interponite. - Interim autem divinorum munerum auspicem Apostolicam Benedictionem, intimo cordis affectu, Vobis, Venerabiles Fratres, vestroque Clero ac fidelibus populis universis in Domino impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum, die 28 decembris 1878.

Pontificatus Nostri Anno Primo.

LEO PP. XIII.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

FUNERUM ET EMOLUMENTORUM.[3]

Die 20 iulii 1878.

Compendium facti. Usque ab anno 1869 in quodam Thusciae oppido erectum fuit Sodalitium a Misericordia nuncupatum ; cuius praecipuum officium erat, opera charitatis et religionis, praesertim erga defunctos, explere. In hoc tamen

' Is., LIX, 1.

* Tit. III, 4.

3 Recole Vol. III, pag. 47 et seqq., Vol. VII, pag. 161, Vol. VIII, pag. 528 et seqq., Vol. X, pag. 605.

obeundo munere, tractu temporis parochialem iurisdictionem invadere visum est. Eoquod Sodalitium non solum prohibuit Parochis, ne elata Cruce, ad habitationem defuncti accederent, ad benedicendum cadaver, antequam de domo levaretur, sed expectarent ante fores parochialis Ecclesiae; verum etiam, iustis persolutis, una cum proprio Capellano in consuetudine habuit, defunctorum cadavera ad commune coemeterium afferre, absque Parochi praesentia. Anno 1876 accidit ut mortem oppeteret quidam dives Parochianus S. Mariae in Coelum Assumptae. Expletis, de more, parentalibus, in parochiali Ecclesia super ipsius cadaver, cum illud, ex haeredum voluntate evehendum esset ad Archiconfraternitatis Misericordiae coemeterium proximae Civitatis, Capellanus praedicti Sodalitii sedula curavit opera, ut ad hoc munus prae Parocho eligeretur. Quod revera factum est, non obstantibus Parochi protestationibus; qui ab hac agendi ratione iura sua violata, suamque iurisdictionem pessumdatam esse existimans, S. Concilii Congregationem adivit varia proponens dubia. Episcopus de more rogatus, sententiam Parocho favorabilem emisit.

Disceptatio synoptica.

CAPELLANI SODALITII IURA. **Asseruit iste ex tacito parochorum consensu, Sodalitatem a Misericordia nuncupatam, usque ad initio suae fundationis exercuisse charitativum opus delationis cadaverum ad Ecclesiam. Quoniam Parochi nil egerunt ut propria iura protuerentur, ait Capellanus, iniuria Parochus quaeritur de iurium violatione, cum notum sit consensum tacitum expresso aequiparari /. *Cum quid ff,. Si cert. pet.* Quinimo adiecit, se retulisse consensum Parochi Ecclesiae principalis dicti oppidi ; qui in favorem Confraternitatis, suum ius in funeribus abdicavit. Quoad delationem vero cadaverum ad publicum coemeterium, hoc ius ex consuetudine sibi derivare propugnavit et testimoniis evincere sategit. Iure hoc frui, ait, omnia Thusciae Sodalitia a Misericordia nuncupata.**

Quae res quantam vim in themate afferat, quisque deprehen-•dit ; nam Card. De Luca de huiusmodi locorum adiacentium observantia loquens *Dis. 41, n. 7 de feudis* tradit : « Con-« suetudo autem locorum adiacentium et vicinorum, tamquam « observantia interpretativa satis attendenda venit ».

Multa congessit testimonia ab aliis Capellanis eorumdem Sodalitiorum a Misericordia in Thuscia nuncupatorum; qui de consuetudine deposuerunt associandi cadavera ad coemeterium per Capellanos eosdem. Ex quibus testimoniis eruit nullam intulisse Parocho iniuriam, neque ipsius iura violasse ; regula enim iuris est : *quod nullus iniuriam patitur, cuius ius non violatur.*

Neque infirmatur consuetudo haec quia iuria parochialia respiciat, in quibus nulla admittitur praescriptio. Tradunt enim DD. associationem per viam esse actum indifferentem, qui non constituit essentiam funeris, et in quo Parochus nullam exercet iurisdictionem supra cadaver, sed illud associare dicitur una cum aliis, ut probat Barbosa, *de Offic, de potest. Par oc k., cap. ç, n. u.*

Idem roboratur per rubricas Ritualis Romani; per quas distinguitur cadaverum associatio, quae fit de domo ad Ecclesiam, ab ea qua cadavera de Ecclesia ad coemeterium transferuntur. Quoad primam associationem Rituale requirit Parochi praesentiam ... *deinde cadaver effertur, Parockusque de domo procedens, statimque brevi voce intonai..,* Si de alia associatione sermo fit, sufficit ut quivis Sacerdos cadavera comitetur. *Sacerdos cum autem pervenerit ad sepulchrum, si non est benedictum illud benedicit.* Itaque ex Rituali Romano quivis Sacerdos, quin ulla speciali Parochi delegatione opus habeat, ius habet cadavera de Ecclesia ad coemeterium deferendi. Ideoque Parochus iniuria questus movet, cum per huiusmodi associationem nullius iura violata fuerint. Pariterque inepte a Parocho repeti emolumenta ; quae vi peractae associationis idem Capellanus assequutus est. In iure scitum est enim, tunc tantum decerni oportere sive fructuum, sive emolumentorum restitu-

tionem, cum evidens mala fides in emolumentorum perceptione interfuerit ; quod in themate abfuit. Omnibus hisce adiiciendum est praefatum emolumentum solutum fuisse pro labore et opere.

PAROCHI IURA. **Contra sed vero liquet, ex ss. Canonum dispositione, omnes actus iurisdictionales, qui sive in domo defuncti, sive per viam, sive intra ecclesiam parochialem explentur, ad Parochum pertinere, ceu pluries resolvit Sacra Rituum Congregatio et praecipue in Aversana /5** ***septembris*** *1640* **et Novarien,** *21* ***septembris*** *1681.* **Quare ad officium Parochi spectat benedicere cadaver illudque de domo levare, designare vias per quas processio ducenda est, et illam dirigere ab initio usque ad finem, Antiphonas et psalmos intonare aliaque his similia peragere usque ad cadaveris tumulationem, Barbos.,** ***de Paroch., cap.*** *26,* ***n,*** *74;* **Lezzan.,** ***in sum. Regul., verb. Defunctus, n. 4;*** **Panimol.,** ***decis. i, adnot. i, n.*** **7. Et enim ceu ad Parochum spectat vivos sacramentis reficere ita ad eumdem pertinet eos in funere efferre, atque humo tradere mortuos ex** ***dem. Dudum de sepult.*** **Decet enim ut Parochi, iuxta illud Apostoli, sint** ***consolationum Socii, qui fuerunt passionum,*** **ut habet expresse textus in Cap. i.** ***de Sepulluris.*** **Quibus igitur perpensis atque consuetudine in toto orbe vigente, haud ambigendum esset circa ius quod Parocho adsistit peragendi cadaverum associationem a loco habitationis ad ecclesiam et ad sepulturam.**

Frustra autem Capellanum confugere ad tacitum Parochorum consensum, quem putat expresso aequiparari posse, et ad renuntiationem iurium in funeribus, favore dictae Confraternitatis a Parocho principalis Ecclesiae praenominati oppidi. Etenim quoad tacitum consensum observat Parochus, iurium parochialium violationem, ex quadam morali vi, usque adhuc se pati debuisse. In iure tamen principium firmatum est ***L. Filius, f am.*** *8,* ***ß. de Procur.,*** **qui tacet, et patitur, consentire non videtur in his, quae praeiudicium afferunt. Renuntiatio vero iurium in funeribus facta, primo ab Episcopo negatur, secundo obligare tantum renuntiantem et non alios.**

Quae cum ita sint, quovis destituitur valore argumentum Capellani ex iurium parochialium abdicatone seu ex consensu et abdicatione parochorum desumptum.

Pariter, post hoc, frustra consuetudine roborari praesumitur ius eiusmodi, quia consuetudo nondum sit decennalis quaeque, licet centenaria, Parochorum iura minime périmerez *S. Cong. in Baren. Iur. paroch. 29 ian. 1821.* **Minusque posset iuvari a consuetudine quae in locis vicinioribus viget; quia tralatitii iuris est, consuetudinem in praeciso loco esse attendendam. Rubrica autem Ritualis Romani loquitur semper de Parocho, ita ut si aliquis nominetur Sacerdos, id fit, quia parochus cum nolit, vel nequeat funus deducere usque ad finem, sacerdotem delegare debeat ad functionem prosequendam.**

Itaque eruitur omni basi iuridica destitui rationum momenta Capellani, et delationem cadaveris parochiani divitis ad coemeterium proximae civitatis, a parocho peragi debuisse; quia delatio cadaveris ad sepulturam, habetur ceu continuatio funeris, quod iam in Ecclesia expletum est, s. Congr, *in Gamberinen. Elationis Cadaverum, Funerum et Sepulturae diei 8 iulii 1876;* **et tunc solummodo expleta funera censentur cum in sepulchrum condita fuisse cadavera comperietur. Monacell.,** *in formul, legal, praetio, for. Eccles, append. post, decis. 15, n. 4;* **Passerin.,** *de statu Horn, tom, 2 quaest, 187, art. 4, n. 491.* **Quo posito indubie emolumentorum restitutio demandanda videtur. Constans enim S. C. Concilii praxis est emolumentorum funeris restitutionem imperare quoties dicta emolumenta iniuste percepta fuere, bona licet concurrente fide, prout exempla prostant in** *Callien. seu Urbinaten. Iuris tumulandi 30 aug. 1817, ad 2 dubium.*

Hisce animadversis in utramque partem proposita fuere resolvenda

Dubia.

I. *An et cui competat ius associandi cadavera ad Ecclesiam et sepulturam, etiam extra Dioecesim in casu?*

Et quatenus affirmative favore Parochi.

II. ***An sit locus restitutioni emolumentorum in casu?***

RESOLUTIO.

S. C. Concilii, causa cognita, sub die 20 iulii 1878 respondere censuit:

Ad I. ***Affirmative favore Parochi et amplius.***

Ad II. ***Affirmative et amplius.***

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Omnes~actus iurisdictionis, qui sive in domo defuncti sive per viam, sive intra Ecclesiam parochialem explentur, ad Parochum pertinere iuxta SS. Canonum sanctionem ac quamplurimas S. Rituum Congregationis resolutiones.

II. Ideoque ius associandi cadavera ad Ecclesiam et sepulturam (etiam extra Dioecesim) pertinere ad proprium parochum ;[1] **qui, ad hunc effectuai, et ille dicitur proprius in cuius paroecia aliquis decessit, etiamsi per breve tempus in ea moratus sit aut** ***perfunctorie.***

III. Emolumenta funeraria deberi parochis, non ratione laboris in corporibus humandis adhibiti, sed quia Parochus populum praedicatione instruit, divina celebrat officia, nocte dieque sacramenta ministrat, precesque pro populo effundit.

IV. Neque dici posse parochum iuribus parochialibus tacito consensu nuncium dedisse, si ex quadam vi morali aliquando ferre debuit, ut haec iura ab alio violarentur : nam ***quae propter necessitatem recepta sunt, non debent in argumentum trahi.*** **Paulus, /.** *162,* ***de reg. iur.***

V. In themate ergo Sodalitii Capellanum associare cadavera haud valuisse neque ex iure, neque ex consuetudine, utpote quae decennalis non erat ; neque emolumenta funeralia percipere, quae omnino Parocho debentur.

[1] Volumine III, pag. 41 relatam habes causam in qua disceptatum fuit inter plures praetendentes, cuius esset ius associandi cadaver de una ad aliam civitatem.

REINTEGRATIONIS IN PAROECIAM.

Die 23 martii 1878.

Compendium facti. Cuidam Galliarum Episcopo innotuit Sacerdotem Dominicum M. parochum amovibilem (vulgo *desservant)* loci S. lapidum commercium exercendo, scandali suo populo esse, ac ob suum inquietum ingenium causam iurgüs persaepe dare, atque effecisse, ut quaedam soror pii instituti, Doctrinae Christianae, quae in paroecia puellarum instructioni atque educationi vacabat, dictum locum desereret. Quapropter antistes Dominicum monuit ut a lapidum commercio cessaret, simulque diceret quanam praecise de causa praefata soror suam paroeciam reliquisset. Illico sacerdos coram suo Episcopo stetit, ut ab his accusationibus sese purgaret.

Sed parum profecisse videtur, namque paucos post menses ad ipsum pervenerunt litterae a Curia Episcopali datae die 7 iunii 1874, quibus eius translatio ad aliam minoris momenti paroeciam decernebatur. Obstitit parochus et interposita appellatione ab eiusmodi decreto ad Apostolicam Sedem, a Curia petiit epistolas quas *apostolos* vocant, ut rem totam deferret S. C. Concilii. Elapso termino in Curiae litteris statuto ut priorem paroeciam desereret nonobstante appellatione, per sententiam iudicis pacis ipsi iniunctum fuit parochialem domum relinquere, intra terminum vigintiquatuor horarum. Tune ad novam paroeciam perrexit.

Ex hoc loco litteras Curiae dedit, declarans sese subiicere Episcopi iudicio, ac petens tabulas nominationis ad novam regendam Ecclesiam. Vicarius Generalis respondit in votis esse Episcopi, ut ante nominationis susceptionem, cum ipso colloqueretur et inde per dies quindecim spiritualibus vacaret exercitiis. Nimium dura sibi mandari reputans Dominicus, prius obedire recusavit; sed cum Vicarius Generalis iterum scripserit sese alium sacerdotem in novam paroeciam missurum, si intra

decem dierum spatium Episcopi mandatis non obtemperaret, Curiam petiit, renunciationem antiquae paroeciae scripto emisit atque subsignavit, simulque omnibus Episcopi mandatis exequendis se paratum exhibuit, veniam implorans ob scandalum ex sua ortum contumacia.

Post haec litteras nominationis accepit. Ast vix ad novam paroeciam pervenit, facti poenitens, coepit conqueri de damno sibi illato, tum quoad honorem, tum quoad interesse ob passam translationem. Hinc supplici libello oblato S. C. Concilii petiit restitutionem in antiquam paroeciam. S. Congregatio, habita Episcopi informatione, et cognito recurrentem sacerdotem pluries, ob sui malam agendi rationem ab aliis paroeciis translatum fuisse, ac etiam suspensione punitum ; comperto ipsum nuncium misisse primae paroeciae, in qua lapidum negotium exercuerat ; publicum functionarium, vulgo *Maire* iniuriis scripto affecisse ac suis iurgiis in causa fuisse ut supra memorata magistra paroeciam illam desereret, die i decembris 1874 rescripsit : *Lectum ad instantiam.*

Huius decreti rigore haud fractus Dominicus, institit coram S. Congregatione contendens, sese vi et metu coactum, priori paroeciae nuncium misisse et novam acceptasse ; ac monumentis exhibitis, curavit ostendere se immunem ab iis criminibus, ob quae amotus fuerat.

Episcopus, cui haec patefacta sunt, retulit falsum esse renunciationem vi metuque extortam fuisse, ceu facile comperiebatur ex epistolis Dominici; causas vero remotionis plures haberi, inter quas sequentes recensebat - ibi - « Plura sunt quae in « loco S..., nullius amplius existimationis virum esse sinebant, « ea vero potissimum : i. Nimii sumptus quibus prodibat in « lautiorem mensam. 2. Aes alienum ingens, quo se obstrin- gi gebat. 3. Quaestuosae negotiationes, quibus incumbebat inde- xe eorumque mercimonium. 4. Eae demum graves controversiae « ac contentiones, quibus perpetuo implicabatur cum publicis « tum huius loci, tum etiam regionis seu prefecturae magi- ae stratibus et administratoribus ».

Habitis his, quaestio remissa fuit ad Metropolitanum Decreto : *Altenas noviter deductis, Orator utatur iure suo coram Metropolitano.* **Verum cum huiusmodi iudicium locum non habuisset, rogatus ut super expositis informationes transmitteret ac suam aperiret sententiam, Metropolitanus transmisit depositiones testium, ab ipso parocho iam adductas, atque silam sententiam aperuit pro coactionis exclusione. Tunc suetum decretum editum fuit:** ***Ponatur in folio.***

Omnibus rite expletis, defensores hinc inde adlecti ad dubii concordationem vocati sunt, atque ipsis dissentientibus, ex officio, prout moris est, dubium in calce positum concinnatum fuit ; quo acceptato ab Episcopi defensore, parti renuenti facta fuit facultas disputandi super dubio in die propositionis causae. Rebus sic stantibus, causa proposita fuit in plenariis S. C. comitiis.

Disceptatio synoptica.

DEFENSIO DOMINICI. **Dominici defensor duplicem dubii formulam proponendo, duas partes orationem suam dividebat inquirendo in prima, an causae legitimae adessent remotionis, in altera an acceptatio novae paroeciae ex parte sui clientis, impedimento esse potuisset quominus eius redintegrationi fieret locus.**

Praemittebat causas legitimas esse necessarias etiam ad removendus eos parochos qui ***desservants*** **in Gallia vocantur, quamvis in officio ad Ordinarii placitum beneperdurent. Nam cum in istiusmodi parochis instituendis recessum fuerit a canonicis sanctionibus quae parochum stabilem praeseferunt, omni studio curandum ut talis recessus in quantum fieri possit, minimus evadat; ac ea propter SS. Congregationes principium statuisse ne absque ulla causa possent removeri.**

Iamvero in casu binas tantum afferri causas, nempe magistrae a paroecia discessum et commercium petrarum. Ambas vero falsas esse affirmabat.

Quoad primam causam afferebat litteras scriptas parocho tura a Superiori Sororum a Doctrina Christiana, tum ipsius nomine a Sorore adsistente, tum demum ab ipsa magistra quae a paroecia discesserat. Contendebat defensor constare ex prima, magistram fere triumphantem oppidum ingressam fuisse opere praesertim parochi ; ex altera locum deseruisse quia *Maire* ei formalem nominationem recusabat, debitam mercedem ei non solvebat, et domus, quam *Maire* non restaurabat, insalubris erat; ex postrema palam fieri, non modo parochum causam non fuisse discessionis magistrae, sed eam beneficiis esse prosecutum, imo vero etiam ex aere suo illi mercedem in antecessum persolvisse.

Quo vero ad causam commercii petrarum, inquiebat non esse negotiationem ubi causa lucri cessat *cap. ij, dis.* 88: *quid est aliud negotium nisi quae possint vilius comparari carius velle distrahere?* Dominicum vero non lucri faciendi causa cum quodam lapidicinarum magistro negocium habuisse, sed ut faveret cuidam parocho, qui pro suae ecclesiae restaurationem exquirebat lapides melioris qualitatis. Ut haec luculentius ostenderet Orator proferebat litteras susceptoris operum ; attestationem illius viri, qui in statione viae ferreae lapidum expeditioni praefuerat, ac tandem testimonium architecti qui in huiusmodi petrarum negocio nullum compendium favore parochi reperiisse asserit.

Post haec quibusdam exhibitis attestationibus defensor curabat purgare suum clientem ex accusationibus, quod esset triplici iudiciali sententia damnatus; quod ob inconsideratos sumptus aere alieno premeretur; et tanquam tribunus excitaret parochianoS in sui favorem ; quam rem, si vera esset, magnum argumentum praebere subdebat, optimae existimationis qua Dominicus in sua paroecia gaudebat.

Quapropter concludebat causas remotionis in casu minime adesse, ideoque parochum recurrentem haud recte remotum fuisse eo vel magis quod in casu conçurrebant causae malitiae, odii, infamiae, scandali, damni propter quas iuxta interpretes

iuris a removendo parocho, etiam amovibili est abstinendum. Sustinebat adfuisse malitiam, quia ex supra expositis patebat nonnisi ex pravo animo delatum fuisse Episcopo, Dominicum in causa fuisse magistrae discessus et petrarum negotiationem exercuisse; odium, quia accusatorem quemdam putabat cuius scandala parochus graviter exprobraverat : infamiam, quia per remotionem laesa fama parochi solummodo restitutionis beneficio recuperari poterat ; scandalum, quia graviores causae remotionis ab inimicis parochi evulgatae fuerunt ; damnum quia ex antiqua paroecia fr. 1985 parocho quotannis redibant, dum ex nova nonnisi fr. 11 io percipiebat, ita ut singulis annis fr 844 iacturam pateretur.

Hisce absolutis transit defensor ad secundam suae orationis partem, ac enititur ostendere, emissam renunciationem prioris parochiae et acceptationem novae, non obesse, quominus ad primam restitui possit, vel quia nullam vel quia factam animo appellationem prosequendi *in devolutivo.*

Ex eo quod Episcopus scriptam renunciationem a parocho amovibili exegit, deducebat defensor et ipsum scire et admittere, necessariam esse iustam causam pro remotione decernenda ; cum vero causa haec in casu deficeret, argumentum haberi subdebat de coactione a parocho passa in renunciatione emittenda. Atqui renunciatio, ad tradita per Parisium *De résignât., lib. 13, çu.* **5,** *n. 4 et* **5, ut vim habeat, sponte, libere et cum causa emitti debet ; quae extrema cum in casu haud verificarentur, renunciationem Dominici aperta nullitate laborare deducebat.**

Haec omnia probare satagebat ex antecedentibus renunciationem. Nam vix parochus petiit apostolos, Episcopus declaravit, eius iurisdictionem expiraturam die i insequentis iulii 1874, ac apostolos denegavit, nisi prius e domo parochiali supellectilia asportaret; praefixo ad hoc eidem termino viginti quatuor horarum per apparitores tribunalis civilis. Neque satis. Dominicus novam oblatam paroeciam acceptat: ast nominatio ei denegatur, nisi ad Ordinarium se conferat

et per quindecim dies vacet spiritualibus exercitiis. Cum vero parere detrectet ipsi praefinitur tempus decem dierum, quibus inutiliter elapsis, etiam secunda paroecia privatus fuisset. Hinc parocho duas tantum vias mansisse, vel voluntatem Episcopi omnino exequi, vel omnia perdere. Nempe perdere vitam, quia parochia et facultate celebrandi privatus, media ad vivendum amplius non habuisset; perdere bona, quia pauca supellectilia quae habebat, in mediam viam erant proiicienda; perdere famam, quia qui a competenti auctoritate officiis et bonis privatur, magnam patitur nominis iacturam. Hisce pressus angustiis Curiam Episcopalem adivit, impositam renunciationem subscripsit. Ast quis credat libere et sponte signatam fuisse?

Verum quae vi metuque fiunt nullius sunt roboris *Cap. Ad audientiam de his qnac vi metusq.* etc. ac teste Parisio *De Resign. lib. ij, q. i, n. io.* « Renuncians beneficium ob metum « excommunicationis imminentis, de qua fuit minitatus per « episcopum aut vicarium vel alium ordinarium, si non renun- « ciaret, potest dicere nullam renunciationem ». Ergo nulla omnino iudicari debet renunciatio in casu, eo vel magis quod periculum erat et bona et famam amittendi.

Denique etiam ex defectu causae renunciationis nullitatem arguebat defensor, testante eodem Parisio *lib.* 5, *q. /, n.* 2, ibi: « In resignationibus requiri causam, est communis omnium « doctorum opinio », et tam ex parte resignantis, quam ex acceptantis, « ex parte illius... quia in dubio non praesumitur « iactatio proprii, ex parte superioris... quia non admisisset « si iusta causa admittendi non adesset ».

His disputatis conabatur defensor refutare quosdam testes deponentes die 28 iunii parochum coram Episcopo vocatum fuisse non ut signaret renunciationem, sed quia « publice plura « sparserat mendacia non sine laesione debiti honoris erga « legatum apostolicum, nec sine religionis detrimento, apud « fideles vel etiam apud clerum ».

Observabat eiusmodi testimonium esse aspernendum, utpote Vicarii Generalis, qui unum idemque tribunal cum Episcopo

efficit, ideoque esset iudex et pars. Insuper in resignationis actu, neque verbum neque vola reperiri, ex quibus erui possit parochum vocatum fuisse ut retractaret ea quae contra apostolicum legatum dixerat. Quod si de scandalo retractando sermo esse potuit, hoc nihil aliud respicere debuit, quam scandalum ortum ex parochi oppositione mandatis Episcopi. Sed huius scandali quis auctor erit reputandus?

Denique ex attestationibus trium presbyterorum ab Metropolitano transmissis, conabatur demonstrare, parochum eum in finem tantum vocatum fuisse ut antiquam dimitteret et novam accepto haberet paroeciam; scandalum vero quod opponitur nihil aliud fuisse quam protestatio de interponenda appellatione ad S. Sedem ac conquestus de sibi illatis violentus.

Quapropter cum causae remotionis in casu minime adessent; cum renunciatio vi metuque facta fuerit ac sine causa, cumque ea quae opponuntur suo clienti, vel falsa vel nullius momenti essent, nihil obstare asserebat quominus in sua antiqua paroecia restitueretur.

DEFENSIO EPISCOPI. Contrarius Orator duplici ex capite defendenda suscepit ea omnia quae Episcopus gesserat. In primo totus in eo fuit, ut ostenderet parocho vel metum illatum non fuisse, vel iuste fuisse illatum, ac propterea emissam renunciationem omni ex parte in sua validitate subsistere.

Animadvertebat in primis parochum novam paroeciam acceptasse per epistolam antequam ad Curiam sese conferret, quando nempe violentia et metus locum adhuc habere non poterant; insuper ex attestatione quatuor Sacerdotum, qui illi adfuerunt audientiae, erui dicebat nullam parocho factam fuisse violentiam ac sponte renunciationem emisisse. Haec vero confirmari a relatione Archiepiscopi, cui res iudicanda commissa fuerat.

Neque opponi posse sustinebat, parochum adductum fuisse ad primam acceptationis literam scribendam, ex metu sine tecto remanendi, cum exspulsionis sententiae executio immi-

neret, ad aliam vero ex metu a Vicario Generali per litteras sibi incusso perdendi ambas paroecias; nam iuxta disciplinam vigentem in Gallia, ab eiusmodi vel remotionis vel translationis decretis poterat appellare, quamvis appellatio non suspensivum sed tantum devolutivum effectum obtineret. Quapropter praetensum metum vel omnino exulare dicebat, vel iuste incussum fuisse. Porro si parochus, prout debebat, Episcopi mandatis obtemperasset, et, appellatione pendente, ad novam paroeciam se trastulisset, neque expulsionis sententiae, neque periculo sine tecto et substentationis mediis manendi, sese exposuisset. Igitur violentam expulsionem (ceterum a Syndico provócatam non ab Episcopo) e domo parochiali ac metum manendi sine mediis vivendo necessariis, suae imputaret temeritati ac pervicaciae, ob quas Episcopo parere obstinate renuebat, reparare detrectans scandala, quae praebuerat episcopalem auctoritatem contemnendo et mendacia pontificio legato iniuriosa proferendo.

Hinc concludebat Orator, vel metum non adfuisse, vel fuisse iuste incussum, atque ideo in utroque casu, factam renunciationem, validam fuisse.

In secunda suae orationis parte, defensor demonstrandum suscepit, Episcopum suo iure usum fuisse decernendo translationem atque legitimas habuisse causas.

Haec ut suaderet recolebat post concordatum anni 1801 in Gallia duas parochorum species inductas fuisse, nempe parochos inamovibiles eligendos cum consensu Gubernii a quo dotationem accipiunt, et parochos *vicarios, desservants* appellatos, minoribus paroeciis seu succursalibus praepositos, qui ab Episcopis libere eliguntur et removeri possunt; quique quamvis olim fidelium tantum eleemosynis alerèntur, hodie tamen a Gubernio pensionem minorem quam ceteri parochi obtinent Bouix *tract. De par., p. i, sess.* 4, *c.* 4, *cap.* 2, *pag.* 2.

Quam disciplinam parochorum amovibilium, licet multi oppugnaverint, probatam fuisse addebat ab Apostolica Sede responso dato a Gregorio XVI s. m. Episcopo Leodiensi.

Porro hic proposuerat sequens dubium : « An attentis prae-
« sentium rerum circumstantiis in regionibus in quibus ut in
« Belgio, sufficiens legum civilium fieri non potuit immutatio,
« valeat et in coscientia obliget usque ad S. Sedis aliam
« dispositionem, disciplina inducta post concordatum anni 1801
« ex quo Episcopi rectoribus Ecclesiarum quae vocantur suc-
« cúrsales iurisdictionem conferre solent ad nutum revocabilem
« et illi si revocentur vel alio mittantur teneantur obedire ? ».

Huic dubio die i maii 184.5 responsum fuit: « SSmus etc.
« benigne annuit ut in regimine Ecclesiarum succursalium de
« quibus agitur, nulla immutatio fiat donec aliter a S. Sede
« statutum fuerit ». Imo huiusmodi disciplinam et a f. r. Pii IX
confirmatam fuisse instabat. Nam in rescripto diei 5 octo-
bris 1864 ad Episcopum Ebroicensem, cuius ope reprobavit
opusculum sacerdotis Dagomer propugnantis revocationem
praefatae disciplinae, inter allatas rationes haec reperiuntur:
« Tum quia Episcopos incusare veritus non sit ac si proba-
«c bili causa parochos amovibiles vulgo *desservants* transferre
« incaute soleant, tum quia iudicis partes occupaverit in quae-
ri stione S. Sedi reservata ».

Ex quibus deducebat Episcopum in casu usum fuisse suo
iure Dominicum transferendo, quia Ecclesiarum succursalium
rectores, ut ipse erat, considerari possunt (ceu perpenditur
in *Engolismen. - Remotionis - 14 decembris 18/2,* § *Hoc posito)*
« vel uti Vicarii amovibiles ad beneplacitum Episcopi qui penes
» se animarum curam habent, vel uti possessores beneficii
« manualis, atque in utroque casu pro generali regula con-
« stituendum esse videtur, Episcopos posse eos etiam sine
« causa removere. Quae quidem regula ut animadvertit *Bouix*
« *op. cit., p. 3, c. 3, prop. 4, n. 3,* fundatur in ipsa manua
« litatis natura, estque omnino certa et communiter ut talis
« recepta ».

Haec vero regula, quamvis ex consuetudine nonnullas limi-
tationes pateretur; quatenus nempe remotio fieri non debeat
ex odio, aut cum detrimento vel famae vel gravis iacturae

rectoris ; in casu tarnen has limitationes cessare dicebat cum Episcopus graves causas remotionis haberet.

Scilicet parochus iste, lautiori mensa quam deceret eiusque vires sinerent, utendo, frequentes compotationes atque conversationes in domo parochiali habendo, scandalo erat fidelibus ac seipsum aere alieno gravabat; ideoque inidoneus reddebatur ad eum populum regendum. Ob mendacia insuper tristem sibi famam comparasse; ob iniuriosa verba contra superiorem et contra Apostolicae Sedis legatum prolata; ob iracundum ac turbulentum ingenium nec non imprudentem agendi rationem iurgiis et querimoniis causam dedisse, omnemque aestimationem et auctoritatem amisisse. Quae omnia huic parocho semper obiecta fuerunt, etiam cum ceteras rexerat paroecias, uti constare defensor sustinebat ex uteris Episcopi, ex quibusdam testimoniis et ex epistola praesidis provinciae.

Aliam iustam translationis causam reperiebat in eo quod parochus in quadam litera ad Episcopum scripta, quam antequam mitteret pluribus imprudenter manifestaverat, adulterii et falsae in scripto testificationis insimulasset virum municipio eius paroeciae praepositum; qua re vulgata periculum imminebat ut parochus crimine diffamationis ad tribunal raperetur ac utpote recidivus maiori poena plecteretur. Curandum itaque erat huic scandalo occurrere alio parochum transferendo, eo vel magis quod illa imputatio omni veritatis fundamento erat destituta.

Tertiam causam translationis reperiebat Orator in negotiatione praesertim lapidum, quam parochus palam exercebat. Ob hanc enim octies tribunal quod de rebus ad mercaturam pertinentibus iudicat, non sine magno suae famae discrimine, traductus fuit. Recensebat insuper aes alienum a parocho contractum cum quodam iuvene et quadam mercatrice sacrorum ornamentorum, cum quibus non sine dolo et fraude parochum negocium confecisse apparebat.

Neque opponi posse urgebat nullitatem decreti translationis eo quod nova paroecia sit inferioris conditionis et emo-

Iumenti; haec porro tunc tantum inquiri solere, cum Episcopus absque ulla causa ad translationem procedit, non vero cum tot et tam graves causae intercédèrent. Parochus igitur etiamsi aliquid damni patiatur, sibi imputet, ex notissimo iuris principio, quod haud videtur damnum pati, qui propria culpa illud experitur. Eo vel magis quod parochus iste, ob suam agendi rationem pluries causam translationis obtulerat.

Quibus disputatis concludebat, Dominicum libere renunciasse primae paroeciae et acceptasse secundam, quin vis aut metus intercédèrent ; metum vero, si adfuit, iuste fuisse incussum ; Episcopum demum plures et iustissimas habuisse causas decernendi translationem istius parochi.

Hisce ab utraque parte disputatis propositum fuit sequens

Dubium.

An sacerdos Mrelinquendus sit in possessione paroeciae loci N. ; seu potius reintegrandus ad paroeciam loci S. in casu.

RESOLUTIO. **Sacra Concilii Congregatio die 23 martii 1878 respondit : « *Affirmative ad primam partem, negative ad secun- « dam, imposita sacerdoti M. retractatione omnium iniuriarum « contra Episcopum prolatarum* ».**

Ex INDE COLLIGES:

I. Parochos amovibiles ad beneplacitum Episcoporum in Gallia a S. Sede indirecte approbatos fuisse, mandante Summo Pontifice Gregorio XVI f. r. ne ulla innovatio fieret in regimine paroeciarum succursalium, donec aliter ab ipsa S. Sede statutum esset.

II. Eiusmodi parochos posse aequiparari possessoribus beneficiorum manualium, vel etiam vicariis amovibilibus ad nutum Episcopi, qui penes se habet curam animarum.

III. Ideoque pro regula generali statui posse, ut prouti Episcopi has paroecias libere conferunt, libere etiam et absque ulla causa rectores removere vel transferre valeant.

IV. Hanc tamen regulam limitationem pati, nempe dummodo remotio non fiat :

1. Ex odio.

2. Cum infamia vel notabili damno sacerdotis amoti vel translati.

3. Cum damno tertii.

Has tamen limitationes, si graves causae adsint locum minime habere.

V. Ideoque in praxi vix excogitari potest casus remotionis absque causa, ita ut de his parochiis dici possint, quae de beneficiis manualibus traduntur; scilicet quod quamvis rectores theorice sint amovibiles ad nutum Ordinarii, tamen semper aliqua causa saltem levis, ut remotio legitime fiat, est necessaria.

VI. In casu parochum negotiationem exercendo, iurgia excitando, aliaque minus consona sacerdotali ministerio peragendo, legitimas obtulisse translationis causas.

VII. Emissam insuper renunciationem antiquae et acceptationem novae paroeciae maxime eidem nocuisse, vis enim et metus quibus nullitatem renunciationi conabatur ostendere, haud satis clare probari videntur.

EX S. G. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

PENSIONIS.

Die 20 septembris et 28 decembris 1878.

Compendium facti. Sacerdos B. mense septembris 1875 huic S. Congregationi exposuit: se iamdiu pensionem obtinuisse in libellis 107,50 super unam ex Praebendis canonicalibus Basilicae Vaticanae. Verumtamen titularem decreto innixum *Cum nuperrimis* sibi rependere, ait orator, libellas 86,60,

pro *taxis* retinens quod superest. Quamobrem praefatus Sacerdos totam expoposcit consequi posse pensionem, ratus proprium casum esse persimilem casui pensionarii Canonici Mansella, qui ab eadem S. Congregatione die 18 augusti 1874 rescriptum obtinuit: « *Dilata, non retardata interim solutione ratarum decurrendarum* ». Sacra vero Congregatio paritatem rationum in casu haud ammittens rescripsit: « *Non afferri causas, ideoque pro nunc reponatur in archivio* ».

Haud animo deiectus orator pensionarius, petiit apposita memoria, validis argumentis suffulta, ut supplex libellus reassumeretur. Cum huic memoriae, pares unirentur petitiones aliorum pensionariorum, in forma iudiciali atque extraiudiciali, S. Congregatio litteras dedit Emo Cardinali Vicario, votum ab eodem exquirens nedum super peculiari pensionariorum petitione, verum etiam super rationum momentis, quibus oratores colligi posse crediderunt, applicari nequivisse ceu a Canonicis factum est, decretum *Cum nuperrimis* praecipue quoad pensionarios Capitulorum Patriarchalium Romae.

Emus Vicarius priusquam propriam aperiret mentem animadvertit:

1. Principii vi *ubi eadem est ratio, ibi eadem legis dispositio* decretum, eisdem comitatum adiunctis, ceu in tota Italia, sic Romae, suum sortiri effectum debere.

2. Pensiones ecclesiasticas a R. Pontifice assignatas super Canonicatibus, aliisque beneficiis, suapte natura esse atque liaberi debere immunes ab onere quocumque.

Quoad secundum dubium pensionaras favet, quatenus beneficiati haud probent beneficia eorumdem, ita imminuta fuisse, ob actuales Italiae vicissitudines, ut amplius rependere integras nequeant pensiones.

Quod ni faciant Beneficiati, iustitia prorsus laederetur, ait Emus Vicarius, tum ob pensionum privilegiatam indolem, tum ob dispositionem ipsius decreti *Cum nuperrimis,* ad cuius applicationem, causa finalis deesset in casu. Quod decretum *sì* a Beneficiatis invocatur, ut possint sibi quotam pro taxis

retinere super pensionibus, iure idem decretum a pensionariis invocari poterit, ut sibi demonstretur redituum imminutio. Alterum enim ab altero gignitur, ceu effectus a causa, aiente decreto : ***ut praefatis reditibus imminutis vel amissis, imminui etiam pro rata debeant vel cessare pensiones.*** **Ut autem realis, et integer agnosci possit alicuius beneficii redituum valor, De Luca,** ***de benef, dise, go et çi*** **ait:** ***probatio valoris percutere debet tempus praecisum gratiae.*** [1]

Errius Archipresbyter Basilicae Vaticanae requisitus quoad reddituum administrationem, relationem remisit Rfñi Canonici Camerarii eiusdem Capituli, qua innuere sategit beneficia illius Ecclesiae ab anno 1871 ad annum 1864 magnam passa esse imminutionem ob taxas superadiectas. Quae diminutio disparuit pro annis 1875, '876, 1877.

Disceptatio synoptica.

EA QUAE PRO PENSIONARIIS ADDUCTA FUERUNT. DUO **insimul quaesierunt pensionarii, ut discuterentur a S. Congregatione, nempe :**

1. An Decretum ***Cum nuperrimis*** **vim habere et ad exequutionem mitti possit Romae, pro nunc saltem quoad Capitulum Vaticanum?**

2. An pensionarii redintegrari debeant quoad gravia damna, quae adhuc passi sunt, causa aequivocae interpretationis decreti eiusdem?

Pensionara evincere satagunt, pensiones haud pati debere imminutionem, quatenus, non obstantibus taxis, aequales, aut etiam maiores reditus percipiant titulares, relative ad illos reditus, quos praebendae dabant, impositae pensionis tempore.

[1] Ab Apostolica Dataria quaesitum est ex officio, quaenam esset summa pensionum quae imponi solent super Praebendis canonicalibus, aliisque beneficiis Capituli Vaticani ; et quinam reditus horum beneficiorum, super quibus pensiones imponuntur. Idque factum est ut magis eluceret veritas in hac quaestione.

Et re quidem vera, Summi Pontificis mens, quum decretum ederet, alia non fuit, quam ut provisionem exhiberet, vicissitudinum praesentium causa, ceu normam tum a titularibus, tum a pensionariis communiter sequendam. ***Sanctissimus Dominus Noster*** **(en verba decreti)** ***omnibus undequaque perpensis, hanc normam generalem statuendam ac tenendam esse diiudicavit, nempe ut amissio, vel diminutio redituum beneficiorum in communi beneficiarios ac pensionarios afficiat, ita ut praefatis reditibus imminutis, habita proportione, imminui etiam pro rata debeant, aut cessare pensiones.***

Verumtamen dolent pensionara, eoquod titulares Romae aliam hactenus sequuti fuerint regulam. Etenim omissa aequitatis norma, per decretum inducta,[1] **constituerunt ut inter titularem et pensionarium proportionaliter dividantur taxae beneficiis impositae, separatim sumptae, nec non partialia damna in bonis eorumdem beneficiorum passa, posthabentes realem redituum diminutionem.**

Quae ratio agendi iniusta evincitur, eoquod Pontificiam adversetur dispositionem ; quae solummodo amissionem et diminutionem redituum, quos unicuique titulari Ecclesia assignavit, minime vero taxarum et onerum summam contemplata est, independenter ab augmentis, ceu putaverunt Canonici. Itidem iustitiam adversari, eiusmodi normam, facile colligitur, quia dum titularibus omnem exhibet utilitatem, partam ex augmento pretii fundorum, vicissitudinum Italiae causa, pensionariis vero omne imponit onus, quorum plurimi titulo alimentorum pensionem consequuti fuere.

Hoc praestituto principio, ad examen revocant quomodo et quando locum habere possit pensionum diminutio iuxta eiusmodi decretum. Et quoad hoc autumant perpendendum esse an actuales reditus, cumulative sumpti, collatique cum illis,

[1] Qua norma haud reputatum fuit resolvi posse quaestiones intertitulares, et pensionarios exortas, iuxta rigorem iuris. Sed R. Pontifex voluit tantum per huiusmodi decretum, ut rationibus contendentium de bono et aequo prospici valeret, hisce flagitiosis temporibus.

quos Ecclesia titularibus et pensionariis tempore collationis assignavit, actui vel imminuti fuerint, sive quales erant *moraliter* remanserint.

Quamobrem posito etiam quod, *cessante causa,* post novum decretum» pensiones primitivam induere debeant indolem, sequitur quod Titularis exibere haud debeat separatim taxarum et damnorum summam, sed cumulative demonstrare debet redituum imminutionem, quos ipse tempore impositae pensionis percipiebat.

Quatenus reditus beneficiorum, sic perpensi vere imminuti sint, annuunt, pensionarii, quod habita proportione, etiam pensiones imminui debeant. Etenim decreto pluries citato, voluit Sanctissimus Pater peculiarem afierre medelam Titularibus illis qui, in hac rerum perturbatione aut totos amisissent reditus, aut gravem tulissent eorumdem imminutionem. Ita ut reditus beneficii ipsius haud amplius omnibus oneribus ferendis pares essent. Ex quo colligunt huius decreti dispositionem locum non habere, donec reditus tales efficiantur qui impares fiant omnibus oneribus ferendis.

Verumtamen ad conclusionem properantes pensionarii, dixerunt: titulares Capituli Vaticani nulla gravati fuere extraordinaria taxa; quinimo vi legis, sic dictae *conversionis,* reditus illius capituli pene duplicati sunt. Ideoque quum Romae desit finalis decreti causa, cui innixa S. Sedes decretum emanavit, nullimode ipsum decretum invocari nequit ad maiorem protuendam Vaticani Capituli utilitatem, cum evidenti pensionariorum discrimine. Ád evincendum autem titulares Capituli Vaticani maiores nunc percipere reditus, quam quisque percipiebat tempore impositae sibi pensionis, et hoc adiecerunt. Iuxta Cancellariae regulas, in Bulla collationis beneficii cuiuscumque, enumerari debent reditus omnes, quos investitus percipiet. Talesque sunt reditus, quos S. Sedes conferre intelligit beneficiato; quorum pars sibi reservat pro pensione alicui concedenda.

Ast ex hac quoque descriptione rite peracta, pro certo eruitur, reditus Capituli Vaticani magnopere auctos fuisse;

ergo iniuria praedictum Capitulum integras pensiones praestare renuit, quod solummodo peragere posset, si ut dictum est, haud amplius perciperet reditus sibi a S. Sede collatos. Proinde pensionarii deduxerunt, quoad damna sibi illata ob indebitas retensiones sese reficiendos esse, et in posterum integram percipiendi pensionem ius habere.

EA QUAE PRO TITULARIBUS ADDUCTA SUNT. **Ad investigandum igitur utrum diminutio, de qua loquitur Decretum *Cum nuperrimis,* referenda sit illi redituum quantitati, quam percipiebat titularis tempore impositae pensionis, exquirendum esset an Sanctissimus Pater vere voluerit, quod calcularetur augmentum redituum a die pensionis impositae usque ad tempus, quo gravia onera a civili gubernio imposita fuerunt. Duo in hoc facto distingui possunt tempora ; nempe tempus ab imposita pensione, et tempus impositionis taxarum, quo redituum augmentum processit. Hoc posito, videtur decretum haud contemplatum esse, augmentum temporis intermedii ut calcularetur, detractis taxis, et conferretur cum redituum summa, temporis impositae pensionis, quia omnia cedunt in titularis utilitatem. Iste enim, si reditus imminuti essent, de iure communi praestare obstringeretur pensionem, etiam sub excommunicationis poena. *Res e?iim perit et fructificat domino suo* et *Cardinal.* De Luca, *dise, gr, n.* 4. « Cum iste beneficiatus « sit dominus fructuum, eius damno cedere debet illorum « diminutio, non pensionarii, eodem modo, quo e converso, eius « commodo cederet augmentum, absque quod pensionarius « de illo participationem aliquam praetendere posset, cum « augmentum et diminutio domini sint ».**

Praeter omnia, observatione dignum est, quod in dubio favendum sit titularibus, qui officium grave praestant in choro, iuxta *reg. iuris* 55 *in* 6 : « *Qui sentit onus sentire debet commodum et e contra* ». Ex his sequitur quod decretum contemplatum si actualem fructuum diminutionem ex taxis, etsi conditio beneficiatorum melior esset, quam pensionis impositae tempore. Quapropter praevalere posset in dirimenda quae-

stione pars dispositiva decreti *ut diminutio redituum in communi beneficiarios, ac pensionarios afficiat.* Ceu singuli tempore tempestatis concurrunt ad navim protuendam iuxta legem Rhodiam *de iactu, qua cavetur ut si levandae navis gratia, iactus mercium factus sit, omnium contributione sardatur, quod pro omnibus factum est.* Diminutio in Capituli Vaticani reditibus, certa est ab anno 1871 ad annum 1874.

Exclusa autem taxarum imputationem pro tempore intermedio, neque summa redituum, quos olim Apostolica Dataria designavit, aliquid facienda est. Et ad summum, pensionariorum favore,-calculari posset augmentum redituum peractum tempore onerum impositionis ; si enim magna clades damnum intulit, aequum videretur ut ratio habeatur quoque de utilitate ab eadem parta. Quae utilitas tamen, ut aequo modo supputari posset, magna esse deberet, nec variabilis quolibet mense: ceu valor redituum civilium, quotidie immutatur. Id enim maxima afficeret perturbationem Capitulorum administrationem.

Hisce in utramque partem animadversis, duo enodanda proposita fuere

Dubia.

I. ***An et quomodo Decretum*** [1] *28* ***ianuarii*** *18/7* ***Romae vim exerere et ad executionem mitti possit pro nunc, saltem quoad Capitulum Vaticanum in casu?***

II. ***An pensionarii redintegrari debeant quoad damna hactenus sibi illata, signanter per taxam*** **(vulgo)** ***« di ricchezza mobile del*** *13,20* ***»pro quolibet centenario, a Titularibus retentam in casu ?***

RESOLUTIO. **S. Congregatio Ep. et Reg. quaestione disceptata sub die 20 septembris 1878 respondere censuit:**

Ad I. ***Affirmative.***

[1] Habes decretum *Cum nuperrimis,* Vol. VII, pag. 325.

Ad II. *Quoad annos 18711874 inchisive, Negative; quoad annos posteriores, Affirmative.*

Iterum reproposita fuit quaestio haec, die 20 dec. 1878 sub dubitandi formula:

An et quomodo recedendum sit a lata resolutione in generalibus comitiis die 20 septembris in casu?

Cui dubio S. Congregatio respondit :

In decisis et amplius.

Ex QUIBUS COLLIGES :

I. Decretum ***Cum nuperrimis*** **applicari debere etiam Romae, tum quia,** ***ubi eadem iuris ratio, ibi eadem dispositio*** **tum quia lex est quae exclusive respicit omnes** ***reditus beneficiorum in Italia existentium,*** **et iuxta quam legem omnes dirimendae sunt lites quoad pensiones.**

II. Pensiones ecclesiasticos omnes a R. Pontifice supra Canonicatibus, aliisque beneficiis impositas, esse suapte natura, immunes a quolibet onere ***cum sit de natura pensionis quod sit sine onere.***

III. Huius immunitatis rationem in hoc positam esse, quod pensionarius beneficium haud possidet, sed tantum actionem habeat personalem in beneficii possessorem, ut percipiat ab eodem fructuum portionem, sibi a S. Sede constitutam.

IV. Etenim quum ***onera etiam necessaria spectant ad ipsum possessorem*** **et integrae solvendae sint pensiones, semper opus fuit expressa lege, quando S. Sedes aliquo onere gravare voluerit pensiones, ceu fecit per Decretum** ***Cum nuperrimis.***

V. Attamen per dictum decretum constituit, quod ***debeant imminui vel cessare pensiones,*** **hoc tantum in casu ; si nempe, per actualem Italiae cladem reditus beneficiorum, imminuti vel in totum amissi fuerint.**

VI. Proinde ni Titulares, certis liquidisque argumentis probaverint his in Italiae adiunctis, propria beneficia, talem passa esse imminutionem (non diminutionem quamlibet) ut

haud amplius paria sint omnibus oneribus ferendis, pensiones integras esse praestandas.

VII. Ad evincendam huiusmodi fructuum imminutionem, haud esse respiciendum ad onera tantum, per Italiae gubernium imposita, sed complexive esse calculandos beneficiorum reditus, quales erant tempore pensionis impositae, qualesque sint in actuali rerum conditione.

EX S. CONGREGATIONE INDULGENTIARUM

AURANENSIS.

Super statione Viae Crucis.

Die 15 novembris 1878.

DECRETUM. **In Gallia mos invaluit quatuordecim tabelias una cum crucibus pro stationibus Viae Crucis, ex ferro saepe in typos fuso condendi, quibus ferreis crucibus inversis totidem ligneae applicantur, quae tamen nullo videri possunt modo a coram adstantibus. Cum autem pluries ab hac sacra Congregatione definitum fuerit, indulgentias pro pio Viae Crucis exercitio concessas, crucibus tantum rite benedictis esse adnexas; cumque in appendice ad Rituale Romanum typis S. Congregationis de Propaganda Fide editum anno 1864, pag. 404 et anno 1874, pag. 108 traditum reperiatur cruces praedictas esse debere ligneas. Hinc Episcopus Auranensis merito dubitans, num iuxta praefatam consuetudinem, conditionibus satisfiat ad indulgentiarum acquisitionem necessariis, per suum Vicarium, supplex adiit hanc S. Congregationem ab ea expostulata trium dubiorum resolutionem.**

I. ***An illud « Ex ligno debe?it esse cruces » quod legitur in appendice ad Rituale Romanum editum anno*** *1864* ***ex typis***

S. Congregationis de Propaganda Fide, pag. 404 obliget sub poena nullitatis?

Et quatenus affirmative.

II. *An huic praecepto sufficienter satisfacit supradicta appositio totidem Crudum lignearum, etsi coram adstantibus invisibilium ad partem adversam Crudum ferream ?*

III. *An consulendum sit Sanctissimo pro sanatione Crucis viarum huiusmodi iam erectarum?*

In Congregatione generali habita in Palatio Apostolico Vaticano die 15 novembris 1878 Emi Patres rescripserunt:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Negative.*

Ad III. *Attenta bona fide consulendum SSmo pro convalidatioue Stationum sic erectarum, et pro facultatibus necessariis et opportunis concedendis eidem Episcopo Oratori, qui sive per se, sive per alium Sacerdotem sibi benevisum Cruces ligneas privatim benedicat, easque benedictas, meliori quo fieri potest modo, ne scandalum oriatur, ita stationibus s'iperponat, ut ab omnibus conspici possint.*

Factaque de his omnibus per me infrascriptum dictae Congregationis Secretarium SSmo D. N. Leoni Papae XIII in Audientia diei 23 novembris 1878 relatione, Sanctitas Sua S. Congregationis resolutionem benigne approbavit.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die et anno ut supra.

A. Card. OREGLIA A **S.** STEFANO, *Praefectus.*

A. Panici, *Secretarius.*

Ex OFFICIO ANIMADVERSIONES. **Quamvis Clemens XII Brevi 16 iunii** 1731 **atque Benedictus XIV Brevi 30 augusti 1741 haud innuant ex ligno esse debere Cruces, in singulis stationibus Viae Crucis apponendas; tamen quod illae reapse esse debeant ligneae, eruitur a bina S. Congregationis Indulgentiarum resolutione. Quarum prima a S. Congregatione lata**

fuit in *Cameracen.* 20 iunii 1838, et relata a Prinzivalli inter decreta authentica, pag. 397. Secunda ex dictis resolutionibus lata fuit in *Quebecen,* 14. iunii 1845. Siquidem ad alteram secundi dubii partem sic conceptam *utrum si cruces vel imagines* (Stationum Viae Crucis) *destructae vel vitiatae fuerint, aliae substitui possint de concessione Episcopi singulatim benedictae absque cessatione indulgentiarum,* responsum fuit : *possunt substitui aliae Cruces (quae ex ligno esse debent et in quibus tantum cadit benedictio, minime vero in tabulis* factis *vel imaginibus) absque indulgentiarum cessatione, quatenus destructae seu vitiatae sint minor pars, secus vero necessario requiritur nova canonica erectio et benedictio.*

Quibus resolutionibus concinit facta observatio a Rogerio Albanio a Solerio in opuscolo cui titulus Historia, Excellentia et Ritonomia Viae Crucis, *cap.* 3, *n.* 126; nempe *ut cruces istae analogiam possibiliorem habere videantur cum cruce dominica, ac eadem constent materia, ligneae omnino erunt.* Cui inclusioni idem auctor adnotationem adiunxit : *ni fallor in ipso institutionis exordio, stationes viae dolorosae instituebantur indifferenter vel Crucibus vel imaginibus, et non raro constabant Oratoriis, sacellis que pictis vel sculptis sine ulla crucis praesentia ; aut si aderant cruces, hae ex qualibet materia confitebantur ... Cum tamen omnis lis dir empta dici debeat, cum Roma locuta est, hodie omnes benedicere tenemur cruces, et quidem ligneas, ac cogimur immutare vel addere, ubi vel lapideae et ferreae exclusive sunt, vel solae imagines prostant. Cruces adesse necessario debent, et esse ligneae.*

Quoad stationes, de quibus quaestio fit, observandum tamen est, quod cruces ligneae, riteque benedictae non desunt, neque caeterum absolute ac penitus invisibiles sunt. Dicitur enim non posse videri a coram adstantibus, quod quidem non excludit, ut videri saltem queant ab iis qui a latere adsunt.

CONSULTORIS VOTUM. **Ad primum dubium censuit respondendum fuisse *affirmative:* nam ad rite erigendas Stationes Viae Crucis, nil aliud quaeritur quam Crux benedicta a sacer-**

dote facultatem habente; non requiruntur imagines. ***Crux vero necessàrio debet esse ex ligno.*** **Nam in ligno crucis salvati sumus, et ideo S. Mater Ecclesia feria VI hebdomadae sanctae cantat,** ***ecce lignum crucis in quo mundi salus pependit.*** **Unica conditio quae apponitur in erigenda Via Crucis essentialis est et sub poena nullitatis observanda.**

Ad secundum dubium putavit responderi posse ***negative;*** **si enim Crux, quae unice requiritur, nullo modo videri potest, tunc uti non existens consideranda est.**

Ad dubium tertium censuit non esse consulendum Sanctissimo pro sanatione Crucis viarum huiusmodi iam erectarum, sed proponendum esse modum prudentialem pro remedio.

EXINDE COLLIGES:

I. In praesentiarum pro certo ab omnibus haberi, quod cruces, et quidem ligneae, adesse debeant in singulis Viae Crucis stationibus, quamvis olim nil definitum fuerit an crux, et eadem lignea, vel alia imago erigenda esset.

II. Uti essentialem haberi, et sub nullitatis poena servandam esse, unicam, appositam conditionem, pro erigendis viae crucis stationibus, quod nempe crux necessario esse debeat ex ligno.

III. Modum autem a novis artificibus excogitatum, quo nempe viam crucis ex ferro fuso construunt, esse omnino reiiciendum, utpote qui fidelium oculis omnino subtrahat ligneae crucis aspectum.

IV. Ac proinde solis imaginibus, sive pictis, sive sculptis haud rite erigi posse viae crucis stationes, quia ex pluribus decretis in cruces solas cadit benedictio: sistitque itineris sacri essentia, si ex ligno fabrefactae sint, quia lignea fuit Christi Crux. [1]

[1] Inhaerentes Sedis Apostolicae desiderio, quae semper omnes abusus a S. Liturgia avertere curavit, censemus opportunum hic referre et aliud decretum, etsi vetustum, quo alios abusus, proprios temporis etiam nostri, corrigi Eadem voluit. Quamobrem, ceu per resolutiones superallatas Apo-

TARANTASIEN.

Super facultate impertiendi benedictionem cum Indulgentia Plenaria in articulo mortis.

Die 15 novembris 1878.

DECRETUM. **Episcopus Tarantasien. mature perpensis decisionibus S. huius Indulgentiarum Congregationis de benedictione in *articulo mortis,* et praesertim perpensa decisione 20 septembris.-17 7 5 ; considerata ex alia parte quadam consuetudine, quae in ea Dioecesi invaluit circa Subdelegationen! benedictionis, supplex sacram hanc adiit Congregationem, quatuor dirimenda proponens dubia.**

I. ***Utrum valida sit subdelegatio benedictionis in articula mortis impertiendae facta modo generali v. g. in coetibus ecclesiasticis, omnibus scilicet praesbyteris praesentibus, vel etiam aliis, qui curam animarum habent, licet coetibus non adessent?***

stolica Sedes eliminandoS esse curavit abusus, qui irrepere coeperant quoad stationes Viae Crucis, sic eliminare voluit alios abusus, quoad SS. Numistnatum benedictionem, per sequens decretum.

URBIS

Cum in Congregatione Indulgentiarum, Sacrorumque Reliquiarum propositum fuerit Dubium: Num expediat permittere Sacra Numismata cum Beatorum imaginibus, sive aliorum Sanctorum in Romano Martyrologio minime descriptorum, quibus indulgentiae applicari possint, cumque eadem Sacra Congregatio censuerit de hac re *Consulendam esse Sacrorum Rituum Congregationem;* idcirco, posito praefato Dubio in eadem Congregatione, Emi Patres eidem Sacrae Congregationi Praepositi censuerunt, Indulgentias non esse concedendas in posterum, nisi Sanctis descriptis in Martyrologio et Canonizatis. Hac die 16 iunii 1674.

MONITUM. **Ut tollatur omnis anxietas,** quae in **aliquo ingeri** possit **a corollario** 2°, pag. 159 huius **voluminis, libenter adiicimus: corollarium illud** sese referre **ad primam resolutionis partem** *negative* **primi dubii. Nullimode perpensam fuisse secundam resolutionis partem, quisquis videt; liquidum est enim quod** si **addantur novae conditiones adimplendae^ tunc ex ipsa resolutione, id permissum** fit,, **quod aliter vetatur.**

II. *Utrum Episcopus subdelegare possit non solum omnes Parochos, sed etiam Vicarios, qui saepissime loco Parochorum moribundos in extremo agone laborantes adiuvant, eiusque Ecclesiae Sacramenta ministrant?*

III. *Utrum responsio S. Congregationis diei* 20 *septembris i y J£ ad tertiam partem intelligenda sit de subdelegatione facta singulis speciatim et in scriptis?*

IV. *Utrum facultas subdelegandi ad actum quemcumque Confessarium et a primo subdelegato eligendtim, ut fertur in laudata decisione loc. cit. sit ñumerice exprimenda in ipsa concessione, seu in prima subdelegatione?*

In Congregatione generali habita in Palatio Apostolico Vaticano die 15 novembris 1878 Emi Patres rescripserunt:

Ad I et II. Iuxta Constitutionem Benedictinam « Pia Mater » Episcopus subdelegare potest ad Benedictionem Papalem cum Indulgentiae Plenariae applicatione in articulo mortis, suis Dioecesanis impertiendam, unum vel plures Sacerdotes saeculares aut regulares, quotquot pro numero animarum, necessarios esse prudenter iudicaverit.

Ad III. Negative ; consultius tamen esse si subdelegatio fiat singulis speciatim et in scriptis.

Ad IV. Negative.

Factaque de his omnibus per me infrascriptum dictae Congregationis Secretarium SSmo D. N. **Leoni Papae XIII in Audientia diei 23 novembris 1878 relatione, Sanctitas Sua S. Congregationis resolutionem approbavit.**

Datum Romae ex Secretaria eiusdem Congregationis die et anno ut supra.

A. Card. OREGLIA A **S.** STEPHANO, ***Praefectus.***

A. Panici, *Secretarius.*

Ex OFFICIO ANIMADVERSUM EST. **Benedictione cum plenaria Indulgentia, reiicit Mater Ecclesia Christifideles in extremo agone luctantes. Ius eiusdem impertiendae, manens apud**

Sedem Apostolicam, delegabatur olim etiam Episcopis, id petentibus ad *triennium tantum* et hac sub lege, et iidem solummodo per semetipsos, aut per Suffraganeos benedictionem istam elargirentur. Et tantum in casu *praecisae necessitatis,* et quidem *tempore nocturno* occurrentis, Episcopus delegare poterat ad id muneris aliquem pium Sacerdotem, *qualibet vice.*

Huius facultatis concessioni, angustis cohibitae limitibus, consuluit Benedictus XIV per Constitutionem *Pia Mater Catholica Ecclesia.* Etenim in administratione Dioecesiun, tum Anconitanae tum Bononiensis edoctus experientia fuerat, complures Christifideles beneficio eiusmodi benedictionis expertes, supremum obire diem.

Quamobrem Constitutione praelaudata, singulis non modo ex Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis, sed ex Praelatis etiam inferioribus separatum territorium cum vera qualitate *nullius* habentibus, qui facultatem praedictam Benedictionem, et indulgentiam elargiendi peterent, eam esse per litteram in forma Brevis concedendam decrevit, non ad triennium tantum, sed *quoadusque Ecclesiarum et Dioecesium regimen obtinerent.* Ampliorem insuper quam antea concessit iisdem subdelegandi facultatem. Indulsit scilicet ut *unum aut plures pios Sacerdotes sive saeculares, sive regulares, prout necessarium fore iudicabunt, in eorum civitatibus subdelegare valeant, qui dum ipsi antistites, aliquo legitimo impedimento detinebuntur, quamvis huiusmodi impedimentum diurno tempore occurrat, eorum vice benedictionem huiusmodi cum Indulgentiae plenariae applicatione, Christifidelbus in praefato articulo constitutis impertiatur, aliosque similiter per Dioecesim saeculares, aut regulares Sacerdotes, quotquot pro numero animarum in Dioecesibus existentium, necessarios iudicaverint ad praedictum effectum, deputare et subdelegare possint, nec non eosdem removere, aliosque in eorum locum pro suo arbitrio et prudentia subdelegare valeant.* Declaravit insuper huiusmodi Indulta cum morte non expirare *cum iurisdictio delegata in iis quae non*

iustitiam, sed gratiam concernunt, etiam post obitum delegantis manere debeat. Et quoad subdelegatos id constituit: *quoniam iisdem Episcopis et Praelatis permittimus, ut huiusmodi facultatem pro incolarum, civitatum locorum atque Dioecesium opportunitate et necessitate, uni vel pluribus Sacerdotibus subdelegare valeant, statuimus et decernimus, huiusmodi subdelegationes per subdelegantis cessum aut decessum similiter non expirare, sed potestatem ipsis tributam perseverare usque ad superventum novi praesulis, cuius arbitrio relinquimus, eosdem in huiusmodi officio confirmare, vel ab eo removere.*

Quoad subdelegandi facultatem in Vindana (Britanniae minoris) Dioecesi nonnullae exortae sunt quaestiones, quae delatae fuerunt die 20 septembris 1775 S. Indulgentiarum Congregationi sub dubio : *Episcopus ad benedictionem in articulo mortis impertiendam delegatus cum f acuítate subdelegandi* primo : *debetne perpaucos subdelegare Sacerdotes, ut maius sit benedictionis istius et Indulgentiae huic adnexae desiderium, simul et maior utrique concilietur reverentia?* secundo : *potestne omnes suae Dioecesis subdelegare confessarios, ne etiam unam, si fieri possit, ex suis ovibus tanta privetur gratia?* tertio: *potestne subdelegare omnes directe et speciatim Parochos, sive plurimos Sacerdotes in dignitate constitutos et indirecte et confuse omnes confessarios hisce verbis.* « Dilecto nobis in Christo, etc., te « delegamus eligimus et deputamus quatenus valeas, etc., « insuper quemcumque confessarium a te ad libitum semel « vel pluries, et quandocumque opus fuerit eligendum, pariter « eligimus et deputamus ad eamdem gratiam conferendam » *hic subdelegandi modus est ne validus?* Sacra Congregatio respondit : *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam ; affirmative ad tertiam partem, quoad Parochos speciatim ruri degentes.*

Dubitavit hisce diebus Episcopus Tarantasiensis an antiqua sua Dioecesis consuetudo a suis praedecessoribus introducta, in exercenda praedicta subdelegandi facultate, consentanea fuisset relatis sanctionibus, et dictae decisionis S. Congr. Indui"

gentiarum: proinde quatuor proposuit iam relata, enodanda dubia.

Quoad eadem dubia animadverti posse videtur; quod Pon tifex per Constit. *Pia mater* voluerit ut acquisitio indulgentiae plenariae, adnexae Papali Benedictioni facilior fieret; non ita tamen ut beneficium istud commune et obvium redderetur. Nam si Episcopis amplior quam antea subdelegandi facultas indulta fuit, atque eorumdem arbitrium remissum sit numerum subdelegandorum determinare; facultas tamen et arbitrium istud limitibus circumscriptum fuit a necessitate Dioecesium designatis. QUQS limites si Episcopus praetergrediatur, contra litteram atque spiritum dictae Constitutionis agere videatur.

Ast si numerus iste dimitiendus sit ex necessitate Dioecesium, perpauci subdelegandi sunt iuxta declarationem superallatam in Vindana, in qua definitum est, Episcopos nequire *omnes suae Dioecesis subdelegare confessores,* sed debere *perpaucas subdelegare Sacerdotes, ut maius sit benedictionis istius et indulgentiae huic adnexae desiderium, et maior simul utrique concilietur reverentia.*

Ex hisce praenotatis ratio dubitandi exurgit de validitate subdelegationis modo generali factae, *coetibus ecclesiasticis omnibus,* de qua in primo agitur dubio; quia coetus constitui solent a pluribus sacerdotibus.

Ob eamdem rationem dubitari queit, an Episcopus subdelegare possit, ceu quaeritur in secundo dubio, *non solum omnes Parochos, sed etiam omnes Vicarios, qui Parochorum loco, moribundis in extremo agone adñwant...*

Quod tertium dubium desumptum a dicta Vindana, cui responsum fuit *affirmative quoad Parochos speciatim ruri degentes* ratio dubitandi ex ipso quaesiti tenore enascitur. Iamvero verbum *speciatim* ac formula subdelegationis in dubio inserta, numero singulari concepta est, et singulis directa, innuere videtur, subdelegatone esse speciatim singulis faciendam. Directio autem formulae eidem praemissa, *Dilecto nobis in Christo,* etc., quae in scriptis tantum documentis adhiberi consue-

scit, indigitat quodammodo subdelegationem praedictam, esse etiam in scriptis exarandam.

Relate ad ultimum dubium animadverti debet quod, positum sit in facultate subdelegantis concedere vel non subdelegato praedictam eligendi facultatem, ac proinde facultatis eiusdem exercitium eidem committere vel pro una vice tantum, vel pluries, vel quandocumque etiam opus fuerit.

CONSULTORUM VOTA. Primus istorum innuit benigne et large interpretandam esse facultatem concedendi Indulgentiam plenariam in *articulo mortis;* nam Benedictus XIV dedit Episcopis facultatem subdelegandi eum in finem *ne ullus in orbe terrarum angulus eeset ubi catholicae religionis professoribus, huiusmodi adiumenti copia deesset, pro extremo illo momento quo ipsorum salutis causa, in discrimen adducitur.* Si enim in articulo mortis quilibet Sacerdos, deficiente approbato, absolvere potest a peccatis et censuris, multo minus est dare indulgentiam plenariam, si alius Sacerdos facultatem habens non adsit. Haud praetereundum quod in pluribus Dioecesibus Germaniae omnes Sacerdotes curam animarum habentes, ex Rubrica Ritualis facultatem habent impertiendi Indulgentiam plenariam, in articulo mortis, et ita intentioni Benedicti XIV respondent, ne scilicet ullus in orbe terrarum angulus esset, ubi Catholicae religionis professoribus huiusmodi adiumenti copia deesset. Quapropter, ait Consultor, censerem Episcopos iurisdictionem dare posse in scriptis vel voce, oretenus, et sufficere ut intentionem suam manifestent.

Consultor alter quum recoluerit quidquid hac super re Benedictina Constitutio decreverit, quumque perpendisset responsa in Vindana a S. Indulgentiarum Congregatione exhibita, ad primum dubium Episcopi Tarantasiensis respondendum esse censuit: « iuxta Constitutionem *Pia mater* Episcopus, aut alius inferior Praelatus subdelegare potest, ad benedictionem Papalem, cum Indulgentiae plenariae applicatione in articulo mortis suis Dioecesanis impertiendam, unum vel plures pios Sacerdotes, saeculares aut regulares, quotquot

pro numero necessarios esse prudenter iudicaverit, sive hi curam animarum habeant, sive ad specialem coetum ecclesiasticorum pertineant, sive secus ».

Ad secundum dubium responderi posse putavit : « affirmative in omnibus prout in praecedenti ».

Ad tertium responderem, ait: « quamvis valida sit subdelegatio facta, vel alicui peculiari coetui Sacerdotum [1] vel tantum viva voce, dummodo tamen satis clara sit, atque determinata; nihilo minus consultius erit si fiat per documentum in scriptis, et sacerdotes in individuo, quoad fieri potest, designentur ». [2]

Quoad dubium quartum animadvertit Consultor: ex praefata resolutione in Vindana potest Episcopus, ubi agitur de Parochis ruri degentibus, non solum subdelegare Parochum ipsum, sed etiam quemcumque Confessarium per eum ad proprium libitum, semel vel pluries et quandocumque opus fuerit eligendum. Verba haec excludunt necessitatem determinandi numerum casuum, quod esset contra spiritum laudatae Const. *Pia Mater.* Ideoque ad dictum dubium ait, responderem : « negative ad tramites ipsius decisionis ».

Ex QUIBUS COLLIGES :

I. Tam a charitate erga fideles moribundos, quam a reverentia erga memoratam benedictionem motum, cupivisse Benedictum XIV ne ullus remaneret angulus in orbe terrarum, in quo causa salutis christifidelium in discrimen adduceretur, ob defectum huius benedictionis, cum plenaria indulgentia, luctantibus in extremo agone impertiendae.

II. Proinde dilatasse limitum angustiam, quibus olim cohibebatur delegatio facultatis huiusmodi, tum quoad tempus, tum quoad personas, quibus indulta fuit.

[1] Circa modum subdelegandi nihil praecipitur in Constitut. Benedictina.

[2] Expedit enim in re tanti momenti cautissime procedere et quodcumque dubii periculum avertere.

III. Constituisse quoque ut huiusmodi concessiones haud expirarent per concedentis decessum ; *cum iurisdictio delegata in iis quae non iustitiam, sed gratiam concernunt, etiam post obitum delegantis manere debeat.*

IV. Episcopos vero subdelegare posse iuxta Constit. *Pia Mater* ad hanc impertiendam benedictionem, quotquot sacerdotes saeculares aut regulares, pro numero animarum, expedire prudenter iudicaverint, absque ulla limitatione.

V. Neque stricte requiri ut huiusmodi delegatio fiat singulis speciatim et in scriptis ; verumtamen cur agatur de re magni ponderis, in qua dubii periculum prorsus abesse debet, ideo consultius esse, si per scriptum et personae speciatim tribuatur facultas impertiendae benedictionis *in articulo mortis.*

VI. Episcopum, dum subdelegai Parochum ruri degentem, cum facultate eligendi alium confessarium, pro impertienda huiusmodi benedictione, non obstringi casuum numerum exprimere, quo Parochus subdelegatus alium eligere possit ; id enim esset in animarum detrimentum, et praelaudatae Constitutionis spiritum adversaretur.

BERGOMEN.

De Indulgentia portiunculae quoad distantiam.

Die 15 novembris 1878.

DECRETUM. **In oppido cui nomen *Martinengo* Dioecesis Bergomensis, Ecclesia adest ad PP. Franciscales Reformatos olim pertinens, qui expulsi inde fuerunt anno 18io. Sed post etiam eorumdem expulsionem, Fidelium concursus ad illam Ecclesiam die 2 augusti, Portiunculae Indulgentiam lucrandi causa, perrexit ad annum usque 1860, quo a militibus occupata, fuit cultui adempta. Post haec Praepositus Ecclesiae Parochialis, oppidi illius Breve obtinuit, in quo cum assueta clausola *dummodo nulla extet eo loci,*** *vel* ***unius saltem milliarii spatio distet***

Franciscalis Ordinis Ecclesia concessum fuit ad septennium, ut in ea Ecclesia posset lucrifieri Portiunculae Indulgentia.

Praefata interim iam Ordinis Franciscalis Ecclesiae cultui restituta, concessa fuit Instituto *Sacrae Familiae* Bergomi erecto, pro pauperum villicorum filiis christiane educandis. Cumque anno 1870 ad preces Episcopi Tiberiadis, Coadiutoris Episcopi Bergomensis, Portiunculae privilegium ad septennium, et cum superius relata clausula per separata Brevia elargitum fuerit singulis Ecclesiis praelaudati Instituti Fideles ad Ecclesiam etiam praedictam pro assequenda Portiunculae Indulgentia, accedere rursum incoeperunt.

Septennio ad finem per vento, renovata fuit concessio ad aliud septennium, et cum eadem clausula utriusque Ecclesiae favore, pro Ecclesia nempe parochiali cum Brevi 8 maii 1870, ac pro illa Instituti cum Brevi 22 iunii eiusdem anni. At cum duae hae Ecclesiae minus quam unius mitliarii spatio distent inter se praelaudatus Episcopus metuens ne illa Instituti, utpote ad Franciscales Patres olim pertinens impedimento sit, quominus parochialis Ecclesia praedicta concessione uti queat, dubium istud Erño a Secretis Brevium proposuit, qui post datum huic peculiari casui responsum, quaestionem ad hanc S. Congregationem deferre censuit. Proposita igitur fuit sub sequenti generali formula. *An si nulla extet Ecclesia actu ad Patres Franciscales pertinens, plures Ecclesiae in eadem civitate, imo in eadem Paroecia, milliarii spatio minime inter se distantes, frui possunt privilegio, vulgo « Delia Porziuncula ».*

In S. Congregatione Generali habita in Palatio Apostolico Vaticano diei 15 novembris 1878 Emi Patres rescripserunt:

Affirmative ; attenta tamen speciali prerogativa Indulgentiae Portiunculae, expedire ut in novis concessionibus, etausula quoad distantiam, quae apponi solet favore Ecclesiarum Ordinis Sancti Francisci extendatur ad- alias omnes Ecclesias, hoc privilegio ditatas.

Factaque de his omnibus per me infrascriptum dictae Congregationi Secretarium, SSmo D. N. Leoni Papae XIII

in Audientia diei 23 novembris 1878 relatione, Sanctitas Sua S. Congregationis resolutionem approbavit.

Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis die et anno ut supra.

AL. Card. OREGLIA A S. STEPHANO, *Praefectus,*

A. Panici, *Secretarius.*

Disceptatio synoptica.

ANIMADVERSIONES EX OFFICIO. Etsi expediat ut via facilior omnibus aperiatur fidelibus ad assequendam perinsignem Portiunculae Indulgentiam, quae primitus nonnisi quam in Portiunculae aedicula acquiri poterat ; tamen expedire etiam videtur ut non adeo facilis et obvia huius Indulgentiae acquisitio reddatur. Ita ut fideles illam consequi valeant eadem facilitate qua ceterae Indulgentiae communiter acquiri solent.

Id innuere etiam videtur regula generalis adhiberi solita, quoties de singulari aliquo beneficio, prout est Portiunculae Indulgentia, elargiendo pertractatur. Ne in fidelium animis idea srtaordinarii beneficii, quod accipiunt^ paullatim infirmetur, et eiusdem recipiendi desiderium imminuatur, ob nimiam facilitatem.

Quapropter saltem servanda videtur norma, qua factum est ut duae Ecclesiae, quae ad invicem non distant ultra milliarium, hoc privilegio ditari nequeant. Ex quo fit quod etiam vitentur non paucae simultates et aemulationes enasci solitae, quum duae proximae Ecclesiae huiusmodi ditantur privilegio. A qua norma, extraordinarie eximuntur Ecclesiae Franciscales per Breve *Splendor paternae gloriae* Gregorii XV.

VOTUM CONSULTORIS. Affirmativam elicit sententiam Consultor innixus tum singulari huius Indulgentiae indoli, tum rationi, qua RR. Pontifices usi sunt, extendendo illam indulgentiam ad omnes Franciscales Ecclesias, et ad alias ad ordinem non pertinentes, tum praxi qua hic et nunc eadem extensio conceditur.

Quoad primum, ait Consultor, indolem Indulgentiae a Portiuncula appellatae erui patenter ex mente S. Francisci, Qui quum a Christo obtinuisset ut plenariam consequerentur indulgentiam, omnes fideles qui Ecclesiam S. Mariae Angelorum ingressi fuerint, petiit hanc gratiam, iussu Christi ipsius, ab Honorio III Summo Pontifice. Rogatus autem Franciscus ab Honorio quo annorum numero Indulgentiam vellet coarctari, *nolo,* respondit iste, *annos, sed animas.* Ex quo facile eruitur eius fuisse desiderium, ut omnes fideles singulare huiusmodi donum obtinerent. Quod etiam colligitur ex aliis eiusdem sancti verbis,-in promulgatione huius Indulgentiae prolatis : *Ego volo vos in paradisum ire universos* ». Et re quidem vera, quamvis ad unum diem (2 augusti) coarctata fuerit Indulgentia, tamen poterant fideles eamdem lucrari, quoties, eo die, memoratam visitassent Ecclesiam.

Quoad secundum, observavit Consultor, tantam gratiam extendisse Romanos Pontifices, Honorii successores ad alias ecclesias quamplurimas. Ex quibus concessionibus elucet eam fuisse in Romana Ecclesia persuasionem, ut singularis, huiusmodi favor, in omnium fidelium bonum a Christo elargitus, facilior universis redderetur. Haec omnia a praxi Romanae Ecclesiae confirmantur. Romae enim plures sunt Ecclesiae, quae hac gaudent Indulgentia, et nec ab Ecclesiis Franciscalium, nec ab aliis quae ad Ordinem non spectant, unius milliarii spatio distant; ac si quoad primas dici posset dispensationem expressam intercessisse, quoad alias certe nulla distantiae mentio fit. Accidit communiter in Secretaria Brevium Litteras Apostolicas expedire pro Ecclesiis, quae non sunt Ordinis Minorum, in quibus licet clausula apponatur circa distantiam ab Ecclesiis Franciscalium, nulla prorsus mentio fit distantiae ab aliis Ecclesiis, quae ad Ordinem non spectant. Et clausula, « *dummodo nulla ea loci extet vel saltem unius militaris spatio distet Franciscalis Ordinis Ecclesia* », ponitur ea de causa, ut privilegium Ordinis cui primum singularis haec indulgentia concessa est integrum servetur.

Ex INDE COLLIGES :

I. Omnes Ecclesias, hoc privilegio iam ditatas, tempore huius resolutionis, frui eodem posse donec expiret ; quamvis in eadem civitate et paroecia positae sint, nec inter se distent unius milliarii spatio ; dummodo non adsit Ecclesia actu ad Patres Franciscales pertinens.

II. Indulgentiam a Portiuncula nuncupatam, ita perinsignem a S. Congregatione Indulgentiarum habitam fuisse, ut in futuris eiusdem indulgentiae concessionibus, clausula de distantia, apponenda etiam sit quoad omnes Ecclesias, hoc privilegio ditatas, quae ad Franciscales haud pertineant.

EX S. CONGREGATIONE SS. RITUUM

Decretum quoad sepulturam dandam in diebus S. Marci et Rogationum vel in vigilia Pentecostes.

QUEBECEN.

Rmus Dnus Franciscus Baillargeon Archiep. Quebecensis SS. Rituum Congr. sequens exhibuit Dubium, nimirum:,

« An in Parochia, in qua praeter Parochum nullus est alius Sacerdos, si in diebus S. Marci et Rogationum et in Vigilia Pentecostes occurrat sepultura quae anticipari vel differri non possit, facienda sit sepultura, sine missa Defunctorum ; vel potius omittenda functio diei ; aut saltem missa huius functionis ut missa pro sepultura celebrari possit ?

Sacra vero eadem Congregatio ad relationem subscripti Secretarii rescribere rata est: *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam et tertiam.* Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 3 iulii ' 1869.

C. Card. PATRIZI, **Ep. Portuen. et S. Rufinae, *Praef.***

D. Bartolini, *Secretarius.*

SS.MI DOMINI NOSTRI

LEONIS DIVINA PROVIDENTIA PAPAE XIII

LITTERAE APOSTOLICAE

quibus indicitur iubilaeum universale ad implorandum divinum auxilium.[1]

LEO PP. XIII

UNIVERSIS CHRISTIFIDELIBUS PRAESENTES LITTERAS INSPECTURIS

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Pontifices Maximi Praedecessores Nostri ex veteri Romanae Ecclesiae instituto, ab ipso susceptae Apostolicae servitutis initio, coelestium munerum thesaurus universis fidelibus paterna liberalitate aperire et communes in Ecclesia preces indicere consueverunt, ut ipsis spiritualis et salutaris lucri opportunitatem praeberent, atque ut eosdem ad aeterni Pastoris auxilium precibus, piacularibus operibus et solatiis pauperum conciliandum excitarent. Quod quidem ex una parte tamquam auspicale donum erat, quod supremi religionis Antistites ab exordio Apostolici ministerii filiis in Christo suis largiebantur ac veluti sacrum pignus illius caritatis qua Christi familiam complectebantur; ex altera vero solemne erat christianae pietatis et virtutis officium, quo fideles cum suis Pastoribus visibili Ecclesiae Capiti coniuncti fungebantur apud Deum, ut Pater misericordiarum non modo gregem suum, ut sancti Leo-

[1] Infrequens haud est, dubia enasci quoties leges aut indulta generalia Romanorum Pontificum casibus applicentur particularibus. Ideo recolant lectores harum ephem Vol. VIH, pag. 266,359,485, 554 in quibus retulimus dubia et declarationes quamplurimas quoad Iubilaeum anni 1875 indictum per Epistolam Encyclicam Pii IX.. Quas declarationes collegimus, ex superiorum benignitate, in Archivio Tribunalis S. Poenitentiariae.

nis verbis utamur,[1] ***sed et ipsum Pastorem ovium suarum*** **propitius respiceret, adiuvaret,** ***et custodire dignaretur ac pascere.***

Hoc nos consilio adducti, appropinquante iam Natali die electionis Nostrae, Praedecessorum Nostrorum exempla secuti indulgentiam ad instar generalis Iubilaei universo orbi catholico denunciare constituimus. Apprime enim novimus quam necessaria fit infirmitati Nostrae in arduo ministerio quod sustinemus divinorum charismatum copia ; novimus diuturno experimento quam luctuosa sit temporum in quae incidimus conditio, et quibus quantisque in fluctibus praesenti aevo Ecclesia laboret ex publicis autem rebus in deterius Tuentibus, ex funestis impiorum hominum consiliis, ex ipsis caelestiis censurae minis, quae iam in aliquos severe incuibuit, graviora in dies mala obventura formidamus.

Iamvero cum peculiare Iubilaei beneficium eo spectet, ut explentur animi labes, poenitentiae et caritatis opera exerceantur, precationum officia adhibeantur impensius, et cum sacrificia iustitiae et preces, quae concordi totius Ecclesiae studio offeruntur, usque adeo grata sint Deo ac frugifera ut divinae pietati vim facere videantur, firmiter confitendum est fore, ut Pater caelestis plebis suae humilitatem respiciat, et conversis in melius rebus, optatam suarum miserationum lucem ac solatium adducat. Nam si, ut idem Leo magnus aiebat, ***donata nobis y per Dei gratiam, morum correctione, spirituales mimici vincantur, etiam corporeorum nobis hostium fortitudo succumbet, et emendatione nostra infirmabuntur, quos graves nobis non ipsorum merita, sed nostra delicta fecerunt.*** **Quapropter omnes et singulos Catholicae Ecclesiae filios enixe hortamur, et rogamus in Domino, ut Nostris suas etiam coniungant preces» supplicationes et christianae disciplinae ac pietatis officia, atque oblata hac iubilaei gratia, hoc caelestium miserationum tempore, in animarum suarum lucrum et Ecclesiae utilitatem, Deo iuvante studiosissime utantur.**

[1] Serm. III, al V, in Anniv. Assumpt. suae.

Itaque de Omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisi, ex illa ligandi atque solvendi potestate, quam Nobis Dominus licet indignis contulit, universis et singulis utriusque sexus Christi fidelibus in alma Urbe Nostra degentibus, vel ad eam ad venientibus, qui S. Ioannis de Laterano, Principis Apostolorum, et Sanctae Mariae Maioris Basilicas a Dominica prima Quadragesimae, nimirum a die secunda Martii usque ad diem primam iunii inclusive, quae erit Dominica Pentecostes, bis visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium pro Catholicae Ecclesiae et huius Apostolicae Sedis prosperitate et exaltatione, pro extirpatione haeresum, omniumque errantium conversione, pro Christianorum Principum concordia, ac totius fidelis populi pace et unitate ac iuxta mentem Nostram pias ad Deum preces effuderint, ac semel intra praefatum tempus esurialibus tantum cibis utentes ieiunaverint, praeter dies in quadragesimali indulto non comprehensos, aut alias simili stricti iuris ieiunio ex praecepto Ecclesiae consecrato, et peccata sua confessi sanctissimum Eucharistiae Sacramentum susceperint, et aliquam eleemosynam in pauperes vel in pium aliquod opus, prout unicuique devotio suggeret, erogaverint; ceteris vero extra urbem praedictam ubicumque degentibus, qui tres Ecclesias eiusdem Civitatis aut loci, sive in illius suburbiis existentes, ab Ordinariis locorum vel eorum Vicariis seu Officialibus, aut de eorum mandato et ipsis deficientibus per eos qui ibi curam animarum exercent designandas, bis, vel si duae tantum ibi adsint Ecclesiae, ter, aut si dumtaxat una, sexies, spatio trium praedictorum mensium visitaverint, aliaque recensita opera devote peregerint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, sicut in anno Iubilaei visitantibus certas Ecclesias intra et extra urbem memoratam concedi consuevit, concedimus et impertimus; annuentes etiam ut haec indulgentia et animabus, quae Deo in caritate coniunctae ex hac vita migraverint, per modum suffragii, applicari possit et valeat. Praeterea locorum Ordinariis indulgemus ut Capitulis et Con-

gregationibus tam saecularium quam regularium, Sodalitatibus, Confraternitatibus, Universitatibus seu Collegiis quibuscumque memoratas Ecclesias processionaliter visitantibus, easdem visitationes ad minorem numerum pro suo prudenti arbitrio reducere queant.

Concedimus vero, ut navigantes et iter agentes, ubi ad sua domicilia seu alio ad certam stationem se receperint, operibus suprascriptis peractis, et visitata sexies Ecclesia Cathedrali, vel Maiori, aut parochiali loci eorum domicilii, seu stationis huiusmodi, eamdem Indulgentiam consequi possint et valeant. Regularibus vero personis utriusque sexus, etiam in Claustris perpetuo degentibus, nec non aliis quibuscumque tam laicis quam ecclesiasticis, saecularibus, vel regularibus in carcere aut captivitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui memorata opera, vel eorum aliqua praestare nequiverint, ut illa Confessarius ex actu approbatis a locorum Ordinariis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque iniungere, quae ipsi poenitentes efficere poterunt, cum facultate etiam dispensandi super Communione cum pueris, qui nondum ad primam Communionem admissi fuerint, pariter concedimus, atque indulgemus.

Insuper omnibus, et singulis Christi fidelibus tam laicis quam Ecclesiasticis Saecularibus et Regularibus cuiusvis Ordinis et Instituti etiam specialiter nominandi, licentiam concedimus et facultatem, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque Presbyterum Confessarium tam saecularem, quam regularem ex actu approbatis (qua facultate uti possint etiam Moniales, Novitiae aliaeque mulieres intra claustra degentes, dummodo Confessarius approbatus sit pro monialibus), qui eosdem vel easdem intra dictum temporis spatium, ad confessionem apud ipsum peragendam accedentes animo praesens Iubilaeum consequendi, et reliqua opera ad illud lucrandum necessaria adimplendi, hac vice et in foro conscientiae dumtaxat ab excommunicationis, suspensionis, et aliis Ecclesia-

sticis sententiis et censuris a iure, vel ab homine quavis de causa latis, seu inflictis etiam Ordinariis locorum et Nobis seu Sedi Apostolicae, etiam in casibus cuicumque ac Summo Pontifici et Sedi Apostolicae *speciali licet modo* reservatis, et qui alias in concessione quantumvis ampla non intelligerentur concessi, nec non ab omnibus peccatis et excessibus quantumcumque gravibus et enormibus, etiam iisdem Ordinariis ac Nobis et Sedi Apostolicae, ut praefertur, reservatis, iniuncta ipsis poenitentia salutari aliisque de iure iniungendis, et, si de haeresi agatur, adiuratis prius et retractatis erroribus, prout de iure, absolvere; nec non vota quaecumque etiam iurata ac Sedi Apostolicae reservata (castitatis, religionis et obligationis, quae a tertio acceptata fuerint, seu in quibus agatur de praeiudicio tertii semper exceptis, nec non poenalibus, quae praeservativa a peccato nuncupantur, nisi commutatio futura iudicetur eiusmodi, ut non minus a peccato committendo refrenet, quam prior voti materia) in alia pia et salutaria opera commutare, et cum poenitentibus huiusmodi in sacris ordinibus constitutis, etiam regularibus, super occulta irregularitate ad exercitium eorumdem ordinum, et ad superiorum assecutionem, ob censurarum violationem dumtaxat contracta, dispensare possit et valeat.

Non intendimus autem per praesentes super alia quavis irregularitate sive ex delicto, sive ex defectu, vel publica, vel occulta, aut nota, aliave incapacitate, aut inhabilitate quoquomodo contracta dispensare, vel aliquam facultatem tribuere super praemissis dispensandi seu habilitandi et in pristinum, statum restituendi etiam in foro conscientiae: neque etiam derogari Constitutioni cum appositis declarationibus editae a fel. rec. Benedicto XIV Praedecessore Nostro, quae incipit *Sacramentum Poenitentiae;* neque demum easdem praesentes iis, qui a Nobis, et Apostolica Sede, vel aliquo Praelato, seu iudice Ecclesiastico nominatim excommunicati, suspensi, interdicti seu alias in sententias et censuras incidisse declarati, vel publice denunciati fuerint, nisi intra praedictum tempus satis-

fecerint et cum partibus, ubi opus fuerit, concordaverint, ullo modo suffragari posse aut debere. Quod si intra praefinitum terminum, iudicio Confessarii, satisfacere non potuerint, absolvi posse concedimus in foro conscientiae ad effectum dumtaxat assequendi Indulgentias Iubilaei, iniuncta obligatione satisfacendi statim ac poterunt.

Quapropter in virtute sanctae obedientiae tenore praesentium districte praecipimus, atque mandamus omnibus et quibuscumque Ordinariis locorum ubicumque existentibus, eorumque Vicariis et Officialibus, vel ipsis deficientibus, illis, qui curam animarum exercent, ut cum praesentium litterarum transumpta, aut exempla etiam impressa acceperint, illa, per suas Ecclesias ac Dioeceses, Provincias, Civitates, oppida, terras et loca publicent, vel publicari faciant, populisque etiam Verbi Dei praedicatione, quoad fieri possit, rite praeparatis,. Ecclesiam, seu Ecclesias visitandas, ut supra, designent.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis praesertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes vel dissimiles Indulgentiarum, et facultatum huiusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari possint; nec non regula de non concedendis Indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum et Congregationum, sive Institutorum etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et Litteris Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus et Institutis, illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis et innovatis : quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus, specialis specifica, expressa et individua, n ->n autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu alia quaevis expressio habenda, aut alia aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis, ac formam in iis traditam pro servata habentes, hac vice specialiter nomi-

natim et expresse ad effectum praemissorum, derogamus ceterisque contrariis quibuscumque. Ut autem praesentes Nostrae, quae ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus ut praesentium transumptis, vel exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, ubicumque locorum, et gentium eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo piscatoris die xv mensis februarii anno MDCCCLXXIX, **Pontificatus Nostri anno primo.**

L. Card. NINA.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE

PER SUMMARIA PRECUM.

Die 15 iunii 1878.

Hyacinthus R. dioecesis L. Sacratissimum Principem adiit suppliciter exponens : se Divina Providentia ad statum Clericalem vocatum, studia tum humaniora, tum philosophica in Seminario L. absolvisse, iamque per annum disciplinis theologicis operam navasse. Sed quamvis vehementer exoptet usque ad Presbyteratus ordinem ascendere « sui voti compos fieri nequit « cum quodam corporis defectu laboret, gibbo scilicet, non « enormi quidem, qui nec gravem excitat risum, nec ullum « inspirat horrorem ». Quapropter humiliter petebat ut (si forte irregularis existat) a qualibet irregularitate dispensetur. Superius exposita Revmus Ordinarius L. nedum auctoritate sua

confirmavit, verum etiam Oratoris precibus, proprias adiungere non dubitavit.

Requisitus Episcopus ut imaginem photographicam Oratoris transmitteret, illico mandatis S. C. Concilii obtemperavit, una simul iterum rogans pro praefatae irregularitatis dispensatione quia, ut ipse ait, « *magna datur spes spectatis praesertim bonis et ingenii et indolis eius dotibus, ut in sacro ministerio etiam saluti animarum adlaborare possit praesertim in Ecclesia rurali* ».

Post haec rursum requisitus ille Praesul ut « referat de « altitudine staturae oratoris, de praevio experimento coram « caeremoniarum magistro, significet an sine ulla deformitate, « omnes Sacrificii actiones explere queat », ita respondit : « Staturae altitudinem oratoris attingere unum metrum cum « quinquaginta tribus centimetris ». Quoad vero experimentum, omnia peregisse absque ulla deformitate.

Disceptatio synoptica.

EA QUAE SUPPLICANTI OPPONUNTUR. **Quamvis iuxta veterem Ecclesiae disciplinam, magis ad animi dotes, quam ad vitia corporis in promovendis inspiciebatur, *Can.* 77 *et* 78 *Apostolorum ;* Tomassin., *De vet. et nov. disciplin., part.* 2, *cap.* 78, *num.* 2 *ad* 6 *;* tamen processu temporis Romani Pontifices ab altaris Sacrificio eos arcendos existimarunt, qui aliquo corporis defectu laborabant, *can.* 3, *dist.* 55, *can. Illiteratos, dist.* 16. Huiusmodi irregularitas ex veteri testamento repetenda videtur. Sic Dominus ad Moysen loquutus est : « Loquere ad Aaron : « homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam « non offerat panes Deo suo, nec accedat ad ministerium eius, « si coecus fuerit, si claudus, si parvo, vel grandi, vel torto « naso, si fracto pede, si manu, si gibbosus, etc. » *Levit.,* 21, *v.* 18, *iç.* Ratio autem cur in novo testamento, corpore vitiari irregulares evadunt, in eo reponitur quia vel scandalum fidelibus ingerere possunt, vel res sacras periculum irriverentiae**

exponunt. ***Cap. Presbyterum, de Cleric. aegr otante.*** **Cum igitur in supplici libello dicatur Hyacinthum ea gibbositate laborare, quae licet** ***non gravem, tamen excitat risum,*** **manifeste eruitur huiusmodi defectum haud excludere verum periculum res sacras irrisioni exponendi: quare gratia deneganda videtur. Fortius quia agitur de promovendo, cui iuxta praxim sacrae Congregationis, dispensatio difficilius concedi solet.** ***Firmana,*** ***Irregularitatis,*** *24* ***maii*** *1823* **;** ***Comen., Irreg.,*** *6* ***maii*** *1775**

EA QUAE SUPPLICANTI FAVENT. **E contra advertendum quod gibbosi, tunc tantum irregulares evadunt cum sint enormiter vel deformiter tales,** ***Cap. Hinc etenim, vers, gibbosus, dist. 4c.*** **Scitum enim est quod corpore vitiati, non sunt absolute et simpliciter irregulares ; sed tunc tales evadunt, vel quando defectus deformitatem aliquam contineat, vel inhabilitatem inducat ad obeundas sacri ministerii functiones.** ***Cap. Presbyterum,*** *i,* ***de corp. vitiat.; cap.*** **Thomas,** ***eod. tit.;*** **Ferr.,** ***verbo-Irregular., art.*** *i,* ***n.*** *12;* **La Croix,** ***lib.*** *7,* ***n.*** *300 ;* **Laymann,** ***lib.*** *i,* ***tract.*** *3,* ***part.*** *3,* ***cap.*** *7.* **Atqui perspecta imagine photographica, nec non perpensa ipsius statura unius metri et centim. 53, talis non apparet Hyacinthus. Imo et ipsemet Ordinarius, cuius iudicium maximi faciendum, in hac praesertim materia, iuxta Anaclet.,** ***ad titul. de corpor. vitiat., qu.*** *3,* ***n.*** *20,* **fatetur:** ***Gibbum quo praedictus iuvenis deformatus est, non posse dici enormem, neque gravem excitare risum aut horrorem inspirare ;*** **atque ulterius prosequitur :** ***Experimento coram sacrarum caeremoniarum Magistro facto, constat oratorem, sine ulla deformitate omnes Sacrificii actiones explere posse.*** **Quae verba consonant cum attestatione ipsius caeremoniarum Magistri qui fidem facit: « Hyacinthum R. sine ulla « deformitate omnes Sacrificii actiones explere posse... aitile tudinem staturae sufficientem habere ad officia divina adim- « plenda ». - « Iuvat etiam addere (sunt verba Episcopi) hunc «c iuvenem ex diviti apprimeque catholica familia ortum, opti- « mae esse indolis nec non insigni virtute ac pietate praeditum « esse ... Fundata enim spes est, fore ut Sacerdos ordinatus**

« in ecclesia praesertim rurali, divinis ministeriis pie inservi-
« turus, et animarum saluti cum fructu adlaboraturus sit ». Quae animi dotes indubie corporis defectum compensare videntur, atque suadere quod si forte irregularis sit, in ipsius voti sit concedendum.

Quibus igitur perpensis, EE. CC. decernere rogati sunt, quonam responso huiusmodi preces essent dimittendae.

RESOLUTIO. S. **Concilii Congregatio sub die 15 iunii 1878 hoc exhibuit responsum, nempe:**

Arbitrio et conscientiae Episcopi, cum facultate dispensandi et habilitandi oratorem ad omnes ordines usque ad presbyteratum inclusive, facto verbo cum SSmo.

Ex INDE COLLIGES:

I. Omnes Canonistas convenire, iudicio Episcopi determinandum esse in particulari casu, quae sit notabilis aut levis deformitas, et an hic et nunc ob talem deformitatem, periculum aut scandalum per Ordinis executionem sit timendum. [1]

II. Iuxta modernam Ecclesiae disciplinam, defectum[2] **corporis non inducere irregularitatem, quoad ordines suscipiendos,**

[1] In hac derminatione, ait Van. Espen, *par. 2, tit. 10, cap. 5, de irregularitate,* tempus, locum et personam eiusque dotes merito Episcopus attendit. Neque enim dubium est, quin uno loco defectus aliquis posset esse offensioni, et non alio; ubi huiusmodi defectus vel est frequentior, aut minus attenditur. Idem dicendum de tempore. Persona quoque plurimum attendenda. Potest enim contingere, ut defectus corporis in uno impediret debitam executionem ordinis, et non in alio ; eoquod insit aliorum membrorum vigor, ut debilitatem aut defectum alterius supplere queat. Exempli gratia, carens oculo sinistro, sive *canonis* ut vocant, communiter habetur irregularis quoad ordinem Sacerdotii suscipiendum, aut Missae celebrationem, post Ordinem susceptum r « Si quis, ait Barbosa, tamen carens visiva virtute « in oculo sinistro, sive *Canonis,* et tanta polleat virtute in dextro, ut sine « deformi faciei conversionem possit legere *canonem* non est irregularis ».

Similiter indubitatum est, quod adeo possint eminentes esse in aliquo qualitates, seu quoad mores, seu quoad doctrinam et zelum, ut defectus corporis, qui alias offensionem populi pararet, ob hasce eminentes qualitates non causaret; aut si qua forsan offensio timeretur, ea merito ob bona, quae ex Ordinatione et promotione huiusmodi defectuosi sperantur, negligi deberet.

[2] Qui defectus sine culpa patientis accidit.

nisi talis fuerit, qui aut Ordinis executionem impediat, aut talem secumferat deformitatem, quae sine periculo aut offensione populi functiones peragere non sinat.

III. Quamplures canonistas censere, gibbosos inter corporis vitiatos esse cooptandos ; praecipue si deformitas enascatur, per quam res sacrae exponantur irreverentiae periculo.

MATRIMONII.

Die 26 ianuarii et 20 iulii 1878.

Compendium facti. Die 24 ianuarii 1875 sacro copulati sunt foedere, iuxta Tridentini sanctionem, Ioannes, qui annum agebat 28, et Maria, quae nondum 20 excesserat, agris excolendis ambo addicti. Vix 15 aut 20 a matrimonio peracto elapsi fuerant dies, mulier, gravi perculsa moerore, illacrimans, de casu adverso conqueri coepit, matrique exposuit res matrimoniales cum viro suo haud regulariter procedere. Matris argumenta animum illius erigere non valuerunt ; proinde sub exitu martii eiusdem anni Parocho suam pandere conditionem arbitrata est. « Optime Pater spiritualis, ait illa, rogo te ut me salves; sic diutius non possum vivere; matrimonio meo cum Ioanne non potest esse validum, non invenio requiem ». Parocho caute de eius mestitiae animique deiectionis causa sciscitanti, non absque naturali verecundia respondit : « Se quidem rei maritali operam dare voluisse, sed virum nihil valere, nihil esse ». Parochus de Ioannis potentia suspicari coepit, eodemque ad se accersito, quaesivit undenam uxoris suae questus et lacrymae. Suam ipsemet Ioannes impotentiam innuit asserens : « *se prorsus ignorare quid esset semen humanum, nec umquam aliquid huiusmodi habuisse vel expertum fuisse* ». Parochus hac responsione perpensa, virum ad medicum misit, ut remedia ad suscitandum exposceret sopitum semen ; quae remedia applicuit. Sed quum iterum rei mari-

tali operam dare conaretur, eamdem, qua a principio laborabat, impotentiam in seipso expertus est. Hinc mulieris e domo viri discessus sub finem anni 1875; hmc magna illius animi afflictio et deiectio, ut parentes, merito, alienationem mentis illius pertimescerent. A qua deiectione animum tum solum erigere coepit, cum Parochus eidem declaravit spem armigere, fore ut ipsius matrimonium ab auctoritate ecclesiastica nullum et irritum declararetur.

Et re quidem vera, peracto processu, Curia Episcopalis mense augusto 1876 sententiam protulit: « Matrimonium inter « Ioannem et Mariam propter viri impotentiam antecedentem « et perpetuo incurabilem, esse nullum et irritum: atque triennaie experimentum, secus dubio impotentibus a iure con« cessum, iisdem in praesenti casu non esse necessario adhi« bendum, neque consulendum, neque etiam permittendum « esse, iudicat atque declarat ».

Quaestio haec delata fuit apud S. **C. Concilii, a qua proposita fuit oeconomice cum voto Theologi et Canonistae et cum animadversionibus defensoris matrimonii ex officio: quorum omnium sequitur synopsis.**

Disceptatio synoptica.

VOTUM THEOLOGI. **Praemisit Theologus suam esse opinionem, matrimonium de quo agitur irritum esse ob impotentiam antecedentem, et verosimilius perpetuam, qua Ioannes laborat. Conditionate tamen et ad cautelam, propter illud quod futuro tempore evenire posset circa Ioannis impotentiam, consulendum esse SSmo pro solutione matrimonii rati et non consummati ; vetito viro transitu ad alias nuptias inconsulta S. Congregatione.**

Auctoritate Sánchez, /. 7, *de matrim, disp.,* *92,* ***n.* 7, loquitur Theologus de impotentia quae nullum matrimonium reddit.**

Ita ut etiamsi vir potentiam habeat vas föemineum penetrandi, et careat potentia intra illud seminandi, incapax sit ad

matrimonium ineundum ; quia ad matrimonii valorem desideratur copula, per quam coniuges una caro efficiantur. Quod probat Angelicus ***Comm. super lib.*** *4* ***Sent., Dist.*** *41,* ***quaest. /, n. T, quaestiuncula*** *4,* ***ad*** *2,* **ubi docet : «** ***Dicendum quod vir et mulier efficiuntur in carnali copula una caro per commixtionem seminum ; unde quantumcumque aliquis claustra pudoris invadat vel frangat, nisi commixtio seminum non sequatur, non contrahitur ex hoc affinitas*** **». Idem profitetur S. Alphonsus de Ligorio,** ***lib.*** *6,* ***Tract.*** *6,* ***de matrim., cap.*** *3,* ***dub.*** *2,* ***n.*** *1003.*

Quae clare innuunt impotentiam Ioannis eius indolis esse ut matrimonium omnino invalidum et nullum reddat. Nam quidquid sit de erectione, pro certo est in vas foeminae seminare non posse, cum nesciat omnino quid sit virile semen, neque ante neque post matrimonium.

Nihil officere manifestam non esse Ioannis impotentiam, quia genitales partes normales sunt ; nam in viris saepe impotentiae causa delitescit, ceu tradit Cocchi in ***Dissert, physico-anatom.,*** **§** *4:* **«** ***Licet externa configuratio inculpabilis sit, non tamen excludit internum structurae vitium: nec obstat dicere, quod sana appareat externa configuratio, cum interius vitiata pars delitescat*** **».**

Non solum adesse, sed antecedere impotentia debet, ut matrimonium invalidet. Impotentia autem alia est naturalis, alia accidentalis. « Quando impotentia est naturalis, ait San-« chez, ***lin.*** *2,* ***disp.*** *203,* ***n,*** *4,* **in dubio praesumitur eam prae-« cessisse, et sic matrimonium esse nullum. Du cor quod « naturalia sint perpetua, et qualitatem, quae a natura est» « semper inesse praesumitur; ut probat Menochius, praesumpta, « lib. i, de praesumpt, 14, n. 3». Et Ferrari V. Impedimenta, n. 51, habet: «Si coniux potens, brevi tempore, uno « vel altero mense post contractum matrimonium, statim con-« queri et reclamare incipit de potentia alterius, praesumitur « eam praecessisse ». In casu nostro manifestum est impotentiam esse naturalem, quia ex causa intrinseca morbosa pro-**

venit, ideoque matrimonium praecessisse. Ast si accidentalis impotentia Ioannis dici vellet, praesumitur tamen matrimonium antecessisse, quia pars potens, nempe mulier, brevi elapso a matrimonii celebratione tempore, conquesta est de viri impotentia.

Impotentiam eiusmodi esse perpetuam eruitur ex hoc, quod Ioannes ex praescripto medicorum, potentissima adhibuerit remedia, sed frustra quia non provenit illa ex aliqua infirmitate debilitatem complexionis causante: dum vir integrae complexionis sit, ex fide medicorum, et quia cum in aetate 29 annorum sit et semen humanum nesciat, haud affulget spes quod potens evadere possit.

Hinc, conclusit Theologus, praesumi posse matrimonium, de quo agitur, nullum esse ex impotentia antecedenti et perpetua qua vir laborat.

Quoniam vero, ait Theologus, pari certitudine constare nequeat de impotentiae perpetuitate (quia interius latet) ceu ex actis constavit, quod illa matrimonium antecesserit atque concomitaverit usque in praesens : ideo ad cautelam consulendum esse SSmo pro solutione matrimonii rati et non consummati. Neminem dubitare, ait ille, hoc esse in potestate Romani Pontificis, neque ad id peragendum deesse causas, ceu reputatur gravis timor futuri scandali.

VOTUM CANONISTAE. **Quaerit iste an impotentia in casu sit matrimonio antecedens, absoluta et perpetua. Tradunt DD. matrimonium consistere in traditione potestatis corporis ad copulam coniugalem. Quae potestas ab absolute impotenti tradi nequit; Angelicus, *D. in* 4, *D.* 34, *q. un., art,* 2, ibi: « *Dicendum quamvis actus carnalis copulae non sit de essentia matrimonii, tamen potentia ad hoc est de essentia matrimonii ; quia per matrimonium datur utrique coniugum potestas in corpore alterius, respectu carnalis copulae* ». Quae impotentia si perpetua sit et matrimonio antecedat, ita ut copula carnalis perfecta non obtineatur, dirimit matrimonium et ab initio illud reddit irritum.**

Impotentia coeundi, inter ceteras probationes tenet Mascard. *de probat., vol.* 2, *conci.* 88/, *n.* i, « probatur ex confessione « viri et uxoris, postquam per duos menses permanserint « dando operam carnali copulae et tamen non potuit vir eam « carnaliter cognoscere, ita ex communi intellectu quem Aucto- re res sumunt ex *cap.* i, *de frigid, et malefic.* ... ». In casu impotentiam viri affirmavit ingenue uterque coniux: sed prae- cipue vir id fassus est iudicialiter et extraiudicialiter. Ex sacra Rota *Dissolutionis matrimonii coram Ursino, relata a Cardi- nali De Luca, ad ornatum decis.* 2 *et seqq.* eruitur quod con- fessio utriusque coniugis, iuramento vallata, praebeat certitu- dinem de impotentia.

Accedit etiam iurata testium depositio ex parte mulieris, ut dicuntur *septimae manus,* qui uno ore confirmant contrahen- tium depositiones ; et omnes indubie testantur de probitate, pietate ac veridicitate utriusque. Reiffenst., *lib.* 4, *Decret, lit.* 13, *n.* 43, *h. t.,* ibi: « Potest et debet annullari matri- « monium, si uterque coniux iuret se copulam attentasse qui- « dem, sed numquam coire potuisse ; idque iurato affirment « septem ex propinquis, deponendo iuramentum de credulitate, « iurando se credere coniuges vera iurasse ».

Neque referre iuvat, quod ex testimonio medicorum, organa generationis quoad eorum externam structuram recte compo- sita sint. Nam ut probetur existentia alicuius vitii, quod homi- nem impotentem ad concubitum reddat, opus non est illud apparere in abnormitate exteriori corporis, sed sufficit quod idem intus existat et in suis effectibus pateat. Siquidem duplex sit impotentia, ex yitio nempe externo et visibili et ex vitio interno et invisibili. In vitio interno sacri Canones et Doctores semper pro nihilo habuerunt medicorum iudicium. In themate de nullo vitio externo mulier virum accusavit, sed de vitio interno atque, invisibili, quo fiebat ut ille ad mulieris vas ingre- diendum ineptus esset.

Dubitandum haud est causas deficere pro obtinenda dispen- satione matrimonii tantum rati ; dum adsit impotentia viri

perpetua, antecedens, absoluta et insanabilis. Adest insuperabilis animorum aversio, et incontinentiae periculum ex parte mulieris in floridissima aetate constitutae.

VINDICIS MATRIMONII ANIMADVERSIONES. **Neque sacramenti iura, neque iudiciorum religionem servata fuisse hac in pertractanda quaestione, censuit matrimonii vindex ; eoquod abfuerit regularis ordo et religiosa observantia pro nullitate matrimonii declaranda ; minus autem pro dispensatione obtinenda. Neque insanabilis ac perpetua impotentia viri explorata est; neque validum de inconsummatione matrimonii suppeditatur argumentum, neque postremo congruum ac necessarium temporis spatium, iuxta sacrorum canonum observantiam ad propriam exprimendam idoneitatem concessum est marito. Unde nec pro nullitate coniugii, de quo agitur, nec pro eiusdem dispensatione diiudicandum esse contendit.**

Actorum enim processus, ait ille, absolutus fuit atque a Curia Episcopali C. iudicium redditum, quin coniugum petitio, Summo Pontifici offerenda, conscripta et signata fuerit ab eisdem coniugibus. Quod omnino requiritur a Benedictina *Dei miseratione : « Volumus atque mandamus ut supplex libellus Nobis vel Romano Pontifici pro tempore exhibeatur, in quo plena et accurata totius facti species contineatur, causaeque omnes in eo exprimantur, quae ad obtinendam petitam dispensationem conducere posse a supplicante censentur ».*

Curia insuper Episcopalis incidit in defectum etiam maiorem, cum ad adstruendam matrimonii inconsummationem, utriusque coniugis corporalem explorationem nullo ordine, nullaque diligentia communitam admisisset. Cum enim ex conformatione virilium non potuerit erui impotentia Ioannis, iam sponte sua necessitas exurgebat ut diligenti explorationi mulieris corpus subiiceretur, quo magis de eiusdem integritate constaret, iuxta instructionem S. C. Concilii anni 1840. Ex relatione medicorum eruitur tantum testimonium de mulieris statu probabiliter incorrupto. Quapropter quum omnes praetermissae fuerint praedictae Instructionis praescriptiones, nedum

de nullitate matrimonii vel de eiusdem dispensatione sustineri potest petitio, immo vero nec ultro in causa procedi possit, quin prius ad normam sacrorum canonum et ecclesiasticae disciplinae processualia acta suppleantur. Valorem autem ipsius processus lethaliter inficit incuria Vindicis matrimonii a Curia Episcopali constituti. Nam postquam quaestionibus tum utrique coniugi, tum utrique Perito physico, tum testibus *septimae manus* propositis, ad sacramenti incolumitatem protuendam, arma paravit, inexplicabili dein silentio in progressu causae observato, manus victas dedit, dum *voce* et *scriptis* matrimonii validitatem tueri debeat. Ast ni haec omnia satis non sint, maiora adsunt, quae intrinsecum causae meritum afficiunt, et quae tam nullitatis matrimonii declarationem, quam dispensationem ab eiusdem vinculo irrationabilem atque intempestivam ostendunt. Etenim, impotentia viri est ne insanabilis et perpetua, ita ut impedimentum dirimens matrimonio opposuerit, quo magis nunc debeat irritum iudicari? Estne adhuc inconsummatum matrimonium, quo possit dispensatione dissolvi? Haec firmiter constare deberent; secus in dubio pro matrimonio diiudicandum est, *Sánchez, de matrimonio, lib. y, disp.* 102, *n.* 8. . . . Quia si dubitatur an impotentia vera sit, et an matrimonium consummatum fuerit, in hoc dubio praesumi debet pro matrimonii valore : « *quia possessio in hoc dubio stat pro matrimonio, quum id contractum esse constet, et solum dubitatur de eius impedimento, quod numquam praesumitur.*

Et re quidem vera impotentiae veritas excluditur ab altero ex medicis iudicialibus ; qui describens externum apparatum physicae constitutionis Ioannis, nullam insimul abnormitatem, ac nullum defectum organicum adesse enunciavit. Ex qua constitutione dum excluditur impotentia, ex natura ipsa praesumptio exurgit, quae militat pro potentia coeundi; Sánchez, *de matrim., lib.* 7, *disput.* 103, *n.* 5 « *quum natura ipsa hominem potentem produxe7'it, asserenti eum aliquando impotentem £sse, incumbit onus probandi; utpote cui adversatur praesumptio a*

natura ipsa descendens ... quum praesumptio militet pro qualitate naturali, quae est potentia coeundi ».

Quoad mulierem quoque, retulerunt periti iudiciales, eamdem virginem intactam dici nequire. Quapropter si periculosum est, virginitatem mulieris firmare, existentibus adhuc signis virginitatis positivis, eo magis imprudens est eamdem adserere, dum contraria corruptionis testimonia in mulieris corpore emicant.

Attamen quamvis constaret, nondum inter hos coniuges consummatum matrimonium, ob insufficientem viri idoneitatem; non exinde statim ad coniugii dissolutionem, sive per declarationem nullitatis, sive per apostolicam dispensationem deveniendum esset; usque dum, ad minus, per conveniens temporis spatium curatione infirmitatis perducta, absolute insanabilis infirmitas ipsa demonstretur. Ad id conficiendum, prudenti consilio, Pontifices Coelestinus III et Innocentius III constituerunt concedendum esse *triennii* spatium ad experientiam copulae carnalis ineundam.[1] **Quaenam fuerit cura a medicis praescripta viro, de quo agitur ignoratur, at dignoscitur eamdem spatium mensis cum dimidio haud excessisse.**

Hisce praehabitis, duo quae sequuntur proposita fuere ut resolveren tur

Dubia.

I. ***An sententia Curiae Episcopalis*** **C.** ***sit confirmanda vel infirmanda in casu.***

Et quatenus negative.

II. ***An sit consulendum SSmo pro dispensatione matrimonii rati et non consummati in casu.***

Triennale experimentum revera ab Ecclesiae legibus praescriptum invenitur; omnes tamen tum Theologi tum Canonistae, experimentum huiusmodi non solum non esse praescribendum, imo vero prohibendum omnino, statim ac de impotentia unius vel alterius coniugis constet. Ita ut dici queat experimentum triennale in his iudiciis in desuetudinem abiisse, et ut dici solet, *ab aula,* **recessit.**

RESOLUTIO. **Sacra C. Congregatio die 26 ianuarii 1878, causa cognita, censuit respondere:**

Ad I. ***Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.***

Ad II. ***Provisum in primo.***

Quaestio huiusmodi, uti moris est, repropposita fuit in generalibus comitiis diei 20 iulii 1878 sub sequenti dubitandi formula : ***An sit standum vel recedendum a decisis in casu.***

Eadem S. Congregatio respondit: ***In decisis.***

EXINDE COLLIGES :

I. Matrimonium nullitatis vitio infectum renunciandum esse, quoties iuridice evinctum fuerit, impotentiam eiusdem matrimonii celebrationem praecessisse.

II. Nam quamvis actus carnalis copulae non sit de essentia matrimonii; attamen potentiam ad hoc, pertinere ad matrimonii essentiam : quia per matrimonium datur utrique coniugum potestas in corpore alterius, respectu carnalis copulae.

III. Neque sufficere ad evincendam viri potentiam, posse eumdem claustra invadere pudoris; eoquod ad matrimonii valorem, sive ad hoc ut vir et mulier in carnali copula fiant una caro, requiritur seminum commixtio.

IV. Nihil officere quod manifeste viri impotentia evinci nequeat per genitalium abnormitatem, ad impedimentum constituendum ; eoquod saepe huiusmodi impotentiae causa delitescat in configuratione, quae sana externe prorsus appareat.

V. In dubio an praecesserit nec ne, rite a Doctoribus censeri praecessisse matrimonium illam impotentiam, quae a natura procedit: eoquod naturalia semper inesse praesumuntur.

VI. Viri impotentiam in themate, praeter iuratam testium ***{septimae manus)*** **depositionem, firmatam fuisse per viri confessionem, qui candide deposuit: se prorsus ignorare quid esset semen humanum, nec umquam aliquid huiusmodi habuisse vel expertum fuisse.**

DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE.

PER SUMMARIA PRECUM.

Die 20 iulii 1878.

Sacerdos Ioseph Petrus *P.* Dioecesis *M.* doloris rheumaticis identidem afflictatus, per maiorem anni partem in lectulo cubare coactus est. Crisi autem finita, tanta nervorum debilitate premitur, ut ei impossibile sit toto celebrationis tempore suis consistere pedibus : propterea Summum Principem adiens suppliciter expostulavit: ut sibi concederetur haud sedere, verum identitem altiori inniti sedi, scabelli instar fabrefactae, et post tergum positae ; quaequae, pro opportunitate, tegi sacerdotalibus posset indumentis » : animadvertens quod ex Pontificis benignitate iam privilegio gaudet oratorii privati et quod solus puer, qui clerici vices gerit, Missae adsit. Duas dein adduxit causas, ad gratiam obtinendam:

1. Consolationem qua frueretur Missam celebrando, dum infirmitatem propria impediatur, quominus ad Ecclesiam pergat, et Missae adsistat, diebus etiam Dominicis.

2. Auxilium quod sibi obveniret ex Missarum stipendio; cuius omnino eget pro sua subsistentia.

Vicarius Generalis, pro Episcopo impedito, litteris diei 12 decursi aprilis relationem magistri caeremoniarum transmisit, subdens *quod Oratoris preces dignae sunt ut benigne excipiantur ... quod Orator omni re caret, et quod Missarum stipendia illi omnino necessaria sunt, ad vitae tam infelicis substentationem.*

Porro magister caeremoniarum ab Episcopo deputatus, postquam descripsit fulcrum, cui orator in sacris peragendis incumberet habet: meo iudicio modum eiusmodi celebrandi nil praesefert, quod minus deceat, sinitque praescriptas omnes implere caeremonias ; exceptis genuflexionibus, et integro gyro ad *Orate fratres* nec non ad ultimam benedictionem. Ast

genuflexiones suffici possent per profundas capitis inclinatio-^ nes per modicam pedis dexteri inflectionem. Medius gyrus pro *Dominus vobiscum* eo prope confici posset modo, a rubrica praescripto in Missis coram Ssmo Sacramento exposito.

Disceptatio Synoptica

Veram irregularitatem in casu adesse, difficili probatione demonstrandum haud est, cum ex sola rerum, quae hucusque adductae sunt, expositione, nemo non videat applicandum esse caput *Pnesbyt. de cleric. aegrot.* quo universim irregularis dicitur qui non secure propter debilitatem, vel non sine scandalo, propter deformitatem ministrare potest. In specie autem Orator non modo fulcro indiget, ut Missam celebrare valeat, verum etiam nequit totaliter se ad populum convertere, et genuflexionum tantummodo signum praebere valet caput demittens et dexterum parumper flectens pedem. Ex quibus defectibus manifestum erumpere putarem, ipsum ea irregularitate detineri, quae suadet gratiae denegationem, cum in hoc lacrymabili statu sacrificium peragens indubie scandalum et admirationem excitaret in populo. Quo in casu summus Pontifex *Cum corpore vitiatis ob reverentiam Sacramenti ... non facile solet dispensare :* ita *Reiff ens t., tit. de corpore vitiat., n.* 36 ; cui concinit *Pirhing., num.* /5, *et Schmalzgr., num.* 16 *eod. tit.*

Attamen cum agatur de iam promoto et non de promovendo, et cum absque culpa irregularis evaserit, facilius canonum rigores remitti solent, ne afflicto addatur afflictio prouti docent resolutiones S. C. C. in *Senogallien., Dispensationis ab irregularitate,* 7 *maii* 1785, et *Portugallien. et Lamecen.* 14 *augusti* 1824, aliaeque quamplurimae. Nec desunt exempla huius dispensationis a S. C. C. indultae in simili et fere identico casu, prout videri potest praesertim in *Ianuen., Dispensationis die* 2Ç *novembris* 1862 inter supplices libellos relata. Inibi agebatur de Parocho Ioanne Augustino Raggio, qui tibiarum debilitate perculsus, scipionibus innixus cogebatur ad

altare accedere, et sacrificii tempore, neque ad populum perfecte se vertere valebat, neque profundam genuflexionem peragere, sed eam tantummodo indicare, pedem scilicet retrahendo et caput humerosque inclinando, et tamen S. C. C. rescripsit : ***Pro gratia dispensationis dummodo celebret in Oratorio privato, vel etiam in Ecclesia, hora tamen a populo minus frequentata, et cum assistentia alterius Sacerdotis vel saltem Diaconi: facto verbo cum SSmo.***

Cessat praeterea in themate ratio scandali cum Orator efflagitet gratiam celebrandi in privato Oratorio, ubi puer tantummodo Missae assisteret uti clericus. Cessat profanationis periculum, quia teste caeremoniarum magistro, gratiam impertiendo, ratio haec litandi sacrum nil praesefert, quod minus deceat, aut profanationis periculum offerat.

Hisce breviter expositis, quid consilii sit in themate amplectendum, erit EE. PP. prudentiae et sapientiae decernere.

RESOLUTIO. **Sacra C. C. causa cognita, sub die 20 iulii 1878 respondit :**

Pro gratia dispensationis, arbitrio et conscientiae Episcopi, ad effectum celebrandi in Oratorio privato usque dum non ingravescat morbus, facto verbo cum SSmo.

NULLITATIS RENUNTIATIONIS ET REINTEGRATIONIS.[1]

Die 24 augusti 1878.

Compendium facti. Quum aere alieno gravaretur P. P. Clericus beneficiatus Basilicae Vaticanae petiit, obtinuitque a Romano Pontifice administratorem bonorum suorum sub die 6 aprilis 1853. Tractu temporis se vocatum putavit ad religiosum statum amplectendum ; quamobrem quum quaesivisset

[1] Recolé causam renuntiationis relatam, pag. **596,** Vol. IV.

cooptari inter Patres Missionis, id concessum eidem fuit. Attamen superior certior factus quod ille aere premeretur alieno aliquam movit difficultatem ; ad quam diluendam P. recursum habuit die 16 decembris 1857 ad SS. Patrem, exposcens gratiam retinendi beneficium saltem pro altero sexennio, ut creditoribus satisfaceret, et matris egestati consuleret. Gratiam expetitam haud consequutus, animo non cecidit P. ; sed expoposcit, frustra etiam nunc, ut SSmus Pater resignationem sui beneficii acceptaret, sub nonnullis tamen conditionibus, in favorem Sacerdotis A. qui a supplicante et ab eius administratore rogatus, beneficium huiusmodi exciperet. Interea Emum Archipresbyterum Basilicae Vaticanae, die 20 februarii 1858 rogabat, ut suam peroraret causam coram SSmo, eoquod Patres Missionis timentes creditorum molestias, eumdem excipere renuebant, nisi istam consequeretur gratiam.

Sub die 7 martii aliam dabat Placidus Emo Archipresbytero epistolam in qua comiter eumdem certiorem faciebat, sese sponte sua, resignavisse beneficium, atque petiisse ad sexennium biscentum scutata in aeris alieni extinctionem.

Ex diario Basilicae Vaticanae tantum, noscitur quid inde evenit; nam in illo perlegitur quod, die 20 martii 1868 P. P. suum resignavit beneficium, sussidium expostulans pro una tantum vice ex 1200 scutatis. Sub die autem 23 martii 1858 (legitur eodem in diario) quod SSmus Pater renuntiationem beneficii P. P. excepit, sub conditionibus ab eadem Sanctitate sua constituendis.

Quo peracto, P. inter tyrones dictae Congregationis adscriptus fuit, et beneficium tamquam vacans habitum, alteri Sacerdoti collatum fuit die i maii 1858.

Onere gravatus est novus investitus praestandi quotannis, dicto P. scutata 80 usque ad annum integrum 1864; hac lege tamen, ut pecunia in manibus administratoris deponeretur.

Mense septembris eiusdem anni 1858 in saeculum rediit P. Anno 1865 sub die 6 aprilis ex rescripto SSmi: quod pro-

vocaverat, P. rehabilitatus fuit ad propria gerenda negotia. Ex eo tempore tamen usque ad exitum novembris 1877, nullum movit questum circa emissam beneficii renuntiationem ; contra quam postea insurrexit, prouti nullitate laborantem, tum quia edita interdicti tempore, sine curatoris praesentia, tum quia vi extorta fuerat. Emo Archipresbytero remissae fuerunt preces huiusmodi, qui retulit quod Placidus post renuntiationem beneficii, Congregationem Missionis ingressus est ; e qua cito egressus Paroeciam S. Catarinae obtinuit in civitate C. Votum haud emisit Emus sed monuit oratorem minus esse dignum, qui locum haberet in choro Basilicae Vaticanae.

Disceptatio synoptica.

EA QUAE FAVORE **P. P.** ADDUCTA FUERANT. **In Tridentino,** ***Sess.*** *23,* ***cap.*** */6,* ***de regul. et montai,*** **disponitur quod quaelibet renunciatio aut obligatio facta ante duos menses proximos professioni, tamquam nulla et irrita habenda sit, licet iuramento firmata. Canonistae autem communiter tradunt huiusmodi dispositionum locum sibi vindicare etiam in renunciationibus beneficiorum. Rigantius** ***in reg.*** *46,* ***Cancell. n.*** *16* **ait: « Resignatio beneficii per novitium facta non substinetur, « nisi servata fuerit forma a Concilio Tridentino praescripta** ***« in sess.*** *23,* ***cap.*** *16,* ***de regul.*** **quam locum sibi vindicare « etiam in renunciationibus beneficiorum, reprobato Garcia, « firmant Fagnan.** ***in dicto cap. Statuimus, n.*** *18,* ***de regul.*** **« Kochier hic n. ri et seqq. Paris de Résignât,** ***lib.*** *3,* ***«quaest.*** *13* ***a n.*** *14 ...* **». Atqui renunciationem sui beneficii emisisse P., intuitu ingrediendae religionis, ambigi non posse videtur. Si ergo renuntiatio beneficii emissa a Novitio, ante duos menses proximos professioni, nulla et irrita habenda sit, pari ratione id dicendum de eo videretur, qui intuitu amplectendi religiosum statum, paulo antequam habitum assumpserit, beneficii quod possidebat, renuntiationem emisit. Ubi**

enim eadem militat ratio, ibi et eadem legis dispositio esse debet.

Atque id eo vel magis quia, ut ait Orator, non libere beneficium renuntiavit; suadente enim Emo Vaticanae Basilicae Archipresbytero PP. Congregationis Missionis inter novitios ipsum cooptare nolebant, nisi prius beneficium dimisisset.

Quod eruitur ex variis etiam coniecturis, quae innuunt renuntiationem liberam non fuisse, et ideo nullimode sustinendam esse ; quia ceu docet Paris, *loc. cit., lib. 8, quaest. 2, num. 28* resignatio beneficii, *de iure* numquam praesumitur voluntaria, cum numquam iactatio proprii praesumi debeat.

Hisce addendum est P., tempore quo beneficium renuntiavit, interdictum fuisse : et ideo sine solemnitatibus a iure praescriptis, haud nuncium beneficio mittere potuisse. Interdictis enim, non secus ac pupillis et minoribus, vetitum est sine tutorum vel curatorum auctoritate, inire contractus, vel quamcumque aliam obligationem in se suscipere, veluti renuntiationem, aut remissionem facere *Instit., lib. i, tit. 21 de auctor, tut., lib. 3, tit. 20, § pupillus de inut. stip., lib.* 5, D. *de reg. iur., lib. 2. Cod. de auct. praest.* Non secus cautum habetur in Gregoriano Codice sub § *32* ubi etiam describuntur solemnitates adhibendae, ad hoc ut interdicti obligatio sustineri valeat. Atqui cum omnes solemnitates, in omittenda renuntiatione praetermissae fuerint, eoquod facta etiam sit sine iudicis decreto, et sine oeconomi praesentia, ideo videretur quod ipsa sustineri non posset, et Orator in possessione sui beneficii reintegrandus esset.

Neque iuvat opponere, oeconomum eidem datum fuisse ad gerenda negotia rerum familiarum, minime vero beneficii ecclesiastici ; nam nil aliud, praeter beneficium, possidebat P. et ipse praefectus aerarii capitularis Vaticanae Basilicae, a die editi interdicti, beneficii fructus in manus deputati oeconomi versavit.

Neque praesidium captandum videretur ex possessione paroeciae, quam per duos annos rexit, sive ex plusquam

decennali praescriptione. Non ex possessione paroeciae, quia toto eo tempore adhuc sub vinculo interdicti manebat constitutus. Non ex praescriptione quia ex *cit.* § *32* Cod. Gregoriani interdicti aequiparari videntur pupillis, minoribus et mulieribus. Quoniam vero Codex cit. nil decernit quoad hoc, recurrendum est ex eiusdem praescriptione ad ius commune, a quo requiritur 30 vel 40 annorum spatium, ad praescribendum contra pupillum, post pupillarem aetatem *L. final Cod.* Et perperam recurri ad praescriptionem, si tale spatium lapsum non fuerit, Rota in Caesenaten. successionis *die 22 iunii 1633 cor. Merlino,* § *13.*

Observandum praeterea est, quod solemnitates a Codice Gregoriano praescriptae, inductae sunt pro forma substantiali contractus, ideoque ex quolibet temporis decursu, fieri nequit validus actus qui initio vitiosus sit. Quod enim vitiosum est ab initio, non potest tractu temporis convalescere /. *7 L. de reg., iur. Non firmatur tractu temporis, quod iure ab initio non subsistit., cap. 18, de reg. iur. in 6.* **Neque praesidium captandum esset a** *L. final. Cod. si maior factus,* **praesumente in minore ratificationem actus eliciti tempore minoritatis, ex lapsu quinquennii post maiorem aetatem. Respondet enim Iovius** *in tract, de solemnit. contra Min. Gloss. 15 n. 44 seqq.* **« ibi ». Limitatur decimo non procedere, quando solemnitas « inducta a statuto esset tradita pro forma contractus, quia « tunc liceret reclamare et dicere de nullitate etiam post quin- « quennium. Et ideo** *leg. fin. Cod. si maior fact.* **non habere « locum in terminis huius statuti dicendum est cum Bardellort** *« Consil. 38, n. 23 et 42 ».*

EA QUAE ADVERSUS **P. P.** ADDUCTA FUERUNT. **Animadversum est tamen quod emissa a beneficiato renuntiatione, ad iuris tramites, atque a legitimo superiore acceptata, frustra renunciantem poenitet eorum, quae gessit.** *Cap. 2, de Renunc, cap. 6 eod. tit., cap. 3, de restii. Spoliat. Devoti Instit. Canon., lib. i, tit. 8, sect. i,* **§ j. Quod autem in themate spontanea atque libera fuerit beneficii dimissio, facile eruitur ex epi-**

stolis ipsius P. ad Emum Archipresbyterum, simulque Pro-Datarium, et ex tractatibus qui inter Emum Archipresbyterum et P. intercessere ad hoc, ut dimisso beneficio, possit aliquid a generositate Pontificis obtinere, ad aes alienum dimittendum. Eruitur demum ex instantia oblata huic S. Congregationi die 12 novembris 1877 in qua, praeter alia, legitur « in consilium veni resignandi, apud Datariam Apostolicam, meum beneficium sub aliquibus conditionibus ». Et inferius enarrat quod antequam religiosos habitus indueret, se in Datariam contulit, et renuntiationis actum emisit apud functionarium, a ..quo prius ter monitus fuit de gravitate actus. Quae omnia attente perpensa, coactionis ideam profligant ; praeterquamquod coactio, veluti crimen sapiens, düucidis argumentis adstrui deberet Barbosa in ***Collect,, lib. i Decret., cap. i Cap, relatum de his quae vi metusque caus. fiunt, I. i, ff. pro socio.***

Nulla pariter coactio illata fuit per Patres Missionis, qui nil aliud exquisierunt a P. quam, ut ante religiosi habitus assumptionem media haberet, ad aes alienum dimittendum, et molestias arcendas a religiosa domo, in qua ille vitam degeret.

Huiusmodi renuntiationem coram legitimo superiore emissam atque ab eodem acceptam fuisse, in dubium revocare nefas esset ; quoniam in diario Basilicae Vaticanae id enarratur ceu in factispecie relatum fuit.

Quamobrem cum nullum supersit dubium, de voluntaria beneficii dimissione, deque legitimi superioris acceptatione, P. eodem rescripto dimittendus videretur quo Alexander III dimisit Paulum clericum, propriam renuntiationem impugnantem, ***cap.*** *3,* ***de restii, spoliat. « Mandamus quatenus, quod si vobis constiterit, quod praefatus Paulus nullo metu vel vi coactus sed spontanee ... Ecclesiam taliter abiuraverit, ei super hoc perpetuum silentium imponatis*** **». Neque aliquid erui datum est favore P. ex** ***Trid., Sess.*** *23,* ***cap.*** *16,* ***de regul.*** **quia inibi agitur de novitiis ; sed P. eo tempore quo beneficio nuncium misit, novitius non erat. Sed neque ex facto iuvari posset,**

quod renuntiavit beneficium sine debitis solemnitatibus interdicti tempore. *Primo,* quia nullibi in iure canonico reperitur decretum, quo prohibetur interdicto, sub nullitatis poena, beneficio a se possesso nuncium mittere sine debitis solemnitatibus. Quapropter cum in re prohibitiva illud censeatur permissum quod non est expresse prohibitum iuxta dispositionem *Text. in leg. Necnon, § Quodvis ff. ex quib. caus. maior. Gloss, in Cap. Ex litteris de Jurepatronatus et in Cap. Inter corporalia de translatione Episcoporum* edita renunciatio sustinenda videretur. *Secundo* quia actor P. tantum asserit, sed minime probat, se renuntiasse absque debitis solemnitatibus, dum ex adverso constet resignare voluisse beneficium favore sacerdotis A. quem iam interpellaverant tum supplicans, cum administrator. Unde urget vehementissima praesumptio, quod omnia rite processerunt, et praesumptioni standum est, nisi contrarium probetur *L. Nuptura 38 ff. de iur. dot. L. non est 33 gloss, praesumpt. ff. de eo quod met. caus. Tertio* dato etiam parumper, quod solemnitates de iure requirebantur pro actus validitate, et quod indubiis constaret documentis easdem praeteritas fuisse, P. tamen instantia reiicienda videretur, propter utilis temporis inutilem decursum; nam a tempore rehabilitationis usque ad tempus exhibiti recursus, plusquam 12 anni eifluxerunt. Age nunc; vel ipse petit in integrum restitutionem, et actio quadriennio expiravit *L. ult. Cod. de tempore in integ. r est. L. 2 de min. 23 ann., cap. i, de in integ. r est. in 6.* Ad rem Latini *Elem. Iur. Civ., lib. 2, tit. 6, § io, n. 4,* « ibi ». « Quadriennio quoque expirat Restitutio « in integrum etiamsi competat minoribus vel Ecclesiae, nisi « qua rationabilis causa suadeat eam etiam post quadriennium « concedi » ; vel ipse agit actione nullitatis, et quinquennio post habitatem rehabilitationem praescripta fuit ex L. 3 *Cod. Si maior factus* « ibi » « praecipimus si per quinque conti- « nuos annos, post impletam minorem aetatem, id est post « vigintiquinque annos connumerandos, nihil conquestus est « super tali alienatione vel suppositione, is qui eam fecit, vel

« haeres eius, minime posse retractari, eam occasione prae-
« termissionis decreti, sed sic tenere, quasi ab initio legitimo
« decreto fuisset res alienata vel supposita ».

Tandem haud obliviscendum est, quod renuntiatio haec facta fuerit coram Pontifice, qui praesumitur scire iura, et regulas in scrinio pectoris habere Rota *cor. Crescentio decis.* 143, *n. i* quique optime ipsius statum noscebat, cum et ab ipso fuerit interdictus et ipse praeceperit summam 80 scutatorum per sexennium a novo investito beneficii ipsius rependendam fuisse in Oeconomi manus. Et ideo ne aliquid a suprema illius potestate detrahatur, vel certe eiusdem voluntati quidquam denegetur iuxta monitum *text. in cap. de praeb,* aliud non superest quam ut debito excipiatur obsequio, atque a iudicibus religiose custodiatur quod a Pontifice gestum fuit. Neque praetereundum est, quod P. post egressum a Religione, parochiale beneficium acceptavit ; quapropter acceptatione et possessione secundi beneficii incompatibilis per biennium, primum ipso iure vacasse censendus est *Trid., Sess.* 7, *cap.* 4, *de ref.* Quin iuvetur ex interdicto ; quia id eo tempore evenisse minime probat, et quia lex hunc casum non excipit ; et ubi lex non distinguit nec nos distinguere debemus *L. Sciendum ff. qui satis d. cog.*

Hisce praeiactis in utramque partem propositum fuit enodandum

Dubium,

An constet de nullitate renunciationis beneficii choralis, ita ut sit locus reintegrationi favore Sacerdotis P. P. in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. Congr. re perpensa, sub die 24 augusti 1878 sequens dabat responsum: *Negative in omnibus.*

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Renuntiationem ad iuris tramites emissam, atque a legitimo superiore acceptatam, non posse retrectari, frustraque resignantem beneficium, facti poenitere.

II. In themate renunciationem a P. emissam, immunem fuisse a coactione, quinimo spontaneam et a legitimo superiore acceptatam habendam esse, quemlibet prospicere qui factorum historiam perlegerit.

III. Nullibi in iure canonico decretum fuisse beneficiatum interdictum, nequire proprio beneficio nuncium mittere, spretis solemnitatibus iuris, ideoque cum non sit expresse prohibitum licere censendum esse.

IV. In themate urgere praesumptionem quod resignatio facta fuerit omnino ad iuris tramites, eoquod, praeter libertatem P., accesserit, aliquo modo, consensus oeconomi, qui de huiusmodi resignatione certior factus erat.

V. Acta, propter solemnitatum spretum, irrita convalidari, quatenus rehabilitatus, tempus utile transcurrere sinit absque recursu; ita ut amplius ei non liceat neque restitutionem petere, neque agere actione nullitatis.

VI. Renuntiationem coram R. Pontifice emissam, ab eoque acceptatam, validam quocumque modo renunciandam esse, quia Pontifex praesumitur scire iura et regulas in scrinio pectoris habere.

VII. Ipso iure primum vacare beneficium clerici illius, qui secundum beneficium ecclesiasticum incompatibile recipere aut simul retinere praesumpserit; quia id est contra SS. Canonum formam, et praecipue Constitutionis Innocentii III, *De multa,* nec non ipsius Tridentini, *Sess.* 7, *cap.* 4, *de ref.*

VIII. In themate censendum esse videri, beneficium Vaticanae Basilicae vacavisse, si nondum vacaverit, statim ac P. beneficium parochiale acceperit, quod est incompatibile cum beneficio chorali, alio in loco existenti.

REINTEGRATIONIS VECTIGALIUM.

Die 14 septembris 1878.

Compendium facti. Regio decreto anno 1788 suppressa fuit quaedam Abbatia ; eiusdemque bona atque iura addicta fuerunt Capitulo Ecclesiae Cathedralis C. Conditio- haec tamen adiecta fuit, ut nempe pars bonorum dictae Abbatiae tribueretur quatuor paroeciis eidem Capitulo commendatis, ad eorumdem paroeciarum congruam constituendam.

Capitulum ratam habens dismembrationem alterius ex illis Paroeciis sub titulo S. Firminae, nonnulla praedia tum rustica, tum urbana, pro congrua parochi alimonia, ultro eidem Ecclesiae cessit; et insimul spopondit se quotannis Parocho pro tempore fore soluturum scutata 45 ad ipsam congruam supplendam. Praeterea solemni stipulatione cautum fuit, ut Capitulum Parocho congruam parochialem a quovis onere ordinario vel extraordinario immunem redderet. Ita ut (in stipulatione cautum sic est), assignata congrua per reditus bonorum cessorum, et per 45 scutata ; immunis et libera reddatur a quibuslibet oneribus et vectigalibus.

Actualis Parochus dictae Ecclesiae, solvit usque adhuc tributa omnia, quibus Gubernium italicum onerare valuit fideles subditos. Tandem inopia coactus, postulavit a Capitulo ut, ad tramitem conventionis anni 1788, sublevaretur ab oneribus, et reintegraretur quoad vectigalia, Regio Fisco a se persoluta. Cui Capitulum respondit edicens ; se tantum obnoxium fore restitutioni vectigalium, quibus praedia subiugata sunt.

Parochus tunc, ad sua protuenda iura, sacram adivit Concilii Congregationem enarrans : se laesum fuisse ex vectigalium indebita solutione, cum magna Canonicorum utilitate. Quaesivit inde sollicitum remedium, atque redintegrationem, ab exordio usque ad hoc tempus, pecuniae solutae pro vecti-

galibus vulgo *di mano morta, di ricchezza mobile* quoad 4.5 scutata, *di fabbricato* quoad parochialem domum, excepta taxa personali, quatenus ita Emis Patribus placeat.

Episcopus sententiam rogatus, censuit nihil restituendum esse quoad praeteritum; quo vero ad futurum, Capitulum teneri ad congruam parocho liberam ab oneribus praestandam, ceu supplicans quaesivit. In irritum vero cessis pro conciliatione conaminibus, lis disceptanda plenis comitiis proposita fuit.

Disceptatio synoptica.

CAPITULI IURA. EX **conventione anni 1788 duplici tantum gravatur Capitulum obligatione favore Parochi ; solvendi nempe tributum quod obveniat ex taxis praedialibus ordinariis atque extraordinariis, et rependendi 45 scutata, causa congruae supplendam Hisce nullimode addi possunt aliae taxae vulgo *di mano morta, di ricchezza mobile, di fabbricati;* quia nefas est initas pactiones ampliare ultra ea, quae expressim statuta sunt, *leg. quidquid adstringendae ff. de verb. oblig. leg. si ita stipulât, ff. de verb. obligat.***

Eiusmodi iuris dispositio in subiecta specie praecipue locum sibi vindicat ; quia res est de materia vectigalium, quae cum sit odiosa, in eadem pacta sunt strictissime intelligenda, et non datur extensio de casu ad casum. Opportune Rocca, *cap.* 77, *n.* 8: « Gabella, utpote odium redolens, strictissime « quantum fieri potest intelligi debet, in eo dumtaxat casu, « de quo praecise tenor loquitur impositionis, neque ulterius « extendenda, etiamsi adsit identitas, vel rationis maioritas ». *B ar toi., in I. si pupillus,* 21, *num.* 3 *ff. ad leg. Falcid., in I. Contractus,* 16, *sub n.* 3 *et* 6 *Cod. de fid. instr um. ;* nihil idcirco magis consonum conventioni videtur, quam quod Capitulum ultra impositiones praediales nullum aliud tributum teneatur persolvere.

Frustra dein invocatur articulum conventionis ubi dicitur, quod adsignata congrua esse immunis debeat a quocumque

onere, impensa aut impositione. Verba enim litteraliter captanda non sunt ; sed semper attendendum est, quo animo quid scriptum sit. Quare in quocumque negocio inspici sedulo debet quid sit actum ut ad ***Text. in leg. Semper in stipulationibus,*** *34, ff.* ***de regul. iuris monet Gudelin. Syntagen., reg. iur. cap.*** *2,* ***num.*** *4* ***et*** **5. Et iure quidem : contractus enim formam et determinationem recipiunt a contrahentium voluntate.**

Contrahentium voluntatem ad incognita ferre non posse certo certius est; ***text. in I. Patres ff. de condici, et demonstrat., I. Cuius ff. ad Municip. Valasc. co?isultat. i/ç, n.*** *3.* **Atqui vectigalia, de quibus agitur nullimode paciscentibus nota esse poterant, cum conventionem stipularentur; ideoque egisse retinendum est de vectigalibus praedialibus tantum.**

Et merito, nam de iis vectigalibus contrahentes cogitasse et pepigisse dicendum est, quorum praesens erat occasio et necessitas ; quia tantum pro praediis sub Parochi nomine in censualibus tabulis descriptis, vectigalia Parochus perferre debebat. Capitulum autem ab onere horum vectigalium parochum exemit ; hinc prono veluti alveo fluit, contrahentes ante oculos habuisse tantum tributa praedialia. Praeterea in iure tralatitium est, quod ad dignoscendam vim cuiuscumque pactionis et stipulationis integer conventionis contextus debeat attendi, Rota, in ***Narnien., Dotis et lucri,*** *12* ***febr.*** *1816, § 13, cor.* ***Piccolomini.*** **Profecto integer conventionis contextus comprobat, contrahentes solum fuisse contemplatus' vectigalia praedialia. Nedum ex conventionis contextu, verum etiam ex ipsamet vectigalium natura colligitur, a iure repetendi vectigalia controversa, Parochum extorrem esse. Nam ex ipsis conventionis verbis eruitur, quod taxa vulgo** ***di manomorta*** **respicit** ***Entern moralem,*** **sive, in casu nostro,** ***Parochialitatem,*** **quae Congrua non est. Ergo taxae huiusmodi subiicendus est ille, qui** ***Parochialitatis*** **ius habet, seu Parochus ipsemet; in cuius favore, Capitulum i>er conventionem huic praecipue iuri nuncium misit.**

Itidem ad Parochum unice spectare vectigal ***dei fabbricati*** **Capitulum contendit. Domus enim parochialis pars Congruae**

haud est ; sub quo nomine veniunt tantum fructus sive reditus, qui Parocho debentur ; inter quos certo cooptari nequit domus parochialis. Et ideo taxae domui parochiali impositae, rependi a proprietario tantum debent, qui in themate Parochus est, in cuius favore Capitulum proprietatem cessit.

Inani aeque conatu Parochum repetere restitutionem vectigalis *di ricchezza mobile* inhaerentis congruae scut. 45 ; atque hoc ex duplici ratione. *Primo* nempe quia Capitulum annuatim congruam rependendo, pecuniae dominium in Parochum transfert. *Secundo* quia super eadem congrua, iam praedictam impositionem *di ricchezza mobile* atque alias idem Capitulum persolvit ; quippe quod capitulares reditus, a quibus ipsa desumitur, iisdem subiiciuntur vectigalibus ; et cum duplex vectigal solvere pro una eademque re summae acerbitatis reputetur, Rota, in *Assisien., Executionis manus regiae, 20 maii* 183c, *cor. Marini,* § 4, quod gravissimum semper retentum est, minimeque ferendum, *Leg. Interdum,* 8, *quoties ibique glossa Dig. de public, et vectig. Const. Consil.* 455, *num.* 3, *lib. i ;* manifestum idcirco est, quod tributum *di ricchezza mobile* persolvendum est a Parocho, non vero a Capitulo. Et re quidem vera, aiunt Canonici, quum 45 scutata persoluta fuerint, e proprietate Capituli transeunt in Parochi proprietatem ; qui omnino taxas rependere debet vi possessionis huius. Nimis enim arduum esset pro Capitulo, si, cum praestiterit Parocho congruae augmentum, perpetuo deberet eamdem pecuniae vim integram protueri. Neque praetereundum est, idem Capitulum varias rependere taxas super fundum a quo 45 scutata trahit, et hisce non obstantibus persolvit eamdem summam Parocho, a qualibet immunem diminutione.

Praeterea stipulatione etiam remota, Parochi petitionem iniustam esse liquet; quia congrua actualis superat limites congruae a lege civili praefinitae in scutatis annuis 80. Quapropter Parochus videretur petere vectigalium redintegrationem, potius ad lucrum captandum, quam ad damnum evitandum; idcirco locum non esse huic restitutioni, vectigalium consequitur.

IURA PAROCHI. **¿Altera verum ex parte Parochus iure meritoque repetere vectigalia a Capitulo videretur, excepta, ut ipse excepit, taxa *di famiglia,* in vim dictae conventionis anni 1788. In hac enim conventione constitutum fuit: « Congrua assignata « ex reditibus bonorum descriptorum, et ex adiectione scutatorum 45, immunis sit atque libera a quolibet onere, impensa « et impositione ». Quae porro verba adeo effrena atque adeo ampla sunt, ut nullum relinquant onus, quo parochialis congrua non debeat exonerari. Huic autem conclusioni concinit etiam lex lata a S. Congregatione Oeconomica, mense iulii 1816, qua constitutum est, ut in materia pensionum omne onus pensitandi vectigalia converti debeat in contrahentem, qui pactus est pensionis praestationem liberam atque immunem ab onere quocumque.**

Iam ex ipsa iuris dispositione effrenata illa clausula « libera a quocumque onere » per se in Capitulum refundit quodcumque tributum vel onus, quod ipsam congruam quandocumque valeat praegravare. Verba enim generalia, generaliter intelligenda sunt, nec ullum limitem recipiunt; quia genus speciem continet, et quod generaliter exprimitur, id de specie et individuo dictum intelligitur. At verum cum *impositionum* liberatio ad favorem Parochi fuerit concepta verbis amplissimis et praegnantibus, hinc etiam controversa vectigalia comprehendit, cum talis liberatio generalis extendatur ad incognita et minime cogitata *leg. Si de certa C. de transad, ubi Bartol. col.* 2, *versic. si vero loquimur, Menoch., cons.* 406, *n.* 38.

Alioquin relata conventionis verba omni carerent sensu, nec quo consilio conscripta fuerit ostenderetur, si controversa vectigalia excludi deberent ; dum e contra exploratum sit in contractibus et obligationibus, nullum verbum otiosum aut effectu vacuum censendum esse, Rota, *in recent, decis.* 337, *n. i, part.* 2, *cor. Motines, decis.* 2çç, *n.* 4, *cor. Olivat.* Exoneratio vero, quam a Capitulo adstipulatus fuit Parochus de anno 1788, non praedia tantummodo rustica affecit, sed domum etiam parochialem, atque supplementum congruae in praesta-

tione scut. 45 comprehendit; quandoquidem liberatio extensa fuit ad integram congruam prouti quoque animadvertit Parochus actualis.

Et probe quidem, nam illud pro valido habendum est, non solum quod expresse cautum fuit, verum etiam quod perspicue ac necessario consequitur ab expressis ***leg.*** *6,* ***ff. de contract. empt., leg.*** *219,* ***ff de verbor. signif., leg. Praetor ait § /, ff de op. nov. nunc.*** **Profecto recensitorum vectigalium liberatio, necessario consequitur ab expressa liberatione a quibuslibet oneribus, super congrua parochiali ; quia tum tributa praediorum rusticorum, tum onera urbana, praedia nec non praestationes pecuniarias praegravantia, ipsam congruam aeque diminuunt.**

Id secumfert causa finalis, quae, prouti notum est, unicuique lucem praebet contractui, Rota, ***in Romana seu Ostien., Associationis,*** *23* ***ianuarii*** *1819,* ***cor. Odescalchi:*** **quod nimirum posset Parochus praestituta congrua perfrui, absque ulla diminutione vectigalis, oneris, expensarum; in quo nimirum conventionis finis continetur. Atqui novae taxae, quae diversimode Parochiali beneficio incumbunt, reditus valde imminuunt, ergo a Capitulo solvi debent.**

Sed praeter pactum conventum in stipulatione anni 1788, quam maxime Parocho suffragatur ex una parte aequitas vel ipsa, qua congruam sustentationem repetit ab illis qui bona suppressae Abbatiae obtinuerunt, ut Paroeciis consulerent ; ex alia autem factum ipsum notabilis diminutionis congruae parochialis ex controversis vectigalibus proveniens, per eorumdem exonerationem incolumitati eiusdem congruae providendum fore suadet. Nihil enim certius est, quam Rectori Ecclesiae exercenti curam animarum et administranti Sacramenta populo, congruam portionem deberi, quae pro alimentis rependitur, ut in ***Clement, i, et in capit. Extirpandae, § Qui vero.*** **Talis autem esse debet congrua, ut Parochus, qui laborat in vinea Domini spiritualia Populo ministrando, absque sollicitudine quaerendi aliunde sibi victum, commode vivere queat, Rota,**

cor. Millino, decis. *84,* ***n.*** *4,* ***et in recent, decis.*** *347,* ***n.*** **7,** ***part.*** *1 3 ;* **ne alias propter inopiam proprium officium negligat, populoque sibi credito, quem coercere debet, sit ludibrio, ac indigna suo gradui cogatur peragere*, Lotter., de re benef., lib.*** *2>* ***quaest.*** *12,* ***n.*** *23.* **Proinde DD. uno ore tradunt, Parochum qui diminutionem passus est reddituum parochialium, agere pro eius supplemento posse adversus possidentes bona Paroeciae,** ***Lotter., de re benef., I.*** *2,* ***qu.*** *12,* ***n.*** *27* ***et seq.***

Atqui parochus actualis ostendit per onera varia quae suffert, propriam congruam imminutam fuisse ex 20 scutatis ; et neminem urgentiori obligatione obstringi, ad eiusdem indemnitatem, quam Capitulum Cathedralis, eoquod bona Paroeciae eiusdem possidet.

Tandem autem posthabuit Parochus exceptiones a Capitulo oppositas. Ait enim Capitulum : solutionem immutare proprietatem; hinc 45 scutata, quae in proprietate Capituli erant, et super quae taxam rependit, in Parochi proprietatem transire, qui taxam solvere debet ; neque idem Capitulum obstringi, ut prosequatur ad summam eamdem protuendam, postquam eam persolvit. Quibus exceptionibus respondit Paro chus: solutionem immutare proprietatem si id subintelligatur iuxta contractuum pacta; scutata autem 45, quum apud Capitulum manent, nullimode in eius proprietate esse, sed loco depositi eadem retinere Capitulum, ut debito tempore Parocho tradat; a veritate abhorrere Capitulum solvere taxas pro Parocho, sed easdem solvere pro annuali sua administratione ; haud pariter exigi quod Capitulum prosequi debeat protueri 45 scutata pro Parocho quum eadem tradiderit: sed exquiri quod Capitulum immunem a taxis servet summam praedictam : aliter enim Parochus haud recipit 45 scutata iuxta disposi- si tiones vigentes.

Hisce expositis EE. CC. peritiae remissum fuit decernere quomodo esset resolvendum

Dubium.

An sit locus reintegrationi pro vectigalibus tam persolutis, quam persolvendis in casu.

RESOLUTIO. **S. Concilii Congr. sub die 14 septembris 1878, causa discussa, censuit respondere :**

Affirmative, quoad vectigalia persolvenda, excepta taxa mere personali {vulgo **di famiglia)** *quo vero ad vectigalia persoluta placere de concordia.*

EX QUIBUS COLLIGES:

I. Ut vis et efficacia conventionum intimius pertingatur, haud aspernendam esse conventionum earumdem causam finalem ; quae, uti iurisprudentia docet, unicuique contractui lucem praebere solet.

II. Finem conventionis, de qua agitur, illum fuisse, ut parochus praestituta congrua perfrui posset, nullo imminuta gravamine, ne eveniret ut parochus ipse egeret.

III. Decet enim Parochos tali uti congrua, qua commode vivere possint ; ne dum spiritualia populo ministrant in vinea Domini, inopia cogantur, aut eiusmodi sacrum negligere officium, sive talia peragere, quae populo sibi credito offensionis causam praebeant.

IV. Conventiones amplissimis et effrenis conceptas verbis, ex ipsa iuris dispositione, taliter accipiendas esse, ut nullo coarctantur limite ; quia verba generalia, generaliter intelligenda sunt; et quod generaliter exprimitur, de specie et de individuo dictum intelligi debet.

V. In themate, conventionem in Parochum et Capitulum tali adstipulatam fuisse verborum amplitudine quoad onerum exemptionem favore Parochi, ut nullum supersit gravamen quo Parochus levari non debeat per Capitulum.

VI. Ex lege 6 **Digest.,** ***de contract. empt.,*** **erui, illud pro valido habendum esse, quod non solum expresse cautum fuerit, sed etiam id quod perspicue et necessario ab expressis prosequitur.**

ABSOLUTIONIS
ET DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE.

PER SUMMARIA PRECUM.

Die 25 ianuarii 1879.

Reverendissimus Antistes *C.* preces Sacratissimo Principi, quo sospite laetamur, obtulit, haec referens: Clericus Fridericus *A.* acolythus, quum iustis de causis ab ordinibus sacris arceretur, litteras dimissoriales, insano abreptus consilio, falsava Ordinarii sui, atque ab Episcopo alieno die 23 februarii 1864 Diaconatum per saltum recipere ausus est. Supplici dein libello admoto, facti poenitens, obtinuit a S. Poenitentiaria absolutionem a censuris poenisque ecclesiasticis, *firma ei remanente Irregularitate, tam quoad ordines susceptos, quam suscipiendos.* Nunc autem clericus iste, quum probe se gesserit per annos 17 in servitio paroeciali ecclesiae, dignus videtur qui ad alios sacros ordines promoveri possit. Hinc quaesivit Episcopus a S. Sede facultatem tum promovendi ad alios ordines, tum habilitandi clericum eumdem ad exercitium Ordinum iam receptorum.

Disceptatio synoptica.

Ex Cap. i, 2 et 3, *De eo qui furtive ordines suscepit,* qui furtive ordinem suscipit, non potest in Ordinibus sic susceptis, ministrare neque ad alios suscipiendos ascendere: cum hoc autem male ordinato, si ordinator excommunicationis interminationem protulerat ante ordinationem contra furtive accedentes, solus Papa dispensare potest. Animadvertendum insuper, quod ex hoc textu Doctores communiter dicunt, furtive promotum incurrere irregularitatem ipso facto *difficilius* dispensabilem si facta erat interminato illa: ita *Suarez, disp.* 42,

de censuris, sect. *3,* ***n.*** *3,* ***Maiol., lib.*** *4,* ***cap.*** *8,* **et alii passim. Quae quidem poenae gravius inflictae videntur contra falsis dimissoriis promotum, incurrit enim crimen falsi : immo secundum magis communem sententiam, si hoc crimen sit notorium iure vel facto, absque sententia incurrit poenam infamiae infamia iuris, quia est crimen depositione dignum,** ***Sayr, lib. y, cap.*** *12,* ***n.*** *3* ***et*** *12* ***: Garz., par. n, cap.*** *3,* ***num. no.*** **Hodie vero ex Tridentino,** ***Sess.*** *6,* ***cap.*** *3* ***et Sess.*** *23,* ***cap.*** *8,* **certum est quod Ordinatus ab alieno Episcopo sine licentia expressa sui Ordinarii, est ab executione Ordinum ipso iure suspensus, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire ; et irregularis fit ad alios Ordines suscipiendos. Quae poenae satis consulte latae sunt in taliter temerario ausu promotum, ne ulla via ad fraudes et dolos in re tam gravis momenti pateret.**

Praeterea si quis neglecto aliquo ordine ad superiorem provehatur, dicitur ordinatus per saltum, manetque ab ordine suscepto suspensus. Ab hac suspensione absolvi per Episcopum potest, quoties in ordine suscepto non ministravit: ubi vero ministravit contraxit irregularitatem, a qua si adhuc occulta sit dispensare potest Episcopus ; si sit notoria adeundus est Summus Pontifex ***cap. un. de cleric. per saltum promot. Trid. Syn., sess.*** *23,* ***cap.*** *14,* ***Clement. VIII Constit. Romanum Pontificem*** *1 2 1 .* **Semper autem omissus ordo recipiendus est, et tantum quando casus est occultus, Maior Poenitentiarius permittere potest ut occulte recipiatur a quolibet Antistite, etiam extra tempora, non servatis interstitiis et absque dimissoriis,** ***Bened. XIV Const. Pastor Bonus,*** **§** *18.* **Quibus omnibus perspectis, cum Fridericus non modo ordinem Diaconatus furtive cum falsis dimissorialibus, sed etiam per saltum suscepisset, videretur quod petita dispensartio esset deneganda : tot enim crimina commissa, tot censurae in unico facto neglectae ab Oratore inveniuntur, quae suadent non facile ipsas esse relaxandas, nec Episcopi votis indulgendum.**

Ex altera vero parte, plures iam anni efïïuxerunt ab ordine male suscepto, umilitatis et verae poenitentiae signa Fri-

clericus dedisse videtur, proindeque malo exemplo et scandalo, sua agendi ratione reparasse, adeo ut ipse Episcopus supplices preces ad S. Concilii Congregationem exhibere non dubitaverit, quae omnia simul sumpta canonum rigores remittendos esse suadent. Nec aliter sensit S. C. Congr. *in Aglonen.* et *Tursien.* diei 23 septembris 1844, in qua subdiaconus *L.* anno 1836 falsis dimissorialibus Vicarii Capitularis per saltum et absque legitima aetate ad presbyteratus ordinem fuerat promotus. Petita absolutione a censuris et dispensatione ab irregularitate et rehabilitatione, S. Congr. C. *die* 5 *maii* 1841 jrescripsit primo *Orator det vera signa poenitentiae et constantis emendationis.* Deinde Orator sponte sua per tres menses spiritualibus exercitiis vacavit; et exhibito laudabili testimonio de mutatae vitae ratione, et de sollicitudine semper habita de bono nomine, iterum preces instauravit penes S. C. C. quae tandem nunciata die 23 *septembris* 1844 sequens dedit rescriptum. « Peractis spiritualibus exercitiis « loco ac tempore ab Episcopo praefiniendis, consulendum « SSmo pro gratia absolutionis a censuris aliisque poenis « incursis, dispensationis et rehabilitationis ab irregularitate « quomodolibet contracta, arbitrio et conscientiae Episcopi, « qui constito prius sibi de sufficienti Oratoris scientia, secreto « etiam extra tempora a iure statuta, dominico tamen die, € suppleat praetermissum s. Diaconatus Ordinem ».

Hisce igitur attentis haud videretur Friderico denegandum esse beneficium absolutionis in foro etiam externo a censuris, aliisque poenis incursis, atque dispensationis ab irregularitate ad hoc, ut suscepto prius subdiaconatus ordine, ipse ad Presbyteratum ascendere valeat.

Hisce praeiactis, remissum fuit EE. CC. prudentiae decernere, quonam responso essent dimittendae preces pro clerico.

RESOLUTIO. **Sacra C. Concilii, perpensis omnibus, sub die 25 ianuarii 1879 respondit:**

Pro gratia, iuxta petita, facto verbo cum SSmo.

EX S. CONGREGATIONE INDICIS

DECRETUM.

Feria II die 3 februarii 1879.

Sacra Congregatio Eminentissimornm ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONE PAPA XIII Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae eorumdemque proscriptioni, expurgationi, ac permissioni, in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano die j februarii** i8jo **damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur Opera.

Ardigò Roberto. La formazione naturale nel fatto del sistema Solare. Mantova, Viviano Guastalla 1877.

Picco Modesto prof. Prime Nozioni intorno ai Doveri dell'Uomo, e del Cittadino con alcuni cenni circa i diritti che questi devono derivare ad uso delle scuole elementari. Stamperia Reale di Torino, 1878. « Auctor laudabiliter se subiecit et Opusculum reprobavit».

Mancini Luigi professore di letteratura italiana nel liceo Nolfi di Fano. Dio è Vivo. Lettera ad un amico. Fano, pei tipi V. Pasqualis succ. Lana, 1878.

Dittes Friedrich Dr. Director des Paedagogium in Wien. Lehrbuch der Psychologie. Leipzig, 1876 - « Latine: Institutiones Psycologiae. Lipsiae, 1876. Opus praedamnatum ex Reg. II. Ind. Trid. ».

Causes intérieures de la faiblesse extérieure de l'Eglise en 1870. Cinquième partie, 3 vol. Rome, imprimerie Tiberina 1878.

Havet Ernest Le Christianisme et ses origines, 3 vol. Paris. Michel Calmann Lévy éditeurs, 1873, 1878.

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, quocumque loco, et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus ea tradere teneatur sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus Sanctissimo Domino Nostro LEONI PAPAE XIII per me infrascriptum S. I. C. a Secretis relatis, Sanctitas Sua Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.

Datum Romae die 4 februarii 1879.

Fr. THOMAS MARIA **Card.** MARTINELLI, ***Praefectus.***

L. © S.

Fr. Hieronymus Pius Saccheri Ord. Praed.
S. Ind. Congreg, a Secretis.

Die 22 februarii 1879, ego infrascriptus magister Cursorum testor supradictum Decretum arfixum et publicatum fuisse in Urbe.

Vincentius Benaglia, Curs. A

EX S. CONGREGATIONE SS. " RITUUM

DECRETUM.

LYCIEN. Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Pompilii Mariae Pirotti a Sancto Nicolao Sacerdotis professi Congregationis pauperum Matris Dei Scholarum piarum.

SUPER DUBIO.

An constet de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe, et Caritate in Deum et proximum, nec non de Cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine, et Temperantia earumque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur?

Divina dispositione contigisse videtur, ut hisce diebus, quibus Ecclesiae Ministri ab instituenda iuventute prohibentur ac penitus extruduntur, virtutum praestantia in Ecclesia celebretur, qua Ven. Pompilius Maria Pirotti enituit, omnem impendens operam erudiendis et informandis adolescentulis in Calasatictiano instituto Scholarum Piarum. Natus ipse est anno ab ortu Christi MDCCX **tertio Kalendas octobris in vico Montiscalvi Beneventanae Dioeceseos ex coniugibus Hieronymo et Ursula Bozzuti tam generis amplitudine, quam pietate morumque integritate conspicuis: iisque nil potius fuit quam puerum diligenter excolere, et optimis artibus erudire. Parentum sollicitudini Adolescentulus apprime respondit, siquidem pueriles fastidiens nugas, pietatis operibus sedulo vacabat. Morum autem innocentia, corporis maceratione, Sacramentorum frequentia, caritas Dei iugiter eius diffundebatur in corde, et caritate fraternitatis invicem diligens coaevos, ipsosque villicos convivio exceptos fidei mysteria edocebat evangelico ministerio praeludens. Cumque ad salutem animarum curandam divinitus vocaretur, devictis quae obsepiebant viam impe-**

dimentis, Beneventum petiit, et in Congregatione Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum tyrocinium iniit; in quo virtus eius sic enituit, ut exemplo omnibus praeiret. Nuncupatis ferventissimo spiritu votis, ac Sacerdotio deinde auctus, arduam christianae perfectionis viam alacrius quotidie incessit. Aere enim perpetuumque bellum corpori indixit, ut quoscumque animi motus comprimeret, et carnem adversus spiritum conspirantem subditam haberet. Inter caetera quippe instrumenta quibus sese excruciabat ligneum cor supra pectus continuo gessit ferreis acuminibus introrsus extantibus, quo pectus fodicabat. Humilitatis studio detecto ut plurimum capite nudisque pedibus incessit per aspera etiam ac salebrosa, et multa nocte in horto perstabat in divinarum rerum contemplatione sub pluvio et nivali caelo: cubiculum in quo habitabat paupertatis domicilium videbatur, talis eius victus qui continuum esset ieiunium aut fastidium afferret. Ita mortificationem Iesu in corpore suo circumferebat, ut vita Iesu in suo etiam corpore manifestaretur. Iuxta Instituti disciplinam, quam diligentissime ad mortem usque servavit, in erudiendis adolescentulis, aut tradendis humanioribus litteris pluribus annis adlaboravit; et quos ubique nactus est discipulos non litteris magis quam pietate informandos curavit. Neapolim missus in suae Congregationis domum animarum saluti se totum devovit tum quotidianis de re divina ad populum concionibus, tum indefessa confessionibus excipiendis sedulitate; virtutum autem exemplo et evangelicae caritatis fama tantam confluentium allexit multitudinem, ut locus in quo confessiones audiebat, aut concionabatur, verius obsessus quam stipatus videretur. Verum Daemonis astus tanto animarum bono invidere non destitit, et Christi ministrum iniuriis, calumniisque tam acriter ac pervicaciter impetivit, ut Ven. Servus Dei Praesidum nutui sollicite parens Anconam migraverit. Acerrimam persecutionem fidelissimus Calasanctii Discipulus heroicae patientiae exemplum Sancti Institutoris propositum habens non solum aequo, sed hilari etiam animo tulit. Ita sane Deus servum suum tam-

quam aurum in fornace probavit, et quasi hostiam accipit illum; et glorificavit eum. Eodem siquidem fervore apostolicum ministerium tum Anconae, tum finitimis in locis exercuit ingenti cum animarum lucro, se ipsum praebens exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate enuncians testimonium Christi in ostensione spiritus et virtutis in simplicitate cordis, et in gratia Dei. Campiensem denique domum in Apulia reversus, omnibus omnia factus, omnes salvos facere enixe procuravit, egestatibus quoque illius plebis consulens, convocatis eleemosynis quas ostiatim emendicabat, quaeque in eius manibus saepe saepius prodigiose augebántur. Sed iam evangelicis laboribus pene confecto aeterna debebatur requies. Ineunte itaque iulio anni MDCCLXVI **Ven. Servus Dei tentari febribus cepit, et quamvis febriens undecim diebus concionem ad plebem habuit et Sacrum litavit caelesti ut solebat in Deum raptus fervoris aestu, et in exedra ad confessiones excipiendas consedit; in qua tandem cum animo defecisset in cubiculum deductus est; tertia autem die Christi viatico, et sacro munitus oleo Crucifixi imaginem pectori peramanter constringens, super nudam tabulam stratus, inter confratrum preces et lacrymas placidissime decessit Idibus iulii post vesperas Beatae Mariae Virginis a Carmelo, ut iamdiu ipse praenunciaverat sese vocandum a suavissima Matre sua in die eidem sacro. Quinquaginta sex aetatis annos nondum expleverat, quorum quadraginta in erudienda iuventute, et ministerii exercitatione, ad divini nominis gloriam et animarum salutem insumpserat. Pervulgatus ut est Ven. Pompilii obitus, ingens concursus ex vicinis quoque pagis ad demortui .cadaver factus est, et religionis causa quid quisque potuit de capillis ac vestibus Ven. Viri carpsit; quin imo impetu repente in sacrum tribunal facto, in quo confessiones audiverat, illud in frusta conscissum, eaque etiam minutissima certatim sibi quisque vindicavit. Sanctitatis fama, quam Ven. Servus Dei omnium virtutum praestantia sibi vivens conciliaverat, annorum decursu aucta continuo est; eamque**

caeleste gratiarum testimonium confirmavit, quas omnipotens Deus Venerabilis Pompilii opem implorantibus largiri dignatus est.

Ut primum itaque pro temporum vicibus licuit, anno nimirum MDCCCXXXIX, **propositum fuit Dubium de Introductione Causae, cuius Commissionem Summus Pontifex sa: me: Gregorius XVI quinto idus augusti propria manu signavit. Absolutis deinde actis iuxta apostolicas constitutiones, Ven. Pompilii virtutum praestantia discussa primo fuit in Antepraeparatorio Coetu penes cl. me. Cardinalem Patrizi tunc causae Ponentem idibus februarii anni** MDCCCLXXIV **: xieinde in Praeparatoria Congregatione Vaticanis in aedibus sexto idus augusti anni** MDCCCLXXIV. **Iri generalibus tandem comitiis in Apostolico Palatio coram Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII congregatis hoc anno, septimo idus iulii, Reverendissimus Cardinalis Aloisius Bilio Episcopus Sabinen. Causae Relator dubium proposuit:**

An constet de Virtutibus Theologalibus et Cardinalibus, earumque adnexis Ven. Servi Dei Pompilii Mariae Pirotti in gradu heroico, et ad effectum de quo agitur?

Tum Reverendissimi Cardinales Sacrorum Rituum Congregationi praepositi, tum singuli Patres Consultores unanime protulerunt ex ordine suffragium. Sanctissimus vero Dominus Noster, antequam in re gravissimi momenti decretoriam enunciaret sententiam hortatus vehementer est omnes ut spiritum consilii a divino luminum Patre implorarent. Iteratis porro ad Deum precibus, rei gravitate mature perpensa, favente et inspirante Domino, iudicium edicere statuit. Divina itaque hostia piissime oblata in suo privato Apostolici Palatii Vaticani Oratorio, Dominica XXIII post Pentecosten nobiliorem aulam petiit ; ibique accitis Revmo Cardinali Dominico Bartolini Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, ac Reverendissimo Cardinali Aloisio Bilio Episcopo Sabinen, Causaeque Relatore, una cum R. P. D. Laurentio Salvati S. Fidei Promotore, meque subcripto Secretario, solemniter decrevit:

Constare de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe, et Caritate in Deum et Proximum, nec non de Cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine, et Temperantia earumque adnexis Ven. Servi Dei Pompilii Mariae Pirotti a Sancto Nicolao Sacerdotis Professi e Congregatione Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

Hoc autem Decretum publici iuris fieri, et in acta Sacrorum Rituum Congregationis referri mandavit decimoquinto Kalendas decembris anni MDCCCLXXVIII.

D. Card. BARTOLINI, **S. R. C.** ***Praefectus.***

L. © S.

Placidus Ralli, S. R. C. *Secretarius.*

IACIENSIS.

Decretum, quoad modum canendi invitatorium in Officio Divino.

Episcopus Iaciensis exposuit Sacrorum Rituum Congregationi, in sua Cathedrali Ecclesia hunc usum obtinere quo Cantores in Invitatorio, postquam expleto cantu versiculi *Gloria Patri,* Chorus partem Invitatorii de more respondit, integrum Invitatorium ipsi decantent absque responsione chori. Iamvero quum hic mos videatur oppositus aliarum Ecclesiarum usui, in quibus Invitatorium in ultima vice partim a Cantoribus et partim a Choro repetitur, ita ut Chorus ipse cantum illum absolvat, idem Episcopus ab eadem Sacra Congregatione humillime exquisivit: *An talis usus Cathedralis Ecclesiae Iaciensis servari licite valeat?*

Sacra porro Rituum Congregatio, audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem subscripti Secretarii, ita respondere censuit: *Servetur usus.* Atque ita respondit die 26 novembris 1878.

D. Card. BARTOLINI, **S. R. C.** ***Praefectus.***

Pro R. P. A. Placido Ralli, *Secretarius.*
Ioannes Can. Ponzi, *Substitutus.*

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

LEONIS DIVINA PROVIDENTIA PAPAE XIII

MOTUS PROPRIUS

quo usus characteris theutonici tollitur, et usus plumbei numismatis cum adiectis cordulis limitatur in Apostolicis Litteris.

LEO PP. XIII.

Universae Ecclesiae regimen humilitati Nostrae concreditum inter alia sollicitudinem a Nobis expostulat, ut per eos, quorum opera, et ministeriis utimur, eae meliorationes ac modificationes quae magis publicae utilitati consulere, magisque aetati huic nostrae respondere videntur, in re praesertim ecclesiastica procurentur, atque afferantur, Quapropter cum experientia compertum fuerit charactere theutonicum vulgo *Bollatico* utpote ab usu communi remotum, Litterarum Apostolicarum lectioni difficultatem ingerere, et earumdem remorari expeditionem quousque authenticum exemplar, *Transumptum* nuncupatum, signatum non fuerit ; plumbeum vero numisma faciliori huiusmodi Litterarum transmissioni haud leviter obesse, super quibus elatas quandoquidem fuisse querelas novimus, Nos his, aliisque minoris ponderis incommodis prospiciendum. Apostolici muneris esse reputamus.

Idcirco de consilio dilecti Nostri Filii Cardinalis Pro-Datarii, et audito desuper etiam dilecto filio Cardinali S. R. E. Vice-Cancellario, per praesentes Litteras Motu proprio characteris, de quo supra, in Apostolicis Litteris usum sublatum, et abolitum decernimus ac declaramus, mandantes ut a praesentium publicatione Litterae Apostolicae communi latino charactere super charta pergamena, ut in more est, excribantur et exarentur, firmis tamen manentibus omnium, et singulorum Officialium, et ministrorum subscriptionibus cum proprii cuiusque muneris respectiva designatione.

Quoad plumbea numismata una cum adiectis cordulis praecipimus ea servanda tantum esse in Apostolicis Litteris collationum, erectionum et dismembrationum Beneficiorum maiorum, nec non in aliis S. Sedis solemnibus actis. In reliquis vero litteris et praesertim quae Beneficia minora ac dispensationes super impedimentis matrimonialibus respiciunt Auctoritate Nostra Apostolica, per praesentes eadem abolemus, et abolita fore statuimus et mandamus, iisque substitui ac substitutam, et subrogatam fore iubemus impressionem rubri coloris sigilli noviter conficiendi imagines ipsorum Apostolorum Petri et Pauli referentis, inscriptione Nominis regnantis Summi Pontificis circumducta. Quae autem pro fideliter custodiendis et asservandis plumbi numismatum typis statuta sunt, eadem per praesentes confirmamus atque examussim observanda esse decernimus.

Quamobrem Cardinalibus Nostris Pro-Datario, et S. R. E. Vice-Cancellario eorumque pro tempore Successoribus hoc Nostro Motu proprio praecipimus et iniungimus, ut ipsi in posterum in quacumque Litterarum Apostolicarum huiusmodi expeditione, superius praemissa atque ordinata prae oculis habentes, ea firmiter observent, et ab omnibus et singulis sibi respective subiectis Officialibus, ministris ac personis quibuscumque inviolabiliter observari faciant.

Non obstantibus quibusvis Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ac, quatenus opus sit, de iure quaesito non tollendo ; aliisque Nostris et Cancellariae Apostolicae regulis ; nec non Privilegiis, Indultis, Facultatibus et Litteris Apostolicis speciali mentione dignis, et ex quacumque causa hic forsan de necessitate exprimenda, concessis, approbatis et innovatis, usibus quoque, stylis, consuetudinibus etiam diuturnis, et inveteratis in contrarium praemissorum quomodolibet facientibus vel extantibus. Quibus omnibus et singulis illarum omnium et singularum tenores pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes ad praemissorum effectum specialiter et expresse praesentibus huius Nostri Motus propriis Litteris derogamus, caeteris contrariis quibuscumque.

Nulli ergo hominum liceat paginam hanc Nostrae abolitionis, suppressionis, subrogationis, confirmationis, praecepti, statuti, mandati et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc tentare praesumpserit, indignationem Dei Omnipotentis et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum die vigesima nona decembris T 878.

LEO PP. XIII.

CAROLUS **Card.** SACCONI
Pro- Datarius.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

LEONIS DIVINA PROVIDENTIA PAPAE XIII

ALLOCUTIO

habita die 28 februarii 1879 ad S. E. R. Cardinales in aedibus Vaticanis.

Venerabiles Fratres,

Amplissimi Ordinis vestri praesentia libenter hodie perfruimur, ut Vobiscum ex Praedecessorum Nostrorum instituto, de confirmatione Patriarchae Babylonensis Chaldaeroum agamus, cuius electione, viduae Sedis regimini consulendum, Episcopi Chaldaici ritus pro sua parte curaverunt.

Ea enim quae ad Orientales Ecclesias pertinent, Venerabiles Fratres, pro supremo eo ministerio, quo ex divina institutione perfungimur, peculiari Nostra sollicitudine ac studio digna omnino putamus, quemadmodum et a Praedecessoribus Nostris omni aetate factum esse comperimus. Quorum quidem tantum fuit in Orientales Ecclesias studium, tantusque amor, ut ad Damasum scribens Basilius in ea verba eruperit: ***Nos***

semper tempore praeterito recreavit caritatis vestrae vis admirabilis. **Noverant enim Ipsi pristinam illarum regionum nobilitatem, in quibus sol iustitiae humano generi affulsit; necnon earum Ecclesiarum veterem gloriam, quae praeclara caelestis sapientiae et admirabilis sanctitatis lumina protulerunt. Quapropter et Nos ab ipso Nostri Pontificatus exordio cum Orientis Ecclesias gravissimis procellis divexari conspexerimus, singularum necessitatibus opem afferre contendimus; et opportunam nacti occasionem, qua per Legatos praecipuorum Europae Principum de publicis Orientis rebus componendis consultantur, non omisimus omnibus officiis agere, ut ius catholicae Religionis in iis regionibus libere exercendae publice agnosceretur et sanaretur. Quod cum feliciter obvenerit, propositum Nobis fixumque in animo est, indesinenter omnem operam dare, et eidem iuri sua vis plene constet in omnibus, atque ita libertate et dignitate Catholicae professionis adserta, stent firmis defixa radicibus elementa illa, quibus in primis publicorum disciplina morum, publicae auctoritatis honor, hominum inter se caritas et benignitas, societatis ordo et omnis humanus cultus aluntur et florent.**

Confidimus autem, Venerabiles Fratres, eos qui Othomanici imperii res moderantur, facile intellecturos suarum rationum esse, ut quod ius et aequitas postulat, catholicis suae ditioni subditis plene et cumulate tribuant; praesertim cum recentia ac splendida omnino experimenta ceperint fidelitatis eorum, ac optimae in rempublicam voluntatis, quam adversantium calumniae in suspicionem et invidiam vocare, per summam iniuriam conabantur.

Ita profecto continget, ut catholicae communionis gentes ex Apostolicae Sedis ministerio et curis fructus percipiant salubérrimos: catholicae autem unitatis exsortes, videntes quid intersit inter felicitatem temporum qua olim utebantur, et miseram in quam modo prolapsi sunt conditionem, prudenter consilium capiant, portum salutemque petendi in institutis maiorum, qui in Catholicae Ecclesiae communione, in obsequio

huius Apostolicae Sedis suam dignitatem tuebantur, et cum gloria florebant.

Nunc autem, Venerabiles Fratres, explentes ea quae ab Apostolico Nostro Ministerio ad solandum Chaldaicae Ecclesiae luctum postulantur, Vobis commemoramus, Ecclesiam illam suo Patriarcha, elapso anno, fuisse viduatam ob interitum Venerabilis Fratris Iosephi Audo, qui a sanctae memoriae Decessore Nostro Pio IX, in Consistorio habito die 11 septembris anno 1848 in ea dignitate confirmatus, et ad eam canonice fuerat institutus. Hic Antistes, quem eximius pietatis et religionis sensus ornabat, aliquamdiu tamen extremis vitae suae annis, malorum consiliorum aestu abreptus, fidelis obsequii erga hanc Apostolicam Sedem immemor fuit ; sed Apostolica Auctoritate monitus, ita ad officium rediit, ut debitam obedientiam Romano Pontifici praestans, eius causa magnas a dissidentibus suae nationis molestias christiana constantia pertulerit, et appropinquante vitae exitu supremam vocem, testem doloris quo veniam erroris sui deprecabatur, testem devotae suae voluntatis, devinctique animi huic Petri Cathedrae et Christi Vicario, cum magna suorum omnium aedificatione reliquerit. Eo extincto, Chaldaici ritus Antistites in Synodalem Conventum in Coenobio a B. Maria Virgine nuncupato, apud Alkosh cano nice coïere, et consuetis caeremoniis servatis, Venerabilem Fratrem Petrum Eliam Abolionan Episcopum Gezirensem, die 26 iulii anno proxime elapso Patriarcham Babylonensem Chaldaeorum suis suffragiis elegerunt seu postularunt. De hac electione litteras accepimus, quas tum suffragatores Episcopi, tum Patriarcha electus cum professione obsequii sui erga hanc Apostolicam Romanam Ecclesiam ad Nos dederunt, postulantes ut electionem confirmare, et sacri pallii honorem electo tribuere, Apostolica Nostra Auctoritate vellemus. Spes est Nobis, Venerabiles Fratres, praedictum Venerabilem Fratrem Eliam cogitantem ***tanto magis nos obnoxios fieri, quanto effusiori gratia contingerit honor ari,*** **nihil habiturum antiquius, quam ut in eo gradu, quem obtinuit, omnes boni Pastoris**

partes expleat, et Chaldaicae Ecclesiae incolumitati ac incre mento operam suam strenue et salutariter navet. Hac spe erecti, et rebus omnibus per Nostram Congregationem Fidei propagandae Orientalium Ecclesiarum negotiis praepositam, accurate expensis et probatis, de ipsius Congregationis sententia ipsum Venerabilem Fratrem Petrum Eliam in Patriarcham Babylonensem Chaldaicae Ecclesiae confirmandum, Eique pallium, de Beato Petri corpore sumptum, hodie annuendum censuimus.

Auctoritate itaque Omnipotentis Dei, Sanctorumque Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra confirmamus et approbamus electionem seu postulationem a Venerabilibus Fratribus Episcopis Chaldaici ritus factam de persona Venerabilis Fratris Petri Eliae Abolionan, Eum praeficientes in Patriarcham et Pastorem Patriarchalis Ecclesiae Babylonensis Chaldaeorum, prout in decreto et schedula Consistorialibus exprimetur: contrariis quibuscumque non obstantibus.

In Nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

NOMINATIONES EPISCOPORUM.

Die 28 februarii 1879.

SSmus D. N. Leo XIII, praemissa allocutio supra relata, sequentes proposuit Ecclesias :

ARCHIEPISCOPALEM ECCLESIAM SPOLETAN. **sponte dimissam a R. P. D. Dominico Cavallini Spadoni, pro R. P. D. Mariano Elvetio Pagliari in quinto supra quadragesimum aetatis suae annum constituto. Romae inter alumnos Pontificii Seminarii**

Pii cooptatus, doctorali laurea donatus est in philosophia, sacra Theologia et utroque iure. Penes Romanam Academiam theologicam Censor et Academicus, in Eugubina Cathedrali Canonicus Theologus renuntiatus, ibique etiam unica Praepositurae dignitate ad praesens usque cohonestatus est.

EPISCOPALEM ECCLESIAM HETALONIEN. **in *part. infid.* et Coadiutoriae cum futura successione Cathedralium Ecclesiarum *Marsicen, et Potentin, invicem* perpetuo canonice unitarum pro R. P. D. Aloisio Carvelli, sexagesimum tertium annum aetatis suae supergresso. In sacra theologia et in utroque iure laurea donatus, -munere Vicarii Generalis in spiritualibus perfunctus, atque inter Sanctitatis Suae domesticos Praelatos adscitus est.**

EPISCOPALEM ECCLESIAM IULIOPOLITAN. **in *part. in/.,* pro R. D. Silvestro Sembratowicz presbytero graeco-rutheni ritus. Qui ex benignitate Sanctitatis Suae deputatus etiam fuit in auxiliarem R. P. D. Iosephi Sembratowicz, Archiepiscopi Ruthenorum Leopoliensis et Haliciensis. Inter alumnos Pontificii Collegii S. Athanasii graeco-rutheni Romae adscriptus, S. Theologiae laurea donatus est.**

CATHEDRALEM ECCLESIAM CADICEN. **seu** GADITANEN. **pro R. D. Iacobo Català et Albosa, in quadragesimo quarto aetatis suae anno constituto. Doctorali laurea in facultate Sacrorum Canonum et in Sacra Theologia baccalaureatus gradu donatus est.**

CATHEDRALEM ECCLESIAM CASTRI-MARIS **pro R. D. Vincentio Maria Sarnelli, e nobilibus parentibus Neapoli progenito et in quadragesimo quarto aetatis suae anno constituto.**

CATHEDRALEM ECCLESIAM ARIMINEN. **pro R. D. Francisco Battaglini in quinquagesimo sexto aetatis suae anno constituto. Laurea doctorali in S. Theologia honestatus est et primam Archidiaconatus dignitatem in Bononiensi Metropolitana obtinuit usque ad praesens.**

COADIUTORIAM **cum futura successione Cathedralis ecclesiae *Boianen.* favore R. P. D. Francisci Macarone hactenus Anti-**

stitis Tharmiensis et Coadiutoris R/P. D. Vincentii Bisceglia Thermularum Episcopi.

CATHEDRALEM ECCLESIAM ALATRIN. **favore R. P. D. Petri Saulini, hactenus Antistitis Rosen, in *part. inftd.***

CATHEDRALEM ECCLESIAM MALACITAN. **favore R. P. D. Emmanuelis Gomez-Salazar hactenus Antistitis Seguntini.**

CATHEDRALEM ECCLESIAM ALBA-REGALEM **favore R. P. D. Ioannis Pauer hactenus Episcopi Olympensis, in *part. infid.***

METROPOLITANAM ECCLESIAM ARBOREN, **pro R. P. Bonfilio Mura, presbytero Bosanensis Dioecesis, ac Ordinis Servorum B. M. V. expresse professo.**

METROPOLITANAM ECCLESIAM COMPSAN. **cum administratione perpetua Cathedralis Ecclesiae *Campanien.* favore R. P. D. Salvatoris Nappi, hactenus Antistitis Dioecesis in *part. infidel.***

METROPOLITANAM ECCLESIAM TARRACONEN. **favore R. P. D. Benedicti Vilamitjana et Viia hactenus Antistitis Derthusensis.**

PATRIARCHALEM ECCLESIAM ANTIOCHEN. **Latini ritus in *part. infid.* favore R. P. D. Petri Villanova Castellacci, hactenus Petrensis Archiepiscopi.**

***Monasterium* B. M. V. de *Maris-stella,* ac Prioratum B. M. V. de *Augia-Maiore* in Helvetia et Austria invicem canonice unit. favore R. P. Mauri Kaikum Presbyteri Curiensis Dioeceseos ac Ordinis Cisterciensis expresse professi, a RR. Capitulo et Monachis in Monasterio B. M. V. Augiae-Maioris de more electi, atque ex benignitate Sanctitatis suae confirmati.**

EPISCOPALEM ECCLESIAM CYRENEN, **in *part. inftd.* favore R. D. Achillis Rinaldini presbyteri Romani. Qui tum philosophica, tum theologica doctorali laurea donatus, inter sa. me. Pii PP. IX Cubicularios honoris, tum inter Sanctitatis Suae intimos Cubicularios supranumerarios adscriptus est.**

EPISCOPALEM ECCLESIAM ABILEN. **in *part. infid.* favore R. D. Petri Facciotti Presbyteri Praenestini. Qui in auxiliarem Emi**

ac Rmi Domini Antonini S. R. E¿ Cardinalis de Luca Episcopi Praenestini deputatus fuit.

EPISCOPALEM ECCLESIAM OKOPEN. **in *part. infid.* et Coadiutoriae cum futura successione Cathedrali Ecclesiae *Ceneten.* favore R. D. Sigismundi e Comitibus Brandolini Rota Presbyteri Cenetensis Dioeceseos. Qui apud Immaculatae Virginis Ecclesiam, patriae familiae expensis erectam, ac suppellectili sacra, censu, paroecialique domo ditatam, animarum curam aliquando exercens, hactenus S. Mariae de Miane, ubi etiam aere suo magis amplum assurgit templum, Archipresbyter-Parochus renunciatus est.**

CATHEDRALEM ECCLESIAM DE CARTAGENA **in statibus foederatis Columbiae in America Meridionali favore R. D. Emmanuelis Ceron Presbyteri Archidioecesis S. Fidei de Bogota. Qui S. Theologiae laurea doctorali donatus et varias Paroecias successive administrans, Vicarius Foraneus eiusque Archidioeceseos Examinator Synodalis renunciatus est.**

CATHEDRALEM ECCLESIAM HERBIPOLEN. **favore R. D. Francisci Iosephi Stein Presbyteri dioeceseos Herbipolensis. Qui laurea doctorali in S. Theologia dudum decoratus, in ipsa universitate facultatis theologicae Decani, atque Rectoris munere perfunctus, inibi theologiae moralis et pastoralis professor ad praesens usque renuntiatus est.**

CATHEDRALEM ECCLESIAM DERTHUSEN, **favore R. D. Francisci Aznar et Puego Presbyteri Dioeceseos Iacensis. Qui laurea doctorali in S. Theologia donatus, Parochum olim agens in Tamari te de Litera, Canonicus hucusque ipsa in Tarraconensi metropolitana renunciatus est.**

CATHEDRALEM ECCLESIAM SEGUNTIN. **favore R. D. Antonii Ochoa et Arenas Presbyteri Calaguritanae dioeceseos. Qui in iurisprudentiae facultate dudum doctorali laurea donatus, eiusdem Metropolitanae Ecclesiae Archipresbyter hucusque renunciatus est.**

CATHEDRALEM ECCLESIAM TUTELEN, **favore R. D. Henrici Caroli Dominici Denéchau presbyteri Dioeceseos Andegavensis.**

Qui in parvo Andegavensi seminario Professor, deinde Lemovicensis Antistitis Vicarii Generalis in Spiritualibus munere hucusque perfunctus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM CANARIEN, **pro R.** P. **D. Iosepho Pozuelo et Herrero, hactenus Episcopo Antipatrensi in *part. infid.***

ECCLESIAM PATRIARCHALEM BABYLONEN. **Chaldeorum, favore R. P. D. Eliae Abolionam, promoti e Sede Iaziren. ritus Chaldaei.**

ECCLESIAM ARCHIEPISCOPALEM ADANEN. ***m part. infid.* favore R. P. D. Dominici Cavallini Spadoni Archiepiscopi dimissionarii Ecclesiae Spoletanae.**

Insuper per Breve provisae fuerunt sequentes Ecclesiae.

ECCLESIA ARCHIEPISCOPALIS EMESSEN. **in *part. infid.* collata fuit Carolo Ioanni Seghers translato e Canea.**

ECCLESIA EPISCOPALI NYSSEN. **in *part. infid.* collata fuit R. P. Placido Mariae Schiaffino, Abbati et Vicario generali Congregationis Olivetanae.**

ECCLESIAE CATHEDRALES UNITAE PARENTEN. ET POLEN, **collatae fuerunt R. D. Ioanni Glavino, presbytero e Dioecesi Tergestina, Examinatori pro-synodali et parocho.**

ECCLESIA CATHEDRALIS CONSTANTINIAN. **collata fuit R.** P. **D. Prospero Augusto Dusserre, Protonotario supranumerario Sanctitatis Suae et Vicario generali Iuliae Caesareae.**

ECCLESIA EPISCOPALIS CERAMEN. **in *part. infid.* collata fuit R. D, Salvatori Casanas y Pages, administratori Apostolico Sedis Urgellen.**

ECCLESIA EPISCOPALIS TITOPOLITAN, **in *paré, infid.* collata fuit R. P. Valentino Garnier e S. I. Vicario Apostolico Nan-Kinen.**

ECCLESIA CATHEDRALIS ARMIDALEN. **in Australia, collata fuit R. P. Elzeario Torreggiani e Minoribus Cappuccinis, ex-definitori provinciali.**

ECCLESIAE CATHEDRALES MIDDLESBROUGH ET LEEDS, **nuper erectae ex divisione Dioecesis Beverlacen. in Anglia, collata**

fuit R. P. D. Roberto Corntwhite, translato e Dioecesi Beverlacen. ad Leeds, atque Deputato administratori apostolico provisorio e Middlesbrough.

Tandem Ssmus Pater per Litteras sui Auditoris deputavit R. P. D. Alexandrum Grossi Episcopum Tripolitan. in *part. infid.* in auxiliarem R. P. D. Caroli Gigli Episcopi Tiburtini.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

CANONICATUS.

Die 15 iunii 1878.

Compendium facti. Pietatis specimen in Deum et beneficentiae in suos cives dedit Aloisius A. duos instituens Canonicatus in Collegiata Ecclesia Dioecesis R. alterum sub titulo S. Aloisii, alterum S. Aemygdii.

Horum Canonicatuum activo iure patronatus institutor, dum viveret, usus est; suam post mortem iussit ut esset in perpetuum apud suos consobrinos Antonium et Alexandrum Guidi. Et excludens foemineam lineam, voluit ut primus filius masculus Antonii praefati, ius activum possideret. Quatenus autem linea masculina familiae Guidi extingueretur, vocavit ad activum iuspatronatus Canonicatus S. Aloisii lineam masculinam Vincentii Castellani, exclusis foeminis.

Quoad ius passivum edixit omnino eligendos esse oriundos e sua terra natali et praecipue ex familiis Vincentii Castellani, Nicolai Zazza etc. Dedit autem unicuique ex familiis Guidi et Castellani facultatem conferendi unum ex canonicatibus uni ex suis membris; et quatenus ex illis unus tantum existeret, velletque statum sequi ecclesiasticum, posset ab Ordinario collationem per supplicem libellum petere.

Edidit quoque legem, qua cavit oppidanos in vocatorum defectu praeferendus esse exteris, utut dioecesanis, et nominationem tum oppidani tum exteris peragendam esse libere per familiam Guidi ; numquam nominationem excidere posse in individuo, in cuius familia aliqua sit praebenda canonicalis eiusdem Collegiatae.

Quum uterque Canonicatus vacavisset Ioseph Guidi oppidanos Sacerdotes Iacobum Cappella et Salvatorem Capriotti die 15 augusti 1876 Episcopali Curiae praesentavit, eum in finem ut eisdem concederetur institutio. Id aegre tulit Subdiaconus Dominicus Rosati, qui, contendens se tamquam filium Michaelinae filiae Vincentii Castellani ad gentem pertinere, unde fundator Canonicos eligi voluit, illico sub die 28 enunciati augusti coram Curia stetit, ibique impedimentum, ut aiunt *nihil transeat* apposuit, petiitque ut lis diiudicaretur per S. Concilii Congregationem.

Episcopus rogatus retulit, oratorem efformare unam familiam cum duobus patrius qui ambo Canonici sunt illius collegiatae. Enixe commendavit nominationem Sacerdotis Capriotti; casu quo electio ad mentem fundatoris peracta fuerit a patrono Guidi. Retulit quoque Episcopus, Marehionem Guidi benemeritum esse de re ecclesiastica; qui tuta conscientia differre etiam posset, ex S. Poenitentiariae litteris, nominationem quam diu sese indemnem de expensis non reddiderit, quas pro redemptione canonicatus pertulit. Tandem Ordinarius innuit Sacerdotem Cappella a Guidi nominatum filium esse cuiusdam Castellani, quae est soror germana matris subdiaconi Rosati.

Disceptatio Syn optica.

DOMINICI ROSATI DEFENSIO. **Ait iste, sese ad familiam Vincentii Castellani pertinere; ast ex novissimo iure civili familiae vocabulum ordinaria significatione complectitur, nedum agnatos, sed etiam cognatos indiscriminatim iuxta *textum* in *l. final. Cod. de verb. signi/.* De Luca *de iurep. Disc.* /5,**

n. 2, de Praemin., disc, ij, n. y et 8, **ibi, « regula est... istud « familiae vocabulum etiam de iu e civili novissimo latius patere « quam illud agnationis, atque tam agnatis quam cognatis con- « venire ut post Baldum ».**

Id autem fortius de iure Canonico dicendum tenet idem auctor *loc. cit. n. 12,* **ibi: « Cum agatur de materia ecclesia- « stica regula potius est (non constito de contraria voluntate < testatoris) venire omnes coniunctos, et de sanguine iuxta « sensum iuris canonici magis quam iuris civilis, ut apud Duran. « decis. 115 n. 2. Barat, et Adden.... Et sic quoad vocabulum « familia etiamsi solum esset et per se consideratum non bene « ex eo inferri videtur ad restrictionem ad solos agnatos». Concordant Rota** *in Auximana iurisp. g martii 1703* **§** *non obstante coram Muto,* **S, C. Concilii** *in Anconitana Capellaniae 12 iunii 1762* **§** *Post, Melevitana Institutionis* **5** *augusti 1876 § In secunda.*

Atqui ex testimonio Ordinarii Orator Dominicus Rosati filius est Michaelinae filiae Vincentii Castellani, e cuius familia iuxta fundationis tabulas praeeligendae sunt personae nominandae. Ergo patronus Guidi nominando extraneum, prae descendente e familia testatoris, iniuria egisse videtur. In iure enim receptum est in defectu agnatorum admitti oportere cognatos ad excludendum extraneum ceu docet Rota *decis. 74 n. 12 par. 2 recent. De Luca de lin. leg. art. 22 n. 2.*

Neque in themate officit fundatorem adiecisse cognomen Castellani, proindeque ex recepto usu Italiae solum agnatos comprehendisse: « Expressio enim cognominis proprii non « potest coarctare vocationem ad solos agnatos, sed cognatos « etiam capax est comprehendere, cum dicatur stare demon- « stratio ad denotandum originem et principium a quo pro- « venire debent vocati. Pitonius de controv. patron, alleg. 75 « n. 18 ». Insuper observandum est fundatorem exclusisse foeminas claris verbis in iurepatronatus activo, in passivo autem ne verbum quidem de hoc fecit: quod praesumptionem ingerit, voluisse non tantum agnatos comprehendere familiae

Castellani, sed etiam masculos descendentes ex foeminis eiusdem familiae.

Quod autem in Collegiata adsint duo patrui oratoris Dominici nil obest; quia eamdem familiam cum Dominico non constituunt, cum nulla iuris obligatione teneantur ad suppeditandam nepoti substentationem.

DEFENSIO PATRONI GUIDI. **Istius advocatus praemonuit Dominicum omni iure destitutum fuisse supra canonicatus, quia ipse non pertinet ad familiam Castellani ; et licet ad familiam pertineret reiiciendus omnino esset, quia praecipuis conditionibus adiectis a fundatore caret**

Quoad primum recolit advocatus verba fundatoris ad iuspatronatus passivum vocantis familiam Vincentii Castellani. Contenditque nomen familiae agnatos non egredi ad tradita */. 196 ff.* ***de verb. signi/.*** *«* **Foeminarum liberos in familia « earum non esse palam est, quia qui nascuntur, patris non «matris familiam sequuntur». Unde Peregrin.** ***de fideicom. art.*** *31 § 25:* « ***Quod familia pro agnatione accipiatur... clare « iudicio meo probatur*** **». Quod et etiam in iurispatronatus materia non secus ac in fideicommissis verificari, propugnat advocatus auctoritate Gagliardi** ***de iurepatr. cap. n, n.*** *15,* **ibi: « Ob universalem consuetudinem Italiae... potius antiquum ius digestorum, quam Codicis hac in re sequimur; « nam agnati praeferuntur cognatis in successionibus ascen- « dentium, et cognatos familia minime complectitur ex com- « muni loquendi usu et interpretatione, sed agnatos solum... « Quamobrem hoc in regno patronatus familiae reservatus, « ad filios foeminarum de familia nunquam transit. Lotter. de « re benef. lib. 2 q. 11 n. 77... qui enim ex foeminis nascun- « tur de aliena familia patris videlicet, non matris sunt ».**

Maxime vero si familiae nomini cognomen adiectum sit, quo in casu nihil luculentius fieri posse censet ad cognatos removendos ***teste De Luca de iurep. disc.*** *20* ***n.*** *6* ***seqq.*** **Nec secus Rota** ***in Septempedana Capellaniae*** *26* ***ianuarii*** *179$* ***decis.*** *16* ***n.*** *6* ***seqq. coram Malvasia,*** **ibi : « Quoties coercita**

« vocatio est ad certam familiam, adiecto cognomine, nihil
« certius, quam ut soli sub ea vocatione comprehendantur
« agnati, qui soli eodem cognomine utuntur, eamdemque fami-
« liam constituunt... Iamdiu hinc obtinuit, ut si familiae addita
« sit certa cognominis demonstratio, non alii assequi possint
« ius praesentandi, nisi qui agnati sunt, et sub uno eodem-
« que cognomine continentur. *Card.* De Luca *de iurep. disc.* 26
« *n.* 8. Piton, *de controv. patron, alleg.* 100, *n.* IÇ2 Rota etc. ».

Et eo magis in hanc conclusiouem deveniendum esse contendit Orator, quia in fundatione vocatio familiae Vincentii Castellani facta fuit *impersonaliter ;* tunc enim nullum dubium oriri posse tuetur, quod impersonalis cognominis adiectio corpus agnatorum respiciat, praetereaque neminem, ut tradit Rota *in cit. decis. cor. Malvasia.* Insuper hanc iuris interpretationem obfirmare contendit orator ex ipsius fundatoris voluntate. Cum enim fundator loqueretur de exercitio patronatus activi nomine familiae tantum agnatos comprehendere voluit, excludendo verbis disertis foemineam sobolem ; illico autem deveniendo ad ius passivum vocat... illos de familia Vincentii Castellani, etc. Igitur familiam in iuspatronatus passivo, eodem sensu eam nominasse censetur quam paucis ante verbis definivit, scilicet in virili sobole atque in agnatione. Eiusmodi autem interpretationem fortius obfirmari tenuit orator ex eo quod si institutor vel dubiam legem dixerit, vel similem in utroque iure activo et passivo, tunc ab una nuncupatione, altera postulat opem *Piton, de controv. patron, alleg.* 8ç *n.* 4 *et all.* 68 *n. u,* ibi : « Puto autem quod iuspatronatus passivum censeatur primo
« loco reservatum illis de linea primogeniti veluti praedilectis,
« propter indubitatam illam regulam hodie receptam, quod
« nisi contrarium praeseferant verba fundatoris, iuspatronatus
« passivum recipit interpretationem ab activo, cumque illo
« quantum fieri potest conformandum ».

Ad alteram exceptionem deveniens Orator statuere conatus est, quod licet adversarius ad gentem Castellani pertineret, tamen reiiciendus esset, quia caret conditionibus quas

in eligendis fundator requirit. Praeterea neque dici potest adversarium unam familiam cum patruis non efformare; ad rem Ulpianus *in l. IÇ4 % 2 de verb. signi/.,* **ibi: « Iure pro-« prio familiam dicimus plures personas, quae sunt sub unius « potestate, aut natura aut iure subiectae; ut puta patrem « familias, matrem familias, filium familias, quinque deinceps « vicem eorum sequuntur, ut puta nepotes et neptes et dein-« ceps ». Et idem Ulpianus** *loc. cit.* **adiicit: « communi iure « familiam dicimus omnium agnatorum; nam etsi patre familias « mortuo, singulas familias habent, tamen omnes qui sub unius « potestate fuerunt recte eiusdem familiae appellabuntur, qui « ex eadem domo et gente proditi sunt, et sub § 4. Item « appellatur familia plurium personarum, quae ab eiusdem « ultimi genitoris sanguine proficiscuntur, sicut dicimus fami-« liam Iuliam, quasi a fonte quodam memoriae ».**

Hisce aequa lance perpensis, EE. CC. iudicio remissum fuit resolvendum

Dubium.

An sit locus lacerationi nihil transeat in casu.

RESOLUTIO. **Sacra C. Concilii re disceptata sub die 15 iulii 1878 respondere censuit:**

Affirmative et amplius.

EX QUIBUS COLLIGES:

I. Iure canonico sub nomine *familiae* **et** *domus* **non venire descendentes ex foeminis; quia descendentes huiusmodi cognomen gerunt patris, non matris, et quia** *domus* **votum agnationis significat, et descendentium foeminarum exclusionem importat.**

II. Hinc iuspatronatus familiare, praecipue cum adiectione cognominis, non competere descendentibus per medium foeminae, sive agatur de iuspatronatus activo, sive de passivo.

III. Praesumptivam masculorum ex foeminis vocationem haud sustineri, ubi et foeminae perspicue a testatoribus exclu-

duntur, vel ubi adsunt praesumptiones, quae votum agnatitium demonstrent.

IV. Certum esse Oratorem descendere per medium foeminae a familia, quam fundator ad ius passivum vocaverat; ideoque in linea vocatorum vere non fuisse, cum sit cognatus non agnatus.

V. Pro certo a DD. haberi, quod vocatio coercita ad certam familiam, adiecto cognomine, agnatos non agrediatur ; qui soli eodem utuntur cognomine, eamdemque familiam constituunt.

VI. Ex Canonistis colligitur iuspatronatus passivum recipere interpretationem posse ab activo, quoties institutor aut dubiam dixerit legem, aut similem in iure utroque ; tunc enim una nuncupatio ab altera opem postulat.

VII. In themate certum est fundatorem, quum ageret de exercitio iuris activi, sub nomine familiae, comprehendere voluisse tantum agnatos, eoquod excluserit disertis verbis foeminas; hinc rite eodem sensu, praesumendum est loquutum fuisse cum ageret de iurepatronatus passivo quoad familiam Castellani.

PAROCHIALIS.

Die 24 augusti 1878.

Compendium facti. Antistes Dioecesis *G.* habitis quaerelis de inhonesta vitae consuetudine Joannis Baptistae Parochi loci *N.* praecipue cum muliere matrimonio iuncta ; pluries eumdem monuit, ut sese abstineret ab huiusmodi agendi ratione. Paternis haud obsecundans monitionibus Parochus, hinc scandalum augebat in diem. Quamobrem ut medela huic rei afferretur sub die 20 decembris 1875 coram Curia Promotor fiscalis comparuit, ut super eadem re processus institueretur, designando 15 testes qui examini subiiciendi

forent. Testes, quos promotor fiscalis induxit, non modo de auditu et publica fama, sed et de visu plura deposuerunt, quae omnino suadent famam haud solido fundamento destitui. [1]

Hisce habitis Curia Episcopalis sub die 20 iunii 1876, sub die autem 28 mensis eiusdem sequens protulit decretum: « Visis monitionibus sibi factis, quibus parere contempsit ... « perpendentes praefatum Parochum *IV.* haud posse sine gravi « detrimento animarum curam sibi demandatam amplius exer- ce cere ; idcirco in executionem statutorum SS. Canonum ipsum « Parochum ... ab ufficio suspendimus, et pro suspenso ab « administratione sacramentorum et verbi Dei praedicatione, « et ab omni omnino exercitio animarum curae spectante haberi «volumus et declaramus».

Sub die 13 iunii 1877 neotericus Episcopus S. C. Congregationi exposuit ; remotionem Parochi *IV.* a paroecia locum dedisse odiis et litibus quamplurimis inter Paroecianos, quorum pars adversatur Parocho, pars eidem favet. Neque odia et simultates extingui poterunt, donec spes affulgeat ut redintegrari parochus ille possit. Hinc arrepto Dioecesis gubernio, eumdem rogavi, ut sponte sua paroeciae nuntium mitteret, eidem adpromittens aut pensionem super paroecia aut Canonicatum in Cathedrali, sed perperam. Quinimo capta occasione, qua Eoiscopus abesset, promovit quasi plebiscitum in sui favorem per publicum Tabellionem. Populus ille facili modo agitatur, eo quod in sua simplicitate haud gravia credere valet crimina, quibus Parochus incusatur.

Quapropter expoposcit Antistes, ut eidem Parocho praefigatur terminus perentorius, ad sua iura deducenda in linea appellationis a sententia Curiae Episcopalis, quo inutiliter transacto, absolute a Paroecia removeretur. Petiit etiam Episcopus indicendi concursus facultatem, ut illico populi eiusdem necessitatibus consuleretur. S. Congregatio rescripsit : «eidem «Episcopo qui praefigat parocho terminum unius mensis, ad

[1] Quae ex testium depositione prolata fuere haud speciatim referimus, ut verecundiae parcamus.

« hoc ut nuncium mittat paroeciae; quo termino inutiliter ela-
« pso sciat processum iri ad ulteriora ».

Episcopus referens Parochum noluisse paroeciae nuncium mittere; petiit ut sibi concederetur praetermittere concursum, quatenus parochus ille esset removendus, et novum ponere parochum, summa praeditum prudentia, ad lites omnes sedandas inter paroecianos exortas.

Disceptatio syn optica.

PAROCHI DEFENSIO. Quum defensor plurima adduxisset argumenta ad ostendendam parochi pietatem, zelum et populi sui amorem ; meritum causae aggrediens, sequentibus rationum momentis, decretum Curiae infirmandum contendit.

Et primo ex defectu formae; nam ex eo quod suspensionis inflictio secumferre solet infamiam, ideo servanda omnino est forma ad hoc, a iure praescripta. Quae forma in hoc consistit ut suspensionis sententia in scriptis proferatur a Iudice, qui etiam conscribere debet causam propter quam suspensio lata fuit, ita ut iudex eamdem suspenso tradere teneatur infra mensem si fuerit requisitus, *Cap. i Decret, in 6, lib.* 5 *et Gloss, ibi, Van-Espen in ius Eccles, par. 3 tit. 2 De poen. et cens. Eccles., num. 17.* Debet insuper Iudex praesumptum reum audire, ut semet tueri possit, cum *nemo indefensus damnetur* omnis clamat lex. Haec tamen omnia posthabita fuere in prolatione decreti ; et ideo decretum eiusdem sustineri nequit.

Praeterea iniustitia decreti illius augetur, quia per illud non quaevis suspensio lata fuit, sed ad beneficii parochialis privationem deventum est, omissis omnibus quae a SS. Canonibus praescribuntur. Ut ad beneficii parochialis privationem deveniri possit, oportet ut Parochus gravissimi criminis reus plene evincatur, quod secumferat privationis poenam ; quo extante crimine et rite probato, trina monitio ac solemnis et formalis processus praecedat necesse est. *Cap. Conquerente 7*

ibique Gloss, de restii. Spoliat. S. Congr. Concilii in Cracovien. Parochialis io febr. 1770. Quae omnia desunt in suo cliente, ait advocatus.

Et primo testes haud esse videntur omni exceptione maiores, ita ut affirmari possit eosdem plenissime probare. Nam ait orator, testes adducti Parochi sunt inimici, et duobus vel tribus exceptis, omnes inter se sanguine coniunguntur. Ast innotescit quod *inimici, testes esse non possunt contra eos cum quibus gerunt inimicitiam* ex communi DD. sententia post *L, Testium fides 3 in princip. ff. de test, et Cap. Cum oporteat ig de Accus, tradit Ferraris Biblioth. Eccles, univ. verb. test. art. i, n. 86.*

Ex adverso autem, probavit advocatus per depositionem quamplurimorum testium, Parochum vitam duxisse semper integram : sane duo millia et quadringenti incolae conquesti sunt, sese amisisse patrem bonis praeditum moribus, et virtuosum. Et re quidem vera Episcopus ipse anno 1874. testatus est, Parochum de quo agitur *bonis moribus ornatum esse.*

Verum si fingi velit crimina parocho inflicta probata fuisse, nihilominus decretum Curiae sustineri nequit ob defectum canonicae formae. Defuit sane trina monitio, quae praemitti debuisset ex dispositione *Trid. Sess. 2 1 , cap. 6 de ref.* et ex doctrina S. C. Concilii in una 6*. *Severini, 4 aprilis 1877* § *Addit* « Ibi ».
« Non quaevis incontinentia vel inhonesta conversatio, vel
« etiam fornicatio et concubinatus iustam privationis aut suspen-
« sionis causam praebet, sed unice ea cui praecesserit trina
« monitio ».

Praecessisse autem trinam monitionem asseritur ab Episcopo, cum legatur in decreto *visis monitionibus sibi factis, quibus parere contempsit,* ast probatum non fuit. Praeterea iuxta canonicam formam, probationes ex testium depositionibus, recipi non possunt, nisi citato, et si venire noluerit praesente adversario, alioquin omni valore destitutae remanent, ceu post *cap. 2 de test, et attesi* communiter tradere Canonistas docet Ferraris *loc. cit. verb. prob. n. 30.* Verum in casu Parochus

non solum non fuit citatus, sed neque interpellatus, neque defensus, neque auditus contra dispositionem *capias Conquerente 7 de restii, spoliat.*

Alii non desunt extrinseci defectus in processu, qui nullitatem decreti controversi suadent ; ex capite enim *Quoniam u, de probation.* statuitur « ut tam in ordinario iudicio, quam « extraordinario iudex semper adhibeat aut publicam (si potest « haberi) personam, aut duos viros idoneos, qui fideliter uni- « versa iudicii acta conscribant ». Atqui nulla ex his dispositionibus adhibita fuit, imo nec depositiones testium ab ipsis suscriptae inveniuntur. Neque opponatur, solemnitates huiusmodi relinqui potuisse, quia decretum illud esset emanatum *ex informata conscientia;* eoquod ne verbum quidem fit de hac Episcopi intentione, et nondum sit certum an Episcopus possit ex informata conscientia suspendere a beneficio. Etenim Trid. *Sess. 14, cap. i, de ref.,* facultatem tribuit Episcopis tantum suspendendi, ex informata conscientia, ab ascensu ad ordines, vel ab exercitio ordinis iam suscepti, ceu docet *Benedict. XIV, de Synod. Dioeces., lib. 12, cap. 8, § 3.*

Tandem, ait advocatus. Parocho clienti concedendam esse reintegrationem in paroeciam, quia duobus ab hinc annis, sacerdotali patientia gravissimam substinuit suspensionis poenam, ita ut si aliqua gravatus sit macula, eam espiasse credendum est. Rationis enim et aequitatis principia suadent *poenam commensurandam esse culpae et pro culpae modo imponendam,* ipsa non excepta suspensione et interdicto *Bened. XIV, de Syn. Dioec, lib. 7, cap. 44, n. 2 et 3.*

EPISCOPI DEFENSIO. **Pro Episcopo autem animadvertendum est, quod Tridentina Synodus in *cap. 6, Sess. 21, de refor.,* mandat Episcopis, ut parochus *qui turpiter et scandalose vivunt, postquam praemoniti fuerint, coerceant atque castigent, et si adhuc incorregibiles in sua nequitia perseverent, eos beneficiis, iuxta sacrorum Canonum constitutiones, exemptione et appellatioue quacumque remota, privandi facultatem habeant.* Igitur ut recta via ad privationem paroeciae deveniri possit**

contra Parochum turpiter et scandalose viventem, nil aliud requiri videtur quam concludens criminis probatio, *Canon. Nos in quemquam 2, quaest, i et can. Placuit quaest. 2* et praemissa canonica forma *Cap. si quisquam 2 et cap. si autem 6 de Cohabit Cleric. et mulier. S. Congr. Concilii in Cracovien. Parochialis io febr. 1/70, § Et.* Acheruntina *Privationis Paroeciae 31 martii 1833, § Nequidquam,* quae in trina monitione consistit S. C. C. *in Cracovien, cit. § Trinam,* rationem reddente Fargna de iurepatr. *part. 2, can. 21, eas.* p, *n. 6* « ibi ». « Quia cum poena privationis, sit maxima et aequipa« retur morti civili, infligi non potest, nisi constito quod paro« chus monitus noluerit concubinam aut alias inhonestas mulie« res relinquere et a perditionis via recedere ».

Poena graduatoria locum habere tantum quoad beneficiatus innuit *Trid. Sess. 23, cap. 14, de ref.* Quoad parochos vero procedendum esse voluit ita, ut si postquam moniti, et coerciti fuerint in prava consuetudine insordescere non destiterint, parochiali beneficio privarentur ceu docet *Girald. in Espos. Iur. Ponti f, part. i, lib. 3, decret, tit. 2, de cohabit. cleric, sect. 332, pag. 228* ac firmant De Nigris *de vacat., cap. 2, lib. 2, S. C. C. in una Burgi S. Donnini Ecclesiae parochialis 6 martii 1737* formiter ibi discusso articulo.

In themate verificantur quae a iure expliciter requiruntur; namque ad legitimam plenamque faciendam probationem, satis sunt duo testes probatae vitae omnique exceptione maiores, nisi expresse plures in aliqua causa per legem desiderentur. Atqui nedum duo, sed quindecim testes auditi sunt ; qui iurisiurandi religione praemissa, de mala parochi agendi ratione modo cum una, modo cum altera muliere deposuerunt. Neque opponere valet quod ex depositionibus evinci nequeat, an ob bonum vel malum finem mulierum domus adierit parochus ; nam metaphisica probatio haud requiritur, sed ea satis est quae ex violenta praesumptione dérivât *Cap. Afferte et cap. litteris de praesumpt.* Quae violenta praesumptio certe adest tam ex nutibus, ex mutuis amoris signis, quam ex permanen-

tia soli cum sola in domo vel in loco abdito degentis, pro tatito temporis spatio, ut possent peccatum committere, Menoch aliis relatis in *praesumat., lib.* j", *praesumpt.* 41, *n.* 1 1 , Sánchez, *de matrim., lib. io, disp.* 12, *n.* 45. Quae praesumptio magis augeretur si attendas, quod parocho prohibitum fuit a laico tribunali petere domum cuiusdam foeminae, ad eius mariti rogatum, et ea non obstante prohibitione, illuc convenerat unde damnatus est. Pariter a Curia eidem prohibitum fuit petere domum alterius mulieris, sed prohibitionem omnino posthabuit.

Aliis depositionibus adiicienda est viri praeclari depositio, qui retulit quod antecessor etiam Episcopus pluries monuerat parochum, ut malam vitam desereret ; et quod Parochus ad pedes Episcopi provolutus, culparum veniam exoravit. Iamvero omnibus innotescit, adagium, *nulla maior datur probatio, quam proprii oris confessio.*

Ex quo fit ut evanescat exceptio, quod testes inimicitia ducti nefanda contra Parochum deposuerint; nam istorum depositionibus duorum Episcoporum testimonium consonat. Facile porro « credi non potest Episcopos suae non minus, « quam alienae salutis adeo immemores, ut nec deterriti « divini interminatione iudicii, odio vel favore moveantur, et « in sacrorum canonum singularem iniuriam, dicant malum '< bonum, bonum malum, ponentes tenebras lucem, et lucem « tenebras ; *Bened. XIV in Constit. Cum illud* ». Insuper observandum est, quod si duos tresve excipias, de aliis nihil aliud asseveratur, quam affines vel consanguineos esse sacerdotis, quem Episcopus in paroecia sufficere cupiebat. Neque praesumendum est illos, ob longinquum sanguinis vinculum, voluisse periurium committere, et innocenti detrimentum afferre.

Quanti autem faciendae sint publicae subscriptiones, quas parochus in sui defensionem adducit, eruitur, praeter modum quo collectae fuerit, ex eo etiam quod folium subscriptum fuerit semper eodem atramento, eodemque charactere subsignatum.

Ad e vincendum an forma canonica despecta fuerit in efformando processu notandum est, hanc formam consistere in praevia trina monitione vel una pro tribus Giraldi ***Ius Ponti/, sect.*** *232,* ***tit.*** *2* ***Decret.*** **Has autem non defuisse in themate patet, tam ex decreto ipso a Curia prolato** ***visis*** **« ibi »** ***monitionibus sibi factis, quibus parere contempsit,*** **quam ex actu quaerelae a fiscali productae** ***pro nihilo habuit*** **(Parochus)** ***condemnationem tribunalis huius criminalis atque monitiones repetitas.*** **Et in actis non deficit formale monitorium. Verumtamen haud insistendum esse videtur super formalitate, cum reapse de crimine constat.**

Quod si effingi velit suspensionem Parocho inflictam haud esse perpetuam ; tamen parochus nullimode reintegrandus esset in paroecia, imo esset eadem privandus; quia adhuc in sua nequitia perseverat.

Quibus utrinque animadversis, quae sequuntur proposita fuerunt dirimenda

Dubia.

I. ***An decretum Curiae G. diei*** *28* ***iunii*** */8/6* ***sit confirmandum vel infirmandum in casu.***

II. ***An et qiiomodo providendum sit in casu.***

RESOLUTIO. **Sacra C. Congr. causa cognita, sub die 24 augusti 1878 respondere censuit:**

Ad I. Non esse locum appellationi.

Ad II. Praevia confectione processus, saltem summarie, [1] ***constito de parochi incorregibilitate, eiusque perseverantia in nequitia, procedendum esse ad beneficii privationem.***

EX QUIBUS COLLIGES:

I. **Episcopus non ex odii fomite, sed ex caritatis affectu, teneri ad inquirendum et puniendum excessus, quibus, ex**

' Quoad iudicia summaria recole Appendicem relatam Vol. V, p. 35 et seqq.

publico clamore, Parochus ita sit infamatus, ut diutius sine scandalo dissimular! non possit, aut sine periculo tolerari.

II. Proinde gravi existente excessu, quamvis non sit ab ordine degradandus, ab administratione tamen removendus est Parochus turpiter agens, iuxta evangelicam sententiam, quae innuit, villicum amoveri debere a vilicatione, qui dignam suae villicationis reddere rationem non valet.

III. Verumtamen in inquirendo et puniendo, illud adhibendum esse moderamen, ut iuxta formam iudicii dictetur quoque forma sententiae; ideoque parochus canonice institutus, numquam amoveatur absque causa canonica, et absque canonica procedendi forma.

IV. Quapropter ut Episcopus a Paroecia removere queat Parochum in prava consuetudine iiisordescentem, nil aliud requiri quam, ut praemissa forma canonica, crimen concludenter probatum sit.

V. Et rite utrumque requiri, nempe canonicam procedendi formam et concludentem criminis probationem ; eoquod quum privationis poena sit maxima et aequiparetur morti civili, nequit perperam infligi.

VI. Hisce adhibitis cautelis Episcopos posse beneficiis privare scandalosos parochos clare innuit *Trid. Sess. 21, cap. 6, de ref.* **aiens:** *postquampraemoniti fuerint* **(huiusmodi Parochi)** *coerceant ac castigent, et si adhuc incorregibiles in sua nequitia perseverent eos beneficiis ... privandi facultatem habeant.*

VII. Poenam graduatoriam, de qua loquitur Tridentinum[1] **locum habere tantum ex DD. quoad alia beneficia non curata;**

[1] Cupiens Tridentinum ut beneficiati concubinarii resipiscere possent et malam derelinquere consuetudinem, ante extrema remedia, graduatoriam quoad istos constituit poenam aiens: *Quod si a superioribus moniti, ab iis se non abstinuerint, tertia parte fructuum, obventionum, ac proventuum beneficiorum suorum quorumcumque et pensionum ipso facto sint privati... Sin vero in delicto eodjem ... perseverantes secundae monitioni adhuc non paruerint, non tantum fructus omnes ac proventus suorum beneficiorum et pensiones in eo ipso amittant ... Sed etiam a beneficiorum ipsorum administratione.. suspendantur, etsi ita suspensi nihilominus ... tunc beneficiis, portionibus, ac officiis et pensionibus qui-*

nam quoad Parochos clare sese habuit eadem S. Synodus, cum constiterit ita esse procedendum, ut si postquam moniti et coerciti fuerint, pravam haud dereliquerint consuetudinem, parochiali privandi sint beneficio.

VIII. In themate haud posthabitam fuisse canonicam procedendi formam liquere; dum constet pluries parochum monitum fuisse ut pravam devitaret consuetudinem ; atque insuper crimen concludenter probatum fuisse.

COMMUTATIONIS VOLUNTATIS.

PER SUMMARIA PRECUM.

Die 14 septembris 1878.

Compendium facti. Ignatia Ponce, pia mulier, suis testamentariis tabulis, inter alia, pium missarum legatum reliquit super fundo consito ex 3871 arboribus cacao. Tres ex quatuor partibus reditus harum arborum constituit pro Sacerdote, qui tot Missas Iitaret in piae fundatricis suffragium, cum eleemosyna ex duobus libellis cum dimidio, si Sacerdos esset testatricis parens; cum duobus libellis tantum si extraneus. Iussit autem ut quarta redituum pars, administratori patrono cederet.

Praesens huius legati patrona exposuit S. Sedi : arbores cacao ex sui patris solertia, conspicuum nunc attingere numerum 6560. Edixit insuper in sua civitate plures adesse mulieres pietate insignes, quae valde cupiunt ut pium erigatur opus in levamen pauperum puellarum, orphanorum ac viduarum. Deficientibus tamen ad id pecuniariis mediis, libenter

buscumque eccle siasticis perpetuo priventur. Pro Parocho autem graduatoria poena excluditur a iure; ast plecti nequit gravissima remotionis poena, nisi post gravissimum crimen, praehabitis monitionibus, ac formali confecto processu, solemni iustaque iudicis sententia fuerit convictus.

huic iuripatronatus nuncium mittit, facultatem expostulans ut tres partes aut dimidium ex reditibus in opus caritatis convertatur.

Ordinarius quoque pro gratia suas adiecit preces, magnam in hoc prospiciens Ecclesiae utilitatem.

Disceptatio synoptica.

EA QUAE EXPETITAE GRATIAE ADVERSANTUR. **Ne a piis elargitionibus erga Ecclesiam fideles semoverentur, ob frequentes voluntatum defunctorum commutationes, in utraque iurisprudentia enixe cavetur, postremas morientium voluntates religiose servandas esse.** ***Can. Ultim. volunt, cons.*** *1 3 ,* ***quaest.*** *2,* ***Cient. Quia contingit,*** *2,* ***de relig, domib. Lex i, cod. de SS. Ecclesiis.*** **Cum neque** S. **C. C. huiusmodi principiis adversetur,** ***ut erui*** **datum est ex** ***Savonen., Commut. volunt.,*** *22* ***martii*** *1823* ***et ex Camerinen. Iurispatron. et commut. volunt.*** *18* ***decembris*** *1824* ***§ Verum;*** **ideo petitio actualis patronae respuenda videtur.**

Haud plurimi facienda est adducta necessitatis ratio, quam apprime S. Congregatio perpendere solet ; nam pauperes puellae, orphani ac viduae ubique terrarum inveniuntur. Ideo si eorumdem levamen, uti necessaria causa haberetur, ad postremas voluntates defunctorum commutandas, omnia pia legata, et praesertim Missarum evanescerent. Deinde ius Capellani ab ipsa testatrice nominati, per hanc gratiam laederetur. Atqui exploratum in iure est, quod si certum alterius ius laedatur, minime immutandae sunt testatorum voluntates, ***Monet., de commut., cap. u, n.*** *29,* ***S. C. C. in Spoletana*** *2* ***aug.*** *1823,* ***§ Testatorum.***

EA QUAE GRATIAE CONCESSIONI FAVENT. **Attamen Tridentina Synodus** ***Sess.*** *23,* ***cap.*** *6,* ***de ref.*** **et S. C. Congregatio in** ***Taurinen., i martii*** *1877,* ***ˢl Lucana,*** *14* ***decembris*** *1833* **nos edocent, iusta et necessaria accedente causa, locum fieri voluntatis commutationi ; quamvis SS. Canones ab huiusmodi commutatione abhorreant. Publicam populi ac civitatis utilitatem,**

cooptari inter causas commutationis iustas, docet S. C. C. in *Ripana, Commut. volunt.,* 30 *aprilis* 1836. Et huiusmodi utilitatem adesse in themate, nemo ambigit, qui libellum supplicem perlegat. In eo namque exponitur tot puellas pauperes, tot orphanos, totque viduas corpus animamque perdere ; eoquod christiana caritas eosdem non curet, ceu fieret per pium Sodalitium instituendum.

Insuper si testatrix praevidisset, vel indigentiam, qua sua civitas premitur scivisset, aliter de sua substantia disposuisset uti tenet Reiffenstuel, *lib.* 3, *tit.* 26, § 23, *n.* 804, et S. C. C. in *Sutrina, Translationis, io septembris* 1803. Hinc valida concedendae gratiae causa ex praesumpta oritur testatricis voluntate.

Nec necessitatis ratio deficit ; quia, ut ait oratrix, facile in unguibus fisci fundus legati pii excidere posset, nisi sollicitius et aptius eidem consulatur. Cum igitur non modo evidens utilitas, quae necessitati aequiparatur, Schmalz., *part.* 3, *tit.* 23, *n.* 221, sed periculum perditionis fundi verificetur in themate, locum esse commutationi voluntatis facile deprehenditur. Animae autem defunctorum, in quarum favore legatum Missae institutum fuit maximum captarent suffragium, tam ex caritate quae a morte liberat et purgat peccata, quam ex grato animo et precibus tot fidelium, in quorum levamen reditus conversi fuerunt. Neque ius tertii infringetur, quia titularis haud missam celebrat, propter chronicum morbum, quo afflictatur, neque in illis regionibus difficile est eamdem obtinere Missarum eleemosynam.

Hisce hinc inde animadversis, EE. PP. iudicio decernere remissum fuit, quonam responso preces Oratricis essent dimittendae.

S. Congr. Concilii sub die 14 septembris 1878 censuit respondere :

Firmo manente onere Missarum iuxta dispositionem fundatoris, reliquum redituum erogetur in pium opus erigendum, facto verbo cum SSmo.

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Defunctorum voluntates sancte servandas esse utrumque ius clamare ; hinc ecclesiastica potestas, etiam remediis a iure concessis, semper ad earum executionem accurate invigilat.

II. Proinde nec Supremum Pontificem, solere conditionibus adiectis in fundatione, utendo sua potestate suprema, contraire, nisi legitimae adsint ac necessariae causae ; praesertim si agatur de iure tertii.

III. Quapropter alia iuris remedia esse exaurienda, antequam iura tertii destruantur, et fundatorum voluntates infringantur ; quod facere non solet Pontifex sine utilitate, quae necessitati aequivaleat.

IV. Huiusmodi principiis haud derogatum fuisse in themate per exhibitam resolutionem ; nam salva pii testatoris dispositione, quoad Missarum onus, indultum fuit ut reliquum ex reditibus in pium opus excitandum applicari posset.

FUNERUM ET EMOLUMENTORUM.

Die 14 septembris 1878.

Compendium facti. Canonicus P. Ecclesiae Cathedralis S. anno 1874 suis testamentariis tabulis quoad funus et sepulturae optionem sancivit: «Volo ut corpus meum, quum cadaver effectum sit, hac in Ecclesia Cathedrali sepeliatur, cum funere, quod meum Canonici munus deceat, meos onerans etiam nunc haeredes, quorum pietati et arbitrio me remitto ».

Canonicus iste, qui iamdiu sub parochia cathedralis domicilium constituerat, die 16 octobris 1876 e vita migravit in terra natali, quo se ab octo circiter mensibus, aegrotationis

causa, transtulerat. Parochus huius natalis terrae, praesidem Capituli de obitu Canonici certiorem fecit, ne occasione funeris, falcem mitteret in Capituli iura.

Archidiaconus Cathedralis curavit ut Parocho notum fieret, se praepedire nolle funus et tumulationem fieri in terrae natalis paroecia, ob distantiam ex 12 chilometris, dummodo integra servarentur iura quae titulo quolibet obvenire Capitulo possent.

Parochus, quum iam defuncti corpus putrescere incepisset, ab haeredibus rogatus die 18 octobris iusta persolvit. Deputatus Capituli die 17 iam protestationem emiserat, eo quod iura Capituli eiusdem, laesa viderentur per funeris celebrationem extra Cathedralem peractam.

Episcopus de sua rogatus opinione, iura Parochi terrae natalis defuncti, omnino protueri adnisus est.

Disceptatio synoptica.

DEFENSIO PAROCHI TERRAE NATALIS. **Indubium est Parocho competere ius funera peragendi infra suae paroeciae fines, nec non sepeliendi quoslibet defunctos, qui infra limites suae Paroeciae decesserint.** ***Amostaz, de Caus. piis, cap. 8, n. 16; Sperell., decis. 87, n. ij;*** **Rota, in** ***Romana, Iuris tumulandi,*** **20 febr. i 702,** ***coram Priolo, n. ip.*** **Neque obiicere licet electionem sepulturae in testamento peractam ; quia, ut ait Antistes, dispositiones testamentariae haud obligare videntur, quum supervenerint adiuncta testatoribus impraevisa, quae testamenti executionem difficilem reddant. Et sicuti leges aliquibus in casibus non obligant, sic ultimae testatorum voluntates. Si enim Canonicus omnino condi in sepultura Cathedralis voluisset, contemplari etiam debuisset casum suae mortis longe a Cathedrali; et imponere haeredibus ut corpus efferrent in Cathedrali e quocumque loco: quod factum non fuit a testatore. Quinimo, prosequebatur Episcopus, antequam praedictus Canonicus testamentum perficeret, intentionem pandidit Ordin rio se velle sepulchrum**

pro se suisque condere in terra natali. Donumque obtulit ad hanc consequendam concessionem; quam Ordinarius tamen postulanti denegavit. Ex quo facile colligere est, non fuisse absolutam et praecisam voluntatem defuncti Canonici, ut omnino proprium cadaver in Cathedrali conderetur ; et ideo ius sepeliendi pertinere ad natalis terrae Parochum.

Ergo prosequitur Antistes, in propatulo quoque est exhumation! cadaveris locum fieri non posse; nam ad humanitatem pertinet, ut salvis iuribus et emolumentis, cui debentur, defunctorum ossa, quanto minus fieri possit, vexentur et commoveantur. ***Leg, ~3ç, de relig, et sumpt. funer., leg. Ne corpora;*** Rota, ***in Recent, dec. f6, n. 4 et*** 7, ***part.*** *IT* ***; S. C. Congr. in Tudertina 4 iulii 1722,*** propósito dubio : ***An sit locus exhumationi et restitutioni cadaveris, de quo agitur et quae emolumenta sint restituenda,*** respondit : ***Affirmative etiam quoad emolumenta et amplius et ad mentem. Et mens est quod cadaver exhumari non debeat.***

In themate autem neque emolumentorum restitutioni, neque quartae solutioni locum esse favore Capituli videretur. Non emolumentorum restitutioni, quia Parocho terrae natalis a quo sacramenti recepit, competebant, quia in hac paroecia per longum temporis spatium moratus est Canonicus, antequam moreretur.

Non quartae solutioni : quia Synodus Dioecesana, ***part. 4, cap. 4, de Sepult, et funerib.,*** casum contemplatur sepulturae ex necessitate dandae in Paroecia in qua mors defuncti per accidens evenerit, nullam facit mentionem de reservatione ***quartae funebris*** pro Parocho, sub quo defunctus ipse habitualem habuit domicilium.

Magisque vim facit observantia, vi cuius haud conceditur Parochis ius quartae funebris, in umeralibus Parochianorum, qui vivere desinant in locis a paroecia dissitis, ceu in limi tropha evenit Dioecesi. Huic autem observantiae in hac, de qua agitur materia, maxime deferendum esse docent post ***Textum in cap. Cum antiquos io quaest, i, Laur., lucubrat.***

Canon. tom. i, cap. 17, n. 4, **Barbosa,** *de officio Parochi, cap. 23, n. 2.*

DEFENSIO CAPITULI CATHEDRALIS. **Altera vero ex parte animadvertit Capitulum, iuris adsistentiam, quam habent Parochi in funeribus decedentium intra limites Paroeciae, non competere eisdem ratione loci materialis, aut mansitationis, vel obitus accidentalis in eadem Parochia, etiam cum administratione sacramentorum in extremo vitae; sed ratione spiritualis officii, quod parochus gerit erga suum parochianum, dum vivit praebendo spiritualia ; ideoque competit tantummodo proprio Parocho personae defunctae ad litteram** *Text. in cap. i, de Sepult., in cap. 2, eodem in 6, in Clem. Dudum, § verum, eod. tit.* **Quod docent auctores tum veteres, tum recentiores ;** *Navarr., in cap. Placuit, n. 102, de poenit, dist. 6, «* **ibi »** *« infertur ad eum parochum pertinere funus qui administrat sacramenta* **». Diana,** *part. ç, tract. 7 misceli., resol. 62* **« ibi »** *« a quo viventes recipimus sacramenta, ab eo post mortem debemus recipere sepulturam* **». Anacletus,** *in ius canonie, lib. 3, tit. 28, n. 16 «.* **ibi » «** *Sacri canones in ordine ad sepulturam non attendunt locum, ubi quis in extremis reficitur, sed ubi in vivis coelesti pabulo refici consuevit* **».**

Proinde qui ruri degit, ibique moritur, non in rurali parochia est sepeliendus, sed reducendus ad Parochiam civitatis, ad cuius Parochum pertinet ius funeris, ad literam *Text. in cap. Is qui de sepult., in 6,* **Pignatell.,** *consult. 63, n. 4, tom. 7.* **Pirhing,** *lib. 3, tit. 28, n. 6.* **Et Canonici in Parochiis distinctis a Cathedrali commorantes, ibique decedentes, non in eorumdem ecclesiis, sed in Cathedrali sunt sepeliendi, quia in ea divina et sacra peragunt et spiritualibus reiiciuntur, Amostaz,** *de caus. piis, lib. 6, cap. 2, n. 30,* **Van Espen.,** *part. 2, tit. 38, cap. 3, n. 18,* **Piton.,** *discept. 3 1 , n.* **J3. Sacra concinit Congregatio Rituum** *13 martii 1736* **in S. Severini,** *Praeeminentiarum, n. n : « Censuit Canonicos etiam habentes domicilium in alia parochia, sepeliendos esse in Ecclesia Cathedrali, solutis tamen iuribus parochialibus, Parocho domicilii* **». Itaque cum**

Canonicus P. obierit in Paroecia terrae natalis et sepeliendis esset in Cathedrali ecclesia, tum ex iuris dispositione, tum ex ipsius defuncti voluntate, facile intelligitur modo, quod ad Capitulum spectabat ius funerandi, ipsiusque cadaver ad ecclesiam Cathedralem erat reducendum.

Neque distantia obstaculum parat; constat enim ex iure, quod cadaver in proprium sepulchrum evehendum sit, quando commode id fieri possit ***cap.*** *3,* ***de sepult., n.*** *6.* **Commode autem cadaver transferri dicitur, quando distat per dietam idest per iter unius diei. Pro una die vero seu dieta viginti milliaria computari docet** ***textus in leg.*** *3,* ***ff. de verb. signi/.,*** **Rota, in** ***Treviren., Quartae funerariae,*** *21* ***martii*** *1737, § 6,* ***cor. De Canillac.*** **Ast Parochia terrae natalis distat a Cathedrali per novem milliaria tantum. Ergo ad sepulchrum Cathedralis Canonici cadaver erat transferendum.** [1]

Neque dicere iuvat duplex habuisse Canonicum P. domicilium ; cum in Paroecia terrae natalis habuerit tantum habitationem quae omnino distinguitur a domicilio. Venit enim Canonicus in terra natali absque animo ibi novum constituendi domicilium, sed eo consilio tantum, ut aegritudine sublata, suum repeteret domicilium apud Cathedralem.

Hinc videretur quod cadaver restitui deberet Capitulo cum omnibus emolumentis; quia, si de sepulturae optione liquet, enixe leges praecipiunt, defunctorum voluntatem religiose servandam esse ; ***cap.*** *3,* ***de sepulturis et cap.*** *6,* ***eod. tit.*** **in quo Alexander III ita rescripsit:** ***€ mandamus quatenus ... Monachos compellatis, ut ossa praefatae mulieris, et beneficia, quae occasione sepulturae ipsius, recepisse noscuntur, memoratis fratribus*** **(S. Martini)** ***cum integî'itate restituant et de coetero talia facere non praesumant*** **». Quod sancitur auctoritate pontificia a**

[1] Recole Vol. V, pag. 124 huius ephem. in quo agitur de Abbate Generali, qui moriens in urbe, quae distat a Roma fere triginta milliariorum spatio et tamen cadaver Romam delatum fuit per viam ferream. Ideo distantia obstaculum non ofiert, ut cadavera ad propriam deferantur sepulturam.

Romani cleri statuto, *cap. j,* **§** *28,* **et a** S. **C. C. in** *Callien. seu Urbinaten., Iuris tumulandi, 30 augusti 181/* **in qua proposito dubio secundo: «** *An sit locus exhumationi et 7'estitutioni cadaveris atque emolumentorum ad ecclesiam tumulantem spectantium in casu:* **rescriptum prodiit: ad 2.** *Affirmative in omnibus* **».**

Synodus quoque Dioecesana confirmat id quod innuimus. Attamen si Capitulo denegari velit ius esse repetendi cadaver et omnia emolumenta, concedenda omnino eidem est quarta funerum. Ex iure ecclesiastico ac ex disciplina satis constat quod quarta funeraria attribuì debeat Ecclesiae parochiali, licet cadaver alibi tumulandum sit, *Clementinam, Dudum, de sepulturis, Trid. sess. 23, cap. 13, de ref.,* **Barbosa,** *de offic, et potest. Parochi, n. 27, S. C. C. in Pisauren. Quartae funeralis, 26 ianuarii 1824.*

Cum igitur ex dictis Ecclesia Parochialis Canonici P. sit ecclesia Cathedralis, ideo saltem quarta funeris pars danda est Capitulo.

Hisce praehabitis enodanda proposita fuere sequentia

Dubia.

I. *An et cui competat ius tumulandi et funeris in casu.*

Et quatenus affirmative favore Capituli Cathedralis

II. *A11 et cuius expensis sit locus exhumationi pro facienda cadaveris restitutione in casu.*

III. *An et quae emolumenta restituenda sint in casu.*

RESOLUTIO. **S. C. Congr. sub die ^septembris 1878, causa cognita, respondere censuit :**

Ad L *Affirmative favore Capituli.*

Ad II. *Negative in omnibus.*

Ad III. *Affirmative, dempta quarta.*

Ex QUIBUS COLLIGES :

I. **Ratione spiritualis officii, praebendo nempe paroecianis spiritualia, parochos habere iuris adsistentiam in funeribus**

decedentium intra limites paroeciae, minime vero ratione obitus accidentalis in eadem Parochia, etiam cum administratione sacramentorum in extremo vitae.

II. Proinde funus competere Parocho proprio (qui per domicilium talis fit) personae defunctae ; convenit enim post mortem ab eo recipere sepulturam, a quo viventes sacramenta recepimus.

III. Sacros Canones, quoad sepulturam, haud attendere locum, ubi quis in extremis reiicitur, sed ubi, dum in vivis ageret, coelesti pabulo refici consuevit.

IV. Canonicos, cum sint incorporati ipsi Capitulari Ecclesiae, atque eius sint membra, eiusque Ecclesiae parochiani maneant ubicumque degant, sepeliendos esse in ecclesia Capituli ; ceu Religiosi, qui sunt de familia Monasterii sepeliendi sunt apud ecclesiam Monasterii.

V. In Capitulari enim ecclesia canonici divina et sacra peragunt, et spiritualibus reiiciuntur ; ideoque in eadem ecclesia illos habere sepulturam, ubicumque domicilium habeant, aut ubicumque e mortali hac exeant vita.

VI. Canonicum in themate sepeliendum fuisse in Cathedrali tum ex canonica iurisprudentia erui, tum ex eius decisa voluntate ; eoquod in testamento praeceperit, ut in sepultura Cathedralis suum conderetur cadaver.[1]

[1] Per publica coemeteria sublatum fuit ius tumulandi ; eoquod valetudinis causa eadem coemeteria subrogata fuerunt singularum Ecclesiarum sepulturis. Attamen si tumulandi ius sublatum fuit, manet ius funerandi et emolumenta percipiendi. Ideoque ceu pluries adnotatum fuit (et praecipue Vol. I, pag. 85 et seqq., et pag. 124, Appendice V; Vol. IX, pag. 20 et seqq.) lex quoad publica coemeteria impedit tantum permanentem cadaveris collocationem in ecclesiis ; seu mutat locum sepulturae tantum materialiter et physice. Verum sarta tectaque manent ea omnia quae cum proprietate sepulchri connexa sunt, ceu esse possunt funebris cadaveris delatio, expositio eiusdem in eadem ecclesia, suffragia et reliquae funerales functiones. Est etiam in potestate fidelium determinare sibi ecclesiam funerum.

IURIS CONFERENDI CANONICATUS ET CANTORATUS.

Die 30 iunii 1877, 26 ianuarii 1878.

Compendium facti. Expositum fuit S. C. Concilii Summum Pontificem Sixtum IV f. r. anno reparatae salutis 1475 ad Collegiatae dignitatem, cum cura animarum, evexisse Ecclesiam S. Ioannis Baptistae loci A... Capitulum constare voluisse octo canonicis et Abbate ; Abbati pro tempore ius canonicos nominandi contulisse, ac demum quatuor canonicis curam animarum adiunxisse. Anno 1778 ad augendum cultus splendorem sex mansionarios seu cantores adiectos fuisse ab ipso Abbate, qui sibi et suis successoribus reservavit ius nominandi ad novas praebendas.

Dein condita atque a Principe probata fuisse statuta capitularia, ac Abbates ad nostra usque tempora ius nominandi tum canonicos tum mansionarios exercuisse. Cum vero trium mansionariatuum vacatio immineret, Episcopus aliquod dubium Abbati manifestavit super suo bono iure nominandi ad enunciatas praebendas. Ea propter verens Abbas ne praeiudicium suis iuribus inferretur, adiit S. Congregationem ut iuberet Episcopum abstinere a nominandis novis praebendatis, usquedum eadem S. Concilii Congregatio suam non dedisset sententiam.

Episcopus de more rogatus omni vi contendit sibi non vero Abbati ius nominandi competere. Cum vero in suis uteris mentionem fecisse de quadam norma, quae vulgo audit *Piano,* proposita a suo antecessore, recepta ab hodierno Abbate et universo clero ac probata a Commissione exécutrice Concordati in regno neapolitano; quae norma statuebat quid servandum esset in collatione praebendarum, eiusdem exemplar ab Episcopo petitum fuit. Pariter cum et quamdam Abbatis declarationem commemorasset, huius quoque exemplar requi-

situm fuit. Episcopus exemplar declarationis transmisit, non vero memoratae normae, quae reperiri non potuit. Hisce aliisque habitis quae controversiae declarandae apta censerentur, quaestio proposita fuit in generalibus comitiis sub dubii formula quae in calce legitur huius disputationis.

Disceptatio synoptica.

DEFENSIO ABBATIS. **Defensor Abbatis in primis adducebat verba ipsa memoratae Bullae incipientis -** ***Ex suprema*** **- in qua haec habentur : «** ***Ad eum,*** **nempe ad Abbatem,** ***pertineat collatio et provisio canonicatuum et praebendarum praedictarum institutio et destitutio...*** **» quae verba peremptoria esse dicebat dummodo Bullae authenticitas extra omnis dubitationis aleam poneretur.**

Bullam vero esse authenticam et negativis et positivis argumentis probari contendebat. Et ad prima quod attinet, nihil obesse advertebat defectum subscriptionis Pro-Datarii, quia huiusmodi munus ab Innocentio XII anno 1489 constitutum fuit, et Sixtina Constitutio edita anno 1475. Neque amandandam esse inter apocripha documenta, eo quod unius vel alterius officialis Datariae Apostolicae subscriptio desit, quia Constitutio quae nunc habetur est exemplar, cuius originale vel temporum iniuria vel aliis de causis periisse dicendum, vel saltem in archivio Monasterii ***Mater Domini*** **cuius Abbati executio commissa fuerat, asservari.**

Multo minus officere addebat quod executio non Episcopo aut Metropolitano demandata fuerit, sed simplici Abbati, nam Summus Pontifex liber est in seligendo executore apostolicarum literarum, et Abbas, dignitas est iis qualitatibus exornata quas in iudice delegato sacri canones requirunt iuxta ***cap.*** *2,* ***De Rescript., in VI.***

Negativis absolutis, ad positiva argumenta gradum faciens Orator, sustinebat huiusmodi controversiam ab Apostolica Sede iam definitam fuisse; orta enim anno 1656 quaestione, Abba-

tem inter et Episcopum, ob collationem quorumdam canonicatuum ab Episcopo peractas, iudex delegatus ab Apostolica Sede, non modo nullas declaravit factas collationes, sed decrevit Abbatem esse redintegrandum in quasi possessione conferendi canonicatus.

Imo, urgebat, et a suprema civili auctoritate tale Abbatum ius fuisse recognitum et probatum ; siquidem regio decreto diei 7 maii 1789, quo statuta ecclesiae S. **Ioannis Baptistae approbata fuerunt, Sixtina constitutio velut lex fundationis habita fuit ac n. 5 sartum tectumque relictum fuit Abbati *ius conferendi canonicatus et praebendas ... vigore fundationis ipsius Collegiatae.***

Quibus omnibus fastigium imponere consuetudinem, quae nedum centenaria sed immemorabilis favore Abbatis habetur in themate, quaeque, uti canonistae docent, meliorem titulum de mundo suppeditat et ipsum beneplacitum apostolicum praesumere facit - De Luca, *De Regal., dis.* *47,* ***n. n ; De beneficiis dis.*** *32,* ***n.*** *2* ***et*** *4;* ***De Empkyt., dis.*** *60,* ***n.*** *3,* **Reiffens., *De Praescripta n.*** *144;* **Rota, *Decis.*** *374,* ***n. n ; decis.*** *494,* ***n.*** *34,* ***part. iç, aliisque passim.***

Neque opponi posse subdebat, mansionariorum officia ex reditibus cuiusdam pii operis primum anno 1778 ab ipso Abbate constituta fuisse ; nihil enim magis naturale quam ut Abbas, qui canonicos instituendi iure pollebat, et ius praesentandi mansionarios sibi suisque successoribus reservaret, iuxta normam in constitutionibus statutam et ab immemorabili observatam.

Quod si admitti vellet, prosequebatur, hoc ius Abbatem sibi et successoribus minime reservasse, non inde tamen sequi iuspatronatus ad Abbatem pro tempore non spectare. Profecto mansionariatus institutus fuisse ex reditibus Capellae S. Caietani, qui habiti fuerunt, ut bona Ecclesiae Collegiatae, dubitari non posse ; at vero ex erectione aut fundatione Capellaniae vel beneficii ex bonis alicuius Ecclesiae, huic iuspatronatus acquiritur, Piton., *De contra patron., All.* *34,* ***n. i ;*** **Ferraris,**

Bibliot, can., verb. Iuspatr., art. i, n. 16, licite explicita facta non fuerit reservatio, De Luca, *De iure patr., dis.* 55, *n. 2, et j;* ergo inspecta indole constitutionis Ecclesiae S. Ioannis Baptistae atque natura dotis mansionariatuum tenendum omnino esse concludebat, ius nominandi mansionarios ad Abbatem pro tempore pertinere.

Huius argumenti robur summopere crescere si attenderete nova fundatio duorum mansionariatuum facta anno 1789, adstantibus veteribus mansionariis ; in instrumento enim affirmabatur haec fundatio fieri - *eodem modo quo anno I7j8 ab Riho Abbate illius temporis ... adiuncti fuerunt praefato Capitulo sex mansionarii seu cantores, qui sunt ad nutum Abbatis.* Ex quibus deducebat antiquos et novos mansionarios esse ad nutum Abbatis pro tempore ; atque ideo et ipsum habere ius eosdem nominandi, secus neque removendi habere ius posset. Quod extra dubium positum esse pergebat a decreto episcopali diei 10 decembris 1798, quo probata nova erectione duorum mansionariatuum permittebat ut duo ab Abbate - *ad eiusmodi effectum nominati et praesentati per oratorem praedictum immitta7itur.* - Hinc e vivis erepto unus ex sex veteribus mansionariis, facta praesentatione ab Abbate, institutio ab Episcopo data fuit.

Tandem afferebat consuetudinem, quam plurimi faciendam esse in materia iurispatronatus docet De Luca, *De iure patr., dis. 8, n.* 5 *et dis. 22, n. 8.* Recolebat ex relatis satis probatum esse primis annis fundationis mansionariatuum praesentationes ab Abbate factas fuisse ; quo vero ad posteriora tempora consuetudinem favore Abbatum statuere conabatur tum ex actu nominationis factae die 11 iunii anni 1817 in quo legitur : *inhaerendo observantiae nostrorum antecessorum Abbatum ad tramitem regii statuti. . . .* tum ex littera hodierni Episcopi fatentis anno 1837 nominationem ab Abbate factam fuisse.

Defectum vero nominationum ab anno 1838 ad annum 1845 tribuendum sustinebat vacationi Fxclesiae Abbatialis cui

provisum fuit per oeconomum nominatum ab Episcopo qui in actu nominationis ius libere conferendi mansionariorum officia sibi reservavit. At vero ab anno 1845, in quo novus Abbas electus fuit, ab hoc, de communi consensu cum scopo provisiones mansionariatuüm factas fuisse usque ad an. 1859. Postea ob rerum publicarum eversionem atque patrimonii ecclesiae depredationem, provisiones cessasse. Anno vero 1871 tres mansionarios ab Abbate praesentatos fuisse Archiepiscopo Administratori, qui absque ulla controversia institutionem dedit.

Hinc concludebat et fundationis lege et consuetudine sive observantia nominationem tum canonicatuum tum mansionariatuüm ad xAbbatem **pertinere.**

DEFENSIO EPISCOPI. **Altera sed vero ex parte Episcopus contendebat tam ab extrinseco, quam ab intrinseco falsitatem allatae bullae fundationis Collegiatae manifestissime scatere. Porro literas apostolicas sub plumbo expeditas, quas Abbas veluti fundamentum sui iuris conferendi canonicatus afferebat, subscriptione Card. Pro-Datarii esse destituías, atque ideo nullam fidem mereri. Nihil valere Abbatis seu sui defensoris effugium, quod anno 1475 officium Pro-Datarii nondum constitutum fuisset, nam Rigantius ante dictum tempus plures enumerat Datarios** ***Com. in Proem. Reg. Cancell. tom. i, n.*** *140.* **« Sub Martino V, ipse scribit, Paulus Ferrantes e Meldula^ « Datarius, ab eodem Pontifice Caesenas Episcopus adlectus « est die 27 februarii 1426. Decessit anno 1431.** ***UgkelL, Ital. sac, tom.*** *2,* ***in Epis. Caes., column*** *426,* ***n.*** *66,* ***iuxta venetam editionem ».***

Insuper, pergebat Episcopus, allatas literas nec ab alus Datariae officialibus subscriptas fuisse ; plumbo carere, non charactere teutonico, non in charta pergamena sed communi exaratas esse. Nec subsumi posse esse compendium illud quod transumptum dicitur aut aliquod eius exemplar, quandoquidem deest sigillum et subsignatio officialis apostolici ad hoc deputati, neque apparet a quo redacta sit, atque plurimis lituris

inficitur. Quapropter, concludebat, has literas omni extrinseca authenticitatis nota carere.

Sed etiam tenorem intrinsecum, eas manifestare vel apocriphas vel saltem evidenter dubias. Porro executio earum non Episcopo, aut Vicario Capitulari (si forte Dioecesis vacasset) aut Metropolitano, sed Abbati Monasterii *Mater Domini,* qui nusquam aut Curiam aut iurisdictionem territorialem habuit.

Insuper Abbati Collegiatae facultas concedi subdebat - *ius instituendi et destituendi canonicos* — quod adeo enorme est, ut nemo .sanus hoc credere possit ; Pontifex enim Abbati indulsisset Curiam fere Episcopalem ut institueret canonicos, atque eosdem male méritos, instructo processu, destitueret.

Demum animadvertebat huiusmodi Bullam Xisti IV incipientem *Ex paternae providentiae* datam anno 1475 nullibi reperiri potuisse, non in archivio Collegiatae, non in episcopali, non in metropolitano, non denique Romae, licet exquisitissimae diligentiae adhibitae fuerint. Quae omnia non modo dubium, sed fere certitudinem parere dicebat, memoratam Bullam esse apocripham. Atque ideo, sublato fundamento iuris nominandi ab Abbate praetensi, ius ipsum corruere necessum est.

Haec quoad Bullae authenticitatem. Ast dato parumper, urgebat Episcopus, eam esse authenticam, tamen minime prodesse Abbati qui explicite iuri suo renuntiavit omnia approbante Apostolica Sede.

Porro anno 1843 Episcopus illius temporis, ut tandem aliquando iurgia et contentiones perpetuo cum Abbate S. Ioannis Baptistae obtruncaret veluti statutum quoddam exantlavit, (vulgo *Piano)* ut norma esset futuris negotiis inter Episcopum et Abbatem. Huiusmodi statutum firmatum atque probatum tum a Nuntio Apostolicae Sedis, tum etiam a suprema auctoritate civili, ferebat, collationem canonicatuum primis sex anni mensibus pertinere ad Apostolicam Sedem ; quatuor sequentibus ad Episcopum, duobus ultimis tandem ad Abba

tem. Haec omnia universus clerus acceptavit atque subscripsit, iuramento sese obstringendo, numquam hisce statutis se opponendi.

Imo et hodiernus Abbas, qui anno 1845 suum munus suscepit, suo et suorum successorum nomine, omnia pariter probavit atque iuratam declarationem edidit, neque ipsum neque suos successores aliquid acturos contra huiusmodi regulas.

Cum vero ab eo anno 1845, absque ulla contradictione praefatae normae adamussim servatae fuerint, mirum esse, con cludebat Episcopus, Abbatem hodie, post plus quam triginta annis, recurrere contra constitutiones quas ipse idem accepto habuit atque solemniter iuravit.

Hisce expositis, gradum faciens Episcopus ad mansionariatus advertebat Abbatem innixum decreto Episcopali anni 1798 facultatem seu privilegium illos conferendi sibi vindicare: verum in illo decreto neque vestigium reperiri de hoc praetenso iure, continet enim approbationem Episcopi duorum mansionariorum, qui reliquis adiuncti fuerunt. Erectionem vero priorum sex neque in Archivio episcopali, neque in illo Collegiatae reperire potuisse. Facile tamen esse ostendere, neque Abbatem potuisse sibi reservari ius collationis mansionariatuum, neque Episcopum potuisse illud concedere, quia eorum dos constituta fuit ex bonis Capellae S. Caietani, de qua Abbas puram putamque administrationem habebat. Iamvero quis ignorat Concilii Tridentini sanctionem *(sess. 14, c. 12, de refi)* statuentis : « Nemo cuiusvis dignitatis ecclesiasticae vel saecularis, « quacumque ratione, nisi Ecclesiam, beneficium vel capellani « de novo fundaverit et construxerit, seu iam erectam, quae « tamen sine sufficienti dote fuerit, de suis propriis et patri- « monialibus bonis competenter dotaverit, iuspatronatus impe « trare aut obtinere possit aut debeat?».

Deficere etiam favore Abbatis, subdebat Episcopus, exercitium praetensi iuris ; quod exercitium iuxta leges Tridentini « consistit, ***in multiplicatis praesentationem per antiquissimum « temporis cursum qui memoriam hominum excedat » (sess. iß,***

cap. ç, de ref.) antiquissimum enim tempus hic haberi non potest cum mansionariorum institutio saeculo recentior est ; neque praesentationes verificantur, cum usque ad annum 1827 binae tantum detectae sint atque ignoratur quomodo factae fuerint. Quod si anno 1836 praesentationem ab Abbate factam probavit Episcopus illius temporis, patet ipsum deceptum fuisse, nam tres post annos, aliam vacantem praebendam habito concursu contulit.

Post haec redibat sermo Episcopi super declaratione anni 1845 ab Abbate emissa atque subsignata, eo vel magis quod anno 1854'die- 2 r augusti, per edictum ab Abbate subscriptum, indictus fuit concursus ad mansionariatum vacantem, in quo edicto advertebatur, non solum ea vice, sed semper in posterum mansionariatus collatum iri, adhibita forma concursus, prout decernebatur in enunciata norma ab Episcopo et commissione exécutrice concordati statuta.

Neque opponi posse dictam normam prorsus deficere ; quandoquidem eius existentia probatur: 1. A relatione facta ab Episcopo praefatae Commissioni in qua totis viribus contendebat providendum esse hisce officiis per concursum ; 2. A declaratione ipsius Abbatis 12 iulii 1845, in qua nedum mentio fit de nominata norma seu *piano*, sed absque ulla limitatione acceptatur; 3. Demum a Uteris diei 17 iunii 1846 datae ad Episcopum a ministro rebus ecclesiasticis praeposito, in quibus perlegitur normam respicientem clerum ecclesiae S. Ioannis Baptistae probatam fuisse. Quae omnia si coniunctim expendantur cum subsecuta observantia, nedum praesumptionem, sed certitudinem pariunt, hanc normam extitisse, licet nunc in tenebris delitescat.

Ex his omnibus, concludebat Episcopus, ius Abbatis in tenues auras abire.

Hisce ab utraque parte disputatis, causa proposita fuit in comitiis diei 30 iunii 1877, sed dilata resolutione, iussum fuit ulteriores diligentias adhiberi *pro exquirendo actu, vulgo Piano.* Interim Abbas per suum procuratorem nuncium misit primae

quaestionis parti, nempe iuri conferendi canonicatus. Novis diligentis in irritum cessis, rursus propositus fuit enodandum sequens

Dubium.

An et cui competat ius conferendi canonicatus et cantoratus in casu.

RESOLUTIO. **Sacra Concilii Congregatio die 26 ianuarii 1878 respondit :**

Quoad canonicatus provisum per procuratoris declarationem, quoad cantoratus spectare ad Abbatem.

HINC COLLIGES:

I. Bullas pontificias, ut authenticae dici possint, quatuor praesertim notas ab extrinseco praeferre debere ; nempe : i. Ut in charta pergamena sint conscriptae; 2. Ut charactere exantlatae sint theutonico ; [1] **3. Ut plumbeo sigillo filo, rubro et croceo a pergamena pendente munitae reperiantur; 4. Ut subscriptionem habeant tum Cardinalis Pro-Datarii, tum aliorum Datariae officialium qui ad hoc sunt deputati.**

II. Ab extrinseco vero suspectum ingeri, eas esse apocriphas, si concessio adeo^late pateat, ut limites a S. Sede apponi solitos undequaque excedat.

III. In casu cum allatum Bullae exemplar, nullum, neque ab extrinseco neque ab intrinseco authenticitatis signum exhiberet, iure dubitari poterat bullam esse apocripham.

IV. In materia iurispatronatus praeter fundationem plurimum attendi observantiam, quae est optima legum interpres. Ideoque in casu licet fundatio sex priorum mansionariatuum

[1] **Hodie post motum proprium Leonis XIII (quem Deus diu sospitet atque servet) scriptura theutonica et charta pergamena amplius non adhibentur in dispensationibus matrimonialibus et in bullis collationum minorum beneficiorum quae dignitatem adnexam non habeant. Habes hoc documentum pag. 465 vol huius.**

cognoscentur tantum per coniecturam ex fundatione duarum posteriorum, tamen quia observantia Abbatibus favebat, ipsis ius praesentandi ad mansionariatus servatum fuit.

V. Nullam habitam fuisse rationem normae quae a commissione exécutrice concordati probata dicebatur, neque declarationis editae ab Abbate, forsan quia primae exemplar nullum afferebatur ; Abbas vero sine venia Apostolicae Sedis, successoribus praeiudicium afferre non poterat.

EX S. CONGREGATIONE SS. RITUUM

DECRETUM.

Portus Aloisii.

Quum non solum ex fidelium domibus, sed etiam modo in ecclesiis venerationi soleant exponi imagines Beatae Mariae Virginis assertas quasdam eiusdem Virginis apparitiones repraesentantes, Revmus Dominus Episcopus Portus Aloisii sui muneris esse duxit a Sacra Rituum Congregatione insequentium dubiorum solutionem humiliter postulare, nimirum :

Dubium I. An posset ab Ordinariis permitti vel saltem tolerari ut ad publicam fidelium venerationem exponantur in ecclesiis imagines, seu simulacra B. M V. sub titulo *de Lourdes, de la Salette,* et Immaculatae Conceptionis lucis radios e manibus emittentes?

Dubium II. An ab Apostolica Sede fuerint approbatae Apparitiones, seu revelationes, quae contigisse perhibentur, quaeque cultui B. M. V. sub memoratis titulis causam praebuerunt?

Dubium III. An pium Sodalitium in Portu S. Aloisii Beatae Mariae Virginis *de la Salette* dicatum ab Episcopo admitti valeat?

Dubium IV. An festum B. M. V. sub eodem titulo cum Missa et ritu duplici primae classis cum octava ibidem celebrari possit?

Dubium V. An Litaniae speciales Apparitionis B. M. V. *de la Salette,* ibi recitari valeant?

Quae quidem dubia quum subscriptus Cardinalis in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis hodierna die ad Vaticanum habitis retulerit, Eminentissimi et Reverendissimi Patres sacris tuendis ritibus praepositi, auditis votis, tum alterius ex consultoribus Theologis, tum Reverendissimi Domini Adsessoris, omnibus mature perpensis ac consideratis, rescribendum censuere.

Ad I. Affirmative, servatis tamen cautelis praesertim Decreto Tridentinae Synodi *de invocat, et venerat, et Reliquiis Sanctorum et sacris imaginibus* (Sess. 25) praescriptis et Sa: Me: Urbani VIII Constit. *Sacrosancta Synodus* 15 maii 1642 confirmatis.

Ad II. Eiusmodi apparitiones seu revelationes neque approbatas neque reprobatas vel damnatas ab Apostolica Sede fuisse, sed tantum permissas tamquam pie credendas fide solum humana, iuxta traditionem, quam ferunt, idoneis'etiam testimoniis ac monumentis confirmatam. Nihil proinde obstare, quin Ordinarii pari ratione se gerant: facta desuper (Si de opere typis vulgando agatur) in eodem sensu opportuna declaratione seu protestatione, ad tramitem decretorum praelaudati Urbani Papae VIII.

Ad III. Affirmative.

Ad IV. Negative, nisi de speciali et expressa apostolica facultate.

Ad V. Negative.

Atque ita rescripsere ac servari mandarunt die 12 maii an. 1877.

Ita reperitur in Actis et regestis Secretariae sacrorum Rituum Congregationis. In fidem.

Ex eadem Secretaria, die II **decembris 1878.**

Pio B. P. D. Placido Ralli, *Secretarius.*
Ioannes Can. Ponzi, *Substitutus.*

L. StS.

EX CONGREGATIONE PARTICULARI

DE MANDATO SS.MI

DE IURE CONSECRANDI ALTARIA ET ECCLESIAS TITULARES.

Die 25 ianuarii 1879.

Decretum Urbis.

Inaugurandum cum esset anno MDCCLXXVII **Altare in hypogaeo Eudossianae Basilicae noviter substructum ad custodienda sacra Principis Apostolorum vincula, exortum est dubium ; an illud consecrandi ius Eminentissimo Cardinali Ecclesiae Titulari spectaret, an potius Eminentissimo Cardinali Urbis Vicario. Pius sa. me. Papa IX quaestionem diiudicandam commisit quatuor Cardinalibus Episcopis Suburbicariis: interim vero, instante festivo consecrationis die, conventum est, consecrationem, ratione possessionis, a Cardinali Titulari peragendam; hinc dilata fuit dubii solutio.**

Summus vero Pontifex Leo divina providentia Papa XIII animo reputans conveniens esse ea exequi quae provida deliberatione Praedecessor statuerat, ac peropportunum omnino fore super exercitium actus praedictae iurisdictionis omnem

deinceps dubitandi locum praecludi, Eminentissimo Cardinali Sacri Collegii Decano mandavit, ut quamprimum indicta particularis Congregatio haberetur. Quatuor praeterea Eminentissimis Episcopis Suburbicariis adiungere dignatus est Eminentissimum Cardinalem Bartolini, Sacrorum Rituum Congregationi Praefectum, loco etiam et vice Eminentissimi Cardinalis Episcopi Tusculani infirmi.

Die itaque vicesima quinta ianuarii communi consensu convenerunt in Aedes Eminentissimi Cardinalis Sacrorum Rituum Congregationi Praefecti, Eminentissimus Cardinalis Di Pietro S. Collegii Decanus et Episcopus Veliternus et Ostiensis, Eminentissimus Cardinalis Sacconi Episcopus Portuensis, Eminentissimus Cardinalis Bilio Episcopus Sabinensis, Eminentissimus Cardinalis De-Luca Episcopus Praenestinus una cum Eminentissimo Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, et eiusdem Congregationis Secretario : qui omnes post maturum examen, et accuratissimam discussionem super vota, et elaboratas fusasque consolationes, quas hinc inde exaraverant tum Sacrorum Canonum Doctores, tum Sacrarum Caeremoniarum Magistri, sequenti dubio:

« Utrum in Ecclesiis tituli Cardinalitii ius consecrandi Altaria spectet Eminentissimis Cardinalibus earumdem Titularibus, vel potius Eminentissimo Cardinali Urbis Vicario? ».

Unanimi suffragio responderunt:

Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam.

Facta autem de omnibus relatione Sanctissimo Domino Nostro LEONI PAPAE XIII a subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario in audientia diei 30 ianuarii 1879, Sanctitas Sua responsum Eminentissimorum Cardinalium super proposito dubio ratum habuit et auctoritate sua confirmavit ac evulgari mandavit.

D. Card. BARTOLINI, **S. R. C.** ***Praefectus.***

L. © S.

Placidus Ralli, S. R. C. *Secretarius*

Disceptatio synoptica.

Praemonendum est rogatos, de more, fuisse de sententia,, ut gravis quaestio enodaretur, tum caeremoniarum Magistros, tum SS. Canonum Doctores. Quorum alii censuerunt, ius de quo agebatur, spectare ad Emum Vicarium, alii vero ad Emum Titularem. Brevem votorum huiusmodi sinopsim lectoribus exhibemus ut aptius arguere valeant qua gravitate, et quonam doctrinae apparatu quaestiones quae SS. Congregationibus enodandae proponuntur, resolvantur.

QUAE ADDUCTA FUERE
PRO E.MO URBIS VICARIO.

Votum apostolicarum caeremoniarum magistri.

Praemisit hic quaestionem huiusmodi numquam pertractatam fuisse ; nullam extare RR. Pontificum Constitutionem ad hoc, et ignorari saeculorum praeteritorum praxim ; ideo iuridice agitari debere, examinando muneris et privilegiorum utriusque Emi Cardinalis indolem, ad consequentiam deducendam.

Cardinalis De Luca, ***Diseurs.*** *34,* ***de iurisdictione Emorum Cardinalium in Ecclesiis Titulorum*** **autumat, eosdem habere iurisdictionem Episcopalem aut pene episcopalem in clerum et populum. Ast in praxi quum id grave obstaculum poneret spirituali administrationi Dioecesis Romae, prorsus abolita huiusmodi auctoritas fuit in populo, et quoad Clerum angustis cohibita limitibus. Ideo quum Emi Titulares haud plena perfruantur iurisdictione, neque separatum habeant territorium, Emus Vicarius qui Ordinarii Romae figuram gerit, illam habet in Titulis delegatam iurisdictionem, quae Ordinariis competit in Ecclesia Praelatorum, quamvis exempti existant. Nunc in iure certum est competere Ordinariis, quoad huiusmodi Eccle-**

sias, exercitium actorum omnium episcopalium. Hinc eruitur minime ad Titularem, verum ad Emum Vicarium tales functiones competere, etiam in Titulorum Ecclesiis : idque eo magis elucet, quia nullo documento evincitur altarium consecrationem reservatam fuisse per RR. Pontifices Emo Titulari.

Quamvis Cardinales in propriis Titulis episcopali gauderent iurisdictione, tamen haec turbare nequit hierarchicum gradum, in quo quisque ex illis constituitur. Ita ut Cardinalibus Diaconis prohibitum sit exercere in Diaconus officia Presbyterorum propria, quamvis presbyteri reapse iidem sint; et Cardinalibus presbyteris, etsi Episcopi ex charactere sint, prohibentur officia Episcoporum propria in ecclesiis Titularibus. Et ideo ex iure certum est Cardinales Diaconos et Presbyteros nequire, in suis Titulis altaria consecrare ; quia id etiam non fert Ecclesiae natura, cui praesunt. Si ex iure id nequeunt, neque ex privilegio hac pollent iurisdictione ; quum enim in opere P. Hyeronimi Piati omnia etiam minima recenseantur Cardinalium privilegia, hoc tamen non recensetur. Quinimo sub *n. 22* **legere est: « in praxi certum est quod Emi Cardinales « in Ecclesiis Titulorum sive saecularium, sive regularium non « habent ea, quae sunt ordinis, etiamsi sint Episcopi ».**

Quoniam vero ad loci Ordinarium spectat altaria consecrare in Ecclesiis Praelatorum, qui exemptione gaudent, oporteret ut Summus Pontifex hanc exciperet functionem in Breve quo iurisdictionem delegai Emo Vicario quae nisi excipiatur necessario devolvitur personae quae acta S. Ordinis Episcopatus gerit. Falsumque est ad hanc peragendam, vel committendam actionem, sufficere iurisdictionem ; eoquod, ad eandem peragendam, absque indulto apostolico, requiratur Ordo, et ad illam committendam plena et libera iurisdictio adesse debeat. Ast Emi Titulares, huiusmodi haud perimuntur indulto, et in suis Ecclesiis haud plenam, liberamque possident iurisdictionem : ergo iurisdictio, qua utuntur, neque ad conficiendam, neque ad aliis committendam actionem illam sufficiens reperitur.

VOTUM IURIS PERITI. EX **iure consecratio Altaris fit ab Episcopo Ordinario loci, in quo illae Ecclesiae sitae sunt ; illi enim tales ecclesiae, quoad omnia in spiritualibus sunt subiectae, ut edocet *cap. 7, de religiös, domib. ;* idemque supponitur *cap. i eod. tit.* Quam caeremoniam Episcopus vel per se complet, vel ad eam peragendam deputat alium Episcopum. Quam regulam valere pro Ecclesiis quoque Regularium et exemptorum Ordinum, nisi habeant speciale indultum, quod a Sede Apostolica raro conceditur, *Bened. XIV, de Synod, lib. /j, cap. /5, n. 4;* aut nisi forte Ecclesiae illae sint *nullius* dioecesis quo in casu poterit Ecclesia a quolibet Episcopo consecrari si ab Abbate vocetur. *Card. Petra, Tom. IV, ad Constit. VI, Urbanus IV, n. 48.* Idque ex eo provenit quia talis Abbas dicitur *Ordinarius territorialis* ac semi-episcopus in eo territorio abstracto a quacumque alia Dioecesi Proinde haec ultima exceptio redit in regulam generalem quae praescribit Ecclesias et altaria consecrari debere a *Dioecesano loci.* Tridentinum, *Sess. VI, cap.* 5 hanc confirmat regulam indirecte sed concludenter *nulli Episcopo liceat, miusvis privilegii praetextu pontificalia in alterius Dioecesi exercere, nisi de Ordinarii loci expressa licentia.* Gallemart autumat sub hac prohibitione comprehendi etiam s. r. Ecclesiae Cardinales, et ideo nullum habetur dignitatis privilegium.**

Ergo ut in casu hoc concludi posset consecrationem Ecclesiae vel altaris spectare ad Titularem, evincendum quoque esset, illum in suo Titulo esse Praelatum cum territorio abstracto a quacumque alia Dioecesi, et frui iurisdictione quasi episcopali. Sed quidquid sit de anteactis temporibus, in praesentiarum utrumque falsum est. Narratur quidem Cardinales habuisse olim territorium separatum cum clero et populo eis subiecto ; nunc vero huiusmodi territorium deest, et iurisdictio ab eo deducta cessavit.

Deinde etsi Sixtus V in *Constit. Religiosa* edita idibus aprilis 1589, edixerit iurisdictionem quasi episcopalem Cardinalibus competere in suis titulis ; tamen eorum iurisdictio

quasi episcopalis sublata est per Constitutionem Innocentii XII *Romanus Pontifex.* Ex ea deducitur quamlibet cessasse iurisdictionem in populo, et quoad clerum Titularis videt tantum, sine iudicii strepitu, quidquid delinquunt Canonici et Clerici in servitio chori et Loci pii; quoad alios autem excessus non videt. Quae iurisdictio omnino dici nequit quasi-episcopalis. Proinde iure Pitonius, *de Controv. Patron., allegat.* 41, *n.* 31 *et seqq.* quoad citatam constitutionem scripsit : « quae quidem « Constitutio silere facit hanc quaestionem super iurisdictione « Episcopali per Cardinales Titulares praetensa, eo ipso quod « eorum facultatem restringit ad ea, quae respiciat servitium « Ecclesiae, cum taxativa *dumtaxat* quae omnem aliam iuris- « dictionis speciem excludit ».

Concluditur ergo : ex quo Cardinales territorium non habent separatum, nec exercent iurisdictionem quasi episcopalem, considerari nequeunt ut Dioecesani vel quasi Dioecesani, ad quos pertinet consecrare Ecclesias, vel alios Episcopos ad id deputare.

Ex altera vero parte Ecclesiae illae sunt in territorio, seu solo, ubi Ordinarius est, nomine Pontificis, Cardinalis Urbis Vicarius, qui demandatam habet exercendam non modo potestatem iurisdictionis, verum etiam ordinis. Applicando proinde regulam canonicam, ad ipsum pertinet Ecclesiarum et altarium consecratio.

Quae addicta fuerunt pro Emo Titulari.

VOTUM PRAEFECTI CAEREMONIARUM APOSTOLICARUM. **Explicite professus est hic altaris consecrationem in ecclesiis titularibus ad ipsum Emum Titularem spectare, sic ratiocinium instituens: usus Pontificalium pertinet ad potestatem iurisdictionis. Ast potestas iurisdictionis in Ecclesia titulari pertinet ad Emum Titularem : ergo usus Pontificalium in ecclesia titulari solius est Cardinalis Titularis. Ast Ecclesiae et altaria consecrari nequeunt absque usu Pontificalium : ergo altarium**

consecratio in Ecclesiis titularibus pertinet ad Emum Titularem.

Ad singulas descendens argumentationis partes, ait voti Concinnator: ***usus pontificalium pertinet ad potestatem iurisdictionis.*** **Omissis canonistis, maxima haec facile evincitur per Tridentinum,** ***Sess. IV, Cap.*** *3.* **«** ***Nulli Episcopo liceat, cuiusvis privilegii praetextu, Pontificalia in alterius Dioecesis exercere, nisi de Ordinarii loci expressa licentia*** **». Huiusmodi decretum nedum respicit ordinum collationem, sed et alia pontificalem aliquam auctoritatem praeseferentia, ceu demonstrat Giraldi in suo commentario ad hoc decretum.** ***Ait enim : Sub pontificalium nomine, praeter Ordinum collationem, venire primam tonsuram, consecrationes vasorum, Ecclesiarum*** **(et consequenter altarium),** ***Virginum, Chrismatis et confirmationis etc.*** **Igitur probatum manet, iuris principio, quod** ***usus pontificalium est actus iurisdictionis*** **Panim.** ***decis.*** *30,* ***n.*** *3* **et quod pertineat ad iurisdictionis potestatem.**

Ast potestas iurisdictionis in ecclesia titulari pertinet ad Emum litularem. **Notum est enim Cardinales Titulares in propriis ecclesiis habere iurisdictionem episcopalem iuxta** ***Constit. Venerabilis*** **Pauli IV, et iurisdictionem** ***quasi episcopalem*** **iuxta Constitutionem** ***Religiosa.***

Id a Hyeronimo Manfredi confirmatur in ***lib. de Cardinalibus S. R. E.*** **« Sacra omnia, quae ad veros Episcopos spe- « ctant facere possunt Presbyteri Cardinales in suis titulis ». Et Card. Albici in dissertatione de iurisdictione Cardinalium in suis titulis dubio «** ***An de iure communi vel solum ex consuetudine habeant Cardinales in suis titulis iurisdictionem*** **» respondit:** ***« De iure communi illam habere, non autem ex consuetudine resolvendum est*** **» innixus auctoritati Barbosae per quam «** ***Vicarius Papae nullam in Ecclesiis Cardinalium titularium habet iurisdictionem*** **» quia** ***Cardinales etiam non Episcopi habent in suis titulis episcopalem iurisdictionem.*** **Idem docent Ferraris,** ***V. Cardinalis, n.*** *12* ***ad caput. His quae de maioritate et obedientia*** **et Card. De Luca,** ***de iurisdictione,***

Disc. *34.* **« Cardinales in « eorum titulis sunt independentes ab « Episcopo Urbis repraesentato a Vicario Papae », et « Tituli « Cardinalium comparantur Ecclesiis Episcopalibus ... non ex « eo quod dicitur iurisdictio quasi episcopalis, sequitur, eam «. non posse esse plenam et omnimodam, quia stat simul eam ;< esse realem, sed ita melius nuncupari ad differentiam eorum, « qui sunt Episcopi». Et re quidem vera in Apostolicis litteris quae Cardinali mittuntur pro suo titulo legitur :** ***Teque Ecclesiae ... in Presbyterum Cardinalem praeficimus, curam, regimen et administrationem ipsius ecclesiae in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo.*** [1]

Proinde vera certaque est iurisdictio, qua utuntur Cardinales in suis titulis ; et huic positivae innixi iurisdictioni Emi in suis Titulis beneficia conferunt, incedunt cum Rocheto detecto, benedictionem populo impertiuntur, indulgentiam T O O dierum concedunt, sanctorum reliquias authenticas dicunt, utuntur throno in functionibus; quae ad quemlibet Cardinalem haud spectant, non excepto Card. Vicario, non obstante eius amplissima ordinaria iurisdictio, quae eidem conceditur.

Ex iurisdictione quae Cardinalibus titularibus tribuitur, sequitur Ecclesiam titularem alium non posse habere superiorem, praeter eumdem titularem ; aliter ceu innuit Cardinalis De Luca, absurdum enasceretur « dandi duplicatum monstrum, « duorum scilicet capitum in eodem corpore, seu duorum viro- « rum unius mulieris » ... Hinc in Ecclesiis nationalibus non est ullus titulus: quia ut plurimum Cardinalem habent protectorem.

Igitur, prosequebatur caeremoniarum magister, si pontificalium usus pertinet ad potestatem iurisdictionis ; si potestas iurisdictionis in Ecclesia titulari pertinet ad Emum Titularem,

[1] Proinde quatenus negaretur Card. Titularibus vera et plena iurisdictio Apostolicae litterae sensu carerent. Hinc dicendum est Innocentium XII per Constit. *Romanus Pontifex* noluisse tollere Cardinalibus iurisdictionem illam in Titulis, quae olim conferebatur, et hodie eisdem confertur per Apostolicas litteras ceu dictum est. Sed obiectum eiusdem Constitutionis fuisse ut contentiosa iurisdictio tantum Titularibus auferetur.

uti demonstratum fuit ; ex duobus istis iuris canonici principiis sequitur, in ecclesia tituli Cardinalitii usum pontificalium pertinere ad Emum Titularem.

***Sed altaria consecrari nequeunt absque usu pontificalium.* Quae propositio ita plana est ut probatione ulla non indigeat ; et ideo cunclusa manet argumentatio, quod nempe ad Emum Titularem exclusive pertineat altarium consecratio in Ecclesiis titularibus.**

Ait etiam idem Magister : demonstrationem propositionis suae, iuris canonici principiis suffultam, coadiuvari a valida probatione. Etenim dum nullum adduci queat consecrationis altarium exemplum in ecclesiis titularibus ab Emo Vicario peractae, excepta occasione tituli vacantis ; ex adverso complurimae, etiam diebus nostris, peractae fuerunt altarium consecrationes in ecclesiis titularibus, de Emorum Titularium consensu. Nec Emus Vicarius, super his factis, de violata iurisdictione conquestus est.

Sed aliquis obiicit: ex his factis exurgit, Emum Titularem consecrare altaria suae titularis Ecclesiae nequire ; quia ceu Card. Diaconus nequit in sua Diaconia functiones exercere presbyterales, sic Cardinalis ex ordine Presbyterorum nequit in suo titulo functiones exercere episcopales, ad quas pertinet altarium consecratio. Sed obiectioni huic respondetur; argumentum illationis haud posse destruere probationem ex ipsa iuris indole promanantem. Facta autem adducta maximam confirmare quod nempe iurisdictio in ecclesia titulari (animadvertatur hic unice agi de altaris consecratione, minime vero de oleis sanctis, de confessionum excipiendarum facultate etc.) pertinet omnino ad Efhum Titularem, qui solummodo in adductis casibus atque independenter, Episcopo altarium consecrationem commisit. Quapropter si sit verum principium « *qui per alium facit, per seipsum facere videtur.* » verum quoque est quod, qui potestatem habet committendi Episcopo altaris consecrationem, possit per seipsum altare consecrare, quatenus sit Episcopus. Et ideo semper inhaerendo dubio propo-

sito « *an Cardinalis Presbyter possit in sua Ecclesia titulari consecrare altare* » edixit caeremoniarum Magister : Cardinalem presbyterum conficere haud posse functiones episcopales, si caractère episcopali careat, sed hoc in casu functiones committere debet Episcopo alicui, in vini iurisdictionis realis eidem collatae, per apostolicas bullas Quod si Cardinalis ex ordine Presbyterorum Episcopali charactere insignitus quoque sit, tunc consecratio altaris in ecclesia sui tituli pertinet ad eius plenam iurisdictionem, minime vero ad Emum Romae Vicarium. Ita ut si iure huiusmodi Emi Titulares privarentur, ad nihilum redigeretur iurisdictio episcopalis vel quasi Episcopalis, quam eisdem conferunt Apostolicae litterae ; nihilque aliud ipsis liceret, quam stemma et propriam effigiem in porta titularis Ecclesiae ponere.

VOTUM IURIS PERITI. **Hac de re rogatus, ait iste; omnibus serio hinc inde perpensis, ea sententia sacris canonibus magis congruere mihi visa est, quae ius istud Emo Ecclesiae Titulari adiudicat.**

Ecclesiae enim vel altaris consecratio duplicem requirit potestatem, ordinis nimirum et iurisdictionis. Qui consecrare ergo vult altare vel ecclesiam, praeter ordinis potestatem, debet ex iure exercere suam iurisdictionem super illa Ecclesia vel altari. Ex iure autem ordinario et communi consecratio altaris et ecclesiae, quoad potestatem considerata, ad Episcopum pertinet Reiffenst. *j decr. tit. 40 de consecrat, eccles, vel altaris n. 22.* « Loquendo de iure communi solus Episcopus « altare consecrare potest ac debet... Communis ac certa ob « clara iura *can. Quamvis 4 dist. 68* ».[1] Consecratio vero quoad actum considerata a potestate pendet iurisdictionis. Ea quae stricte ordinis sunt, neque delegari possunt, neque ex privilegio aliquo concedi ; facultas vero consecrandi altaris delegari potest et privilegio aliquo concedi, Reiffenst. *loc. cit. n. jj.* « Ex privilegio vel commissione Papae, etiam simplices sacer-

[1] Potestas haec adnexa est ordini Episcopali ex lege tantum humana, ut ait *Reiß. loc. cit. n. 26.*

« dotes consecrare possunt altaria ».[1] E contra autem, si quis Episcopali charactere insignitus, aut apposito privilegio instructus in aliena Dioecesi, sine Dioecesani Episcopi venia, Ecclesiam vel altare consecraverit, punitur suspensione ab exercitio pontificalium per integrum annum Trident. ***Sess.*** *6* ***cap. ¿ et Sess. 14 de ref....*** **Itaque quoad iurisdictionem considerata, consecratio ad illum pertinebit, qui super ecclesia vel altari consecrando iurisdictione episcopali vel quasi episcopali potiatur.**

Quapropter, hoc constituto, quaestio hodierna ad id cohibetur, utrum-nempe Cardinales in suis titulis iurisdictionem habeant episcopalem vel quasi episcopalem, nec ne. Quod quum coastiterit quaevis controversia drempta erit, simulque ad quemnam consecratio, nostro in themate, pertinere debeat facile dignoscetur.

Ast Paulus IV Constit. 5¿ Cardinalium iurisdictionem in suis titulis expresse vocat ***episcopalem ;*** **Sixtus V autem Constit. 5 5** ***quasi episcopalem*** **eam appellat inquiens : « Religiosa « SS. Pontificum praedecessorum nostrorum providentia institu- « tum olim fuit... ut Sanctae Romanae ecclesiae Presbyteris « certae in Urbe Roma Ecclesiae titulo appellatae quasi quae- « dam cuiusque propriae Dioeceses, Diaconis vero Urbis regio- < nes ad Christianae Religionis propagationem et conserva- « tionem assignarentur ».**

Quae quidem institutio usque adhuc servata viget, ita ut praeter sex Episcopos, qui certis Ecclesiis Cathedralibus Urbis finitimis praesunt, singulis Presbyteris et Diaconis Cardinalibus propriae in urbe Ecclesiae, tituli videlicet et Diaconiae cum suis clero et populo, ac ***quasi episcopali iurisdictione in spiritualibus et temporalibus*** **regendae et administrandae committantur. Consonat Honorius III in** ***Cap. His quod de maiorit.***

[1] Leo X concessit Fratribus Ordinis Minorum profisciscentibus ad Indias Orientales, et Paulus III Presbyteris Societatis Iesu, ut in locis remotissimis infidelium ubi Episcoporum copia non habetur, possint altaria consecrare. Rodríguez *tom.* ***1,*** *resp. 99, quaest. 28, art. 2.*

et obed. **ubi pariter statuitur Cardinales in suis Titulis habere iurisdictionem *episcopalem.***

Auctoritatem RR. Pontificum in hoc prosequuti sunt Doctores. Fagnanus *ad dict. cap. not. n.* *15* **« Cardinales habere « in suo titulo, et in Ecclesiis titulo subiectis, *Episcopalem « iurisdictionem,* ut hic est textus, qui ad hoc consuevit quo- < tidie allegari... et communiter Doctores ». Gonzal. *ad dict. cap.* docet. « Presbyteros Cardinales habere in suis Titulis sive « Ecclesiis omnem iurisdictionem ». Card. De Luca *Disc.*** *34* **probat « Quod Cardinales habeant in suis titulis ius episçopale ». Hisce consonat Rota in *Romana iuris tumulandi*** *20* ***febr. coram Emo Pirólo § Huius, et § Et utrisque.***

Id etiam ex Diplomate, quod cuique Cardinali conceditur erui potest; Card. Bizzarri in sua *collectanea p.* *69****j Romana concessionis sepulturae not.*** *2.* **Nam Doctores arguunt ex illis verbis competere Cardinalibus episcopalem iurisdictionem in Ecclesiis titulorum. Et Fagnanus *loc. cit. n.*** *18:* **« Procedit « autem haec conclusio non solum in Cardinalibus presbyte- « ris, sed etiam Diaconis, videlicet ut illi in suis titulis, hi « vero in suis Diaconus quasi episcopalem habeant iurisdi- « ctionem, ut est expressum in Constit. Sixti V quae incipit *« Religiosa* ». Et concordant Doctores omnes quod Cardinales, etiam non Episcopi in Ecclesiis sui tituli utuntur pleno iure episcopali.**

Ex hac plena iurisdictione, perpendit Bizzarri *loco cit.* sequitur praeter Cardinalem Titularem in Ecclesia sui tituli, alium superiorem esse non posse; secus, ait Card. De Luca *de iurisd. disc.* *54* **in absurdum incideremus « *dandi duplicatum monstrum duorum scilicet capitum in eodem corpore, seu duorum virorum unius mulieris ».* Sequitur etiam, nullam in iisdem ecclesiis iurisdictionem Cardinalem Urbis Vicarium habere posse, ait De Luca *disc.*** *34* ***de iurisd.***

Igitur ex dictis constat Emorum Titularium iurisdictionem vere esse episcopalem, eamque plenam, ita ut alterius cuiuslibet iurisdictionem excludat; stat etiam Cardinales in suis

Titulis plene iure episcopali uti, habere loco episcoporum, et ab omni prorsus dependentia immunes esse. Ex his vero principiis fluit Ecclesiae vel altaris consecrationem, ad Emum Titularem exclusive pertinere, et Card. Urbis Vicarium, ius istud nullo pacto vindicare sibi posse, nisi dici debeat vanas esse et ludicras omnes expressiones, quibus in subiecta materia Pontifices et Doctores utuntur.

Argumento adducto vis adiicitur per *Constit. Non mediocri* Eugenii IV, in qua definitur dignitatem Cardinalatus esse maiorem et sublimiorem Episcopali, Archiepiscopali et Patriarcali. Nec obstat quod Cardinales Ordine sint minores Episcopis; nam ceu declaravit Eugenius IV in dicta Constit, si res sit de praerogativis et privilegiis, est potius habenda ratio dignitatis, quam Ordinis.

Quo posito sequitur, Cardinales Titulares aequiparari non posse cum Praelatis exemptis, qui territorium non habent; istos enim nemo unquam dixerit episcopali vel quasi episcopali iurisdictione pollere. Videtur tamen Card. Titularem assimilari posse, licet *improprie, Praelato Nullius,* qui territorium a Dioecesi separatum habet ; in eoque plenam et omnimodam iurisdictionem exercet. Quod confirmat *Constit.* 33 *Sixti V* et Card. de Luca *disc.* 34 *de iurisd.* n. 66 aiens : « istae ecclesiae sibi assignatae fuerunt tamquam singulorum « particulares Dioeceses cum territorio separato a Dioecesi « Urbis... ».

Ideoque certum est praelatos istos consecrationis ritum per se ipsos conficere posse, si tali privilegio fruantur, vel si eo destituti sint, eumdem actum committere posse alteri cuicumque, qui huiusmodi facultate polleat, De Luca *Disc.* 34 *de iurisdict, n. g.* Quia isti praelati, praeter ea omnia quae sunt tum voluntariae tum contentiosae iurisdictionis, et quidem excluso semper Episcopo, habent ea omnia quae sunt Ordinis: quum pro his adire possint quemlibet Episcopum, Petra in *Comm. ad Constit. Apost. Constit.* 3 *Innoc. IV sect. unie.* n. 29 *et duobus sequentibus,* Pignattelli *consult. Canon.*

tom. *7* **consult.** 8 ***nn. Sç, po et 102.*** **Consequitur ergo Cardinalem Titularem sive per se, si huiusmodi facultate sit praeditus, sive per alium ad altaris consecrationem procedere posse, quin Cardinalis Urbis Vicarius ius istud sibi ullo pacto addicere valeat.**

Doctores autem clarissimi nominis tradunt, idipsum quod evinctum fuit per inductionis argumentum; scilicet cardinales Titulares Episcopos in propriis titulis omnes functiones Ordinis Episcopalis per seipsos peragere posse, et ubi iidem Titulares episcopali charactere destituantur, alios ad easdem functiones peragendas delegare posse, Felin. ad ***dict. Cap. His quae in princ.*** **Fagnanus** ***lib. i, Decr. de maior, et obed.*** **Hyeronimus Manfredi** ***in lib. de Card. S. R. E. cap. ç.***

Hisce vero principiis semel constitutis aliud pro thesi quae demonstranda est, argumentum exurgit. Neminem latet consecrationis ritum inter functiones Pontificales accensendum esse. At vero ex ***Trid. Sess.*** *6,* ***cap.*** *5* ***de ref.*** **sub censurarum poena prohibentur Episcopi, quominus** ***pontificalia*** **exerceant in alterius iurisdictione nisi de Ordinarii loci expressa licentia. Et ideo quum Emi Titulares in propriis ecclesiis** ***plenam et omnimodam iurisdictionem*** **exerceant, sequitur Emum Vicarium absque singulari privilegio sibi collato, non posse fines alterius iurisdictionis excedere** ***ad pontificalia obeunda.***[1] **Insuper ex dictis constat, Cardinalium Titulos habendos esse non tantum ceu loca exempta, sed potius ut territoria quaedam a Dioecesi, licet non materiali, sed intellectuali quadam ratione, separata, a quibus Ordinarii cuiuslibet iurisdictio prorsus excluditur.** [2]

[1] Emo Vicario Romae taxative et specifice reservatum fuit ministrare confirmationis sacramentum, et conferre ordines sacros; quod nequeunt Emi Titulares in suis Titulis. Re tamen bene perpensa, exceptio haec generalem confirmat regulam ; nempe competere Emis Titularibus omnes et singulos iurisdictionis actus, qui *expresse et nominatim* excepti non fuerunt. Duo ista forte ex causis prudentialibus excepta Juerunt, ad evitandam tantam iurisdictionum varietatem, ut ait de Luca *Loc. cit. n. 17 ;* ast altarium consecratio excepta non fuit.

[2] Per Innocentii Constit. *Romanus Pontifex* iura ac privilegia Emorum Titularium imminuta non fuisse ex contextu eruitur. Pontifex enim per

LUCEN.

Tria resolvuntur dubia quoad recitationem « Confiteor » in chorali officio.

In insigni Collegiata Ecclesia Sancti Michaelis ad Forum Lucense viget consuetudo, ab immemorabili tempore inducta, ut, quoties in chorali officio facienda est confessio, Hebdomadarius se inclinans Decano Praelato, qui primum ac distinctum obtinet ^talium, dicat *Tibi Pater* et *Te Pater,* et similiter uterque chorus repetens confessionem: Decanus autem quando officium non peragit faciens confessionem una cum choro dicit *Vobis fratres et vos fratres.* Quoniam vero Revmus Dnus Eugenius Nanninius, modernus Decanus et Ordinarius ipsius Collegiatae Ecclesiae dubitaverit an eiusmodi consuetudo legitime continuari possit, sequentia dubia S. R. Congregationi pro opportuna declaratione exhibuit, nimirum.

DUBIUM **I. An, quando Ordinarius chorali officio assistit, Hebdomadarius dicere debeat in confessione facienda, *Tibi Pater* vel potius *Vobis fratres?***

DUBIUM **II. An idem dicere debeat chorus inclinans se ad Praelatum vel Hebdomadarium?**

DUBIUM **III. An Ordinarius dicere debeat *Tibi Pater* ad Hebdomadarium, vel potius *Vobis Fratres?***

Sacra porro eadem Congregatio ad relationem subscripti Secretarii, audito voto alterius ex Apostolicarum Caeremo-

istam Const. nil aliud voluit, quam *iurisdictionem contentiosam* particularium Tribunalium ac iudicum supprimere, ut alias dictum fuit. Et ideo nullimode probari potest facultatem altaria consecrandi ereptam fuisse Emis Titularibus per dispositiones et Constitutiones RR. Pontificum Praxis etiam praesens id innuit, quoniam ex delegatione Emorum Titularium plura altaria consecrata fuerunt, hac etiam nostra aetate per Episcopos ad id vocatos a Titularibus ipsis.

Nunc autem, per decretum supra relatum, omnis quaestio -tollitur, eo quod maxima constituta est; quod nempe, consecratio altarium in Eccle sus titularibus, ad ipsos Emos Titulares pertineat.

niarum Magistris, propositis Dubiis I, II, III, respondere censuit: *Servetur caeremoniale Episcoporum, ideoque expositam consuetudinem esse abolendam.* Atque ita decrevit et servari mandavit.

Die 25 maii 1878.

Fr. TH. M. **Card.** MARTINELLI, S. R. **C.** ***Praefectus.***

Piae Ralli, S. R. C. *Secretarius.*

DIVIONEN.

Decretum Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Benigni Joly Canonici Ecclesiae S. Stephani Civitatis Divionensis.

Quum Kalendis ianuarii superioris anni a Sacra Rituum Congregatione vigore facultatum sibi specialiter a sa. me. Pio Papa IX tributarum indultum iam fuisset, ut de Fama Sanctitatis vitae, Virtutum et Miraculorum in genere Ven. Servi Dei Benigni Joly praefati agi valeret in eadem Sacra Rituum Congregatione Ordinaria absque interventu et voto Consultorum, ad instantiam Rev. Patris Fr. Vincentii Ligiez Sacerdotis Professi Ordinis Praedicatorum huius Causae Postulatoris constituti, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Ioannes Baptista Pitra eiusdem Causae Ponens, sequens Dubium discutiendum proposuit in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis hodierna die ad Vaticanum habitis, nimirum. « *An constet de validitate et relevantia Processus Apostolica Auctoritate in Curia Divionensi constructi super Fama Sanctitatis vitae Virtutum et Miraculorum in genere dicti Ven. Servi Dei, in casu et ad effectum de quo agitur?* » Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi omnibus mature perpensis, auditoque voce et scripto

R. P. D. Laurentio Salvati Sanctae Fidei Promotore, respondendum censuerunt: « *Affirmative* >. Die 7 decembris 1878. Quibus per infrascriptum Secretarium fideliter relatis Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII, Sanctitas Sua rescriptum Sacrae Congregationis ratum habuit et confirmavit die 19 iisdem mense et anno.

D. Card. BARTOLINIUS, **S. R. R.** ***Praefectus.***

L. © S.

Piae. Ralli, S. R. C. *Secretarius.*

EX S, APOSTOLICA POENITENTIARIA

Occasione Iubilaei nuper indicti, nonnulla dubia a quibusdam locorum Ordinariis ad Apostolicam Sedem delata sunt. Quibus dubiis ut satisfiat, Sacra Poenitentiaria de mandato et ex auctoritate SSmi Domini Nostri Leonis Papae XIII, haec quae sequuntur, declarat:

I. Ieiunium pro hoc Iubilaeo consequendo praescriptum adimpleri posse etiam tempore quadragesimae, dummodo fiat extra dies in Litteris Apostolicis exceptos et adhibeantur cibi tantum esuriales, vetito usu, quoad qualitatem ciborum cuiuscumque indulti seu privilegii etiam Bullae Cruciatae.

II. Christifidelibus cum Capitulis, Congregationibus, Confraternitatibus, nec non cum proprio Parocho aut Sacerdote ab eo deputato, Ecclesias pro lucrando Iubilaeo processionaliter visitantibus, applicari posse ab Ordinariis Indultum in Litteris Apostolicis iisdem Capitulis, Congregationibus, etc., concessum.

III. Una eademque Confessione et Communione, non posse satisfieri praecepto paschali et simul acquiri Iubilaeum.

IV. Iubilaeum quoad plenariam indulgentiam, bis aut pluries lucrifieri posse, iniuncta opera bis aut pluries iterando; semel vero, idest prima tantum vice quoad favores eidem iubilaeo adiunctus, nempe absolutiones a censuris et casibus reservatis, commutationes aut dispensationes.

V. In hoc etiam Iubilaeo locum habere, sine ulla exceptione resolutiones dubiorum ab ipsa S. Poenitentiaria pro Ordinariis Italiae editas sub die r iunii 1869.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae in Sacra Poenitentiaria, die 26 februarii an. 1879.

ALIAE DECLARATIONES EIUSDEM S. TRIBUNALIS

S. POENITENTIARIAE. [1]

VI. Ad iniunctas visitationes exequendas, designari posse etiam Cappellas et Oratoria, dummodo sint publico cultui addicta, et in iis soleat Missa celebrari.

VII. Visitationes ad lucrandum Iubilaeum indictas, dummodo praescripto numero fiant, institui posse pro lubitu Fidelium sive uno sive diversis diebus.

A. Card. BILIO, ***Poenitentiarius Maior.***

Hyp. Can. Palombi, S. *Poenit. Secretarius.*

[1] Alias declarationes super Iubilaeo reperies Vol. V, pag. 28, Vol. VIII pag. 266, 359, 485, 544 harum ephem.

LETTERA

DI SUA SANTITÀ PAPA LEONE XIII

AL Sig. Card. MONACO LA VALLETTA

VICARIO GENERALE DI ROMA

Signor Cardinale,

Nel giugno^, dell'anno scorso Ci fu d'uopo scriverle sul gravissimo pericolo che corre la fede e la morale del Nostro popolo di Roma per le molteplici vie aperte all'incredulità e al vizio ; tra le quali lamentammo allora come funestissima quella che dalle pubbliche scuole fosse stato escluso, quasi del tutto l'insegnamento del *catechismo*. Ora sentiamo il, dovere di scriverle nuovamente sopra d'un argomento strettamente

(Versio).

LITTERAE

SANCTISSIMI D. N. LEONIS PAPAE XIII

Ad D. Card. MONACO LA VALLETTA

VICARIUM GENERALEM URBIS ROMAE.

E ih e Domine,

Oportuit Nobis ut anni praeterlapsi mense iunio ad Te, Eme Domine, literas daremus de gravissimo, in quo adducitur discrimine Populi Nostri Romani fides atque moralis, multiplices ob semitas, quae vitio atque incredulitate patefiunt ; inter quas exitiosissimam tunc temporis conquesti sumus, quod nempe catechismi documenta a scholis publicis eicierentur. Modo debitum Nos tenet, ut iterum Tibi scribamus* de scholis *Romae; quod

connesso col primo, e anch'esso della più alta importanza, vogliamo dire *le scuole di Roma.*

E ben nota per dolorosa esperienza che, nella guerra ora mossa alla Chiesa, i nemici prendono specialmente di mira la gioventù, col manifesto intendimento di formare le crescenti generazioni a seconda dei proprii disegni e di guadagnarle per tempo alla loro causa. Negato perciò alla Chiesa ogni potere nel governo della pubblica cosa, e concessi eguali diritti ad ogni sorta di religione e di culto, si volle sottrarre anche la pubblica istruzione alla vigilanza ed all'autorità della Chiesa, che d'ogni sapere fu sempre altrice e maestra ; e si diede dovunque libero accesso a qualsivoglia insegnamento fosse pure ateo o infetto d'eresia.

Ella ben sa, Signor Cardinale, che questa maniera d'istruire la gioventù fuori del benèvolo influsso della Chiesa fu introdotta anche negli Stati della S. Sede, man mano che furono tolti al legittimo regime del Pontefice ; anzi, senza tener conto

subiectum, cum priore arcte coniungitur, quodque maximi est momenti.

Tristi edocemur experientia, hostes, in bello quod nunc Ecclesiae indicitur, iuventutem praesertim respicere, ea patenti de causa, ut nuper as iuxta propria consilia efforment generationes easdemque mature proprie lucrentur causae. Quamobrem quum in rei publicae gubernio omnis Ecclesiae denegata fuerit auctoritas, pariaque cuilibet religioni atque cultui largita fuerint iura, publicam instructionem subtrahi quoque concupivit vigilantiae atque auctoritati Ecclesiae, quae per saecula scientiae altrix et magistra habita fuit; reseratusque expeditus ubicumque fuit aditus, cuilibet impiae aut haeresi infectae doctrinae.

Nec te fugit, Eme Domine, iam in S. Sedis dominiis, legitimo quum sub traherentur Pontificis regiminis, inductam quoque fuisse huiusmodi, absque Ecclesiae benefica cooperatione, imbuendae iuventutis rationem. Quinimo, posthabitis peculiarissimis con-

alcuno delle specialissime condizioni e del carattere singolare che Roma riveste agli occhi di tutti, per essere la Sede del Vicario di Cristo ed il centro del cattolicismo, anche qui fu aperta all'errore la porta della più ampia libertà. Onde avvenne che dentro queste auguste mura, ove prima altro insegnamento non si apprestava che quello purissimo voluto dalla Chiesa, ora invece nelle pubbliche scuole è tollerato appena per qualche ora il catechismo cattolico : in quelle poi aperte e tenute dai protestanti, le tenere menti de' giovinetti e delle giovinette sono imbevute di ree dottrine, conforme allo spirito eterodosso di chi le insegna: Giacché per molti fatti ben noti chiaramente si rivela il disegno, concepito dai nemici della Cattolica Religione, di diffondere largamente in Roma i falsi principi del Protestantesimo ; e profittando della libertà dalle leggi concessa, rivolgere specialmente contro Roma gli sforzi che si si usano finora nelfe diverse città della penisola, e qui stabilire come il centro della propaganda eterodossa in Italia, sotto gl' influssi e cogli aiuti potenti, che loro vengono dal di fuori.

ditionibus, singularique charactere, quem apud omnium oculos induit Roma, Vicarii Christi sedes, fideique catholicae centrum, hic quoque errori amplissimae libertatis porta pandita fuit. Hinc accidit ut intra huiusmodi augustissimos muros, ubi quondam integerrima solummodo tradi consueverat Ecclesiae doctrina, nunc vero catholicus catechismus, vix pro aliqua hora, in publicis scholis toleretur : in illis autem quae per protestantes aperiuntur et moderantur, exitiosis imbuuntur doctrinis puellarum atque puerorum mentes, iuxta heterodoxam mentem eorum qui easdem tradunt doctrinas.

Ex multis equidem et notis factis, aperte a Religionis catholicae osoribus, captum deprehenditur consilium, large propagandi per urbem Romae erronea protestantium principia ; atque libertate utendo per leges concessa, conamina, quae antea per alias peninsulae civitates fiebant, adversus Romam singillatim

Questo disegno si vuol mandare ad effetto specialmente nelle scuole e per le scuole ; le quali perciò, anziché scemare col tempo, vanno crescendo di anno in anno per l'opera e con l'oro degli stranieri che qua venuti ne aprono spesso delle nuove, tentando con ogni arte di attirarvi numerosa la gioventù. Perciò a quelli che più sentono gli stimoli e le distrette dell'indigenza, si offrono larghi sussidi pecuniari, e si agevola il modo di sopperire ai molteplici bisogni della vita: con gli altri si largheggia di promesse, di premi, di lusinghe e di allettamenti d'ogni maniera. — Nè possiamo tacere che con singolare impudenza si giunse tant'oltre da aprire scuole acattoliche anche sotto gli stessi occhi Nostri, fin presso alle porte del Vaticano, Sede veneranda dei Romani Pontefici. — Al contrario, mentre tanta licenziosa libertà si concede alle scuole eterodosse, per vie oblique, ma sommamente efficaci, si tenta d'impedire l'incremento e lo sviluppo delle scuole cattoliche. Non mancano infatti all'uopo sinistre insinuazioni contro di

colligendi, et hic heterodoxae propagationis in Italia peragendae centrum ponere sub validis quae ab extra veniunt auxiliis atque cooperationibus. Consilium huiusmodi impleri praecipue debet in gymnasiis et per gymnasia; quae potius quam decrescant, quotannis augentur auro et alienigenarum opera, qui huc advecti saepe aperiunt nova, conantes omni astu ut crebram ibi cooptent iuventam. Proinde munifica exhibentur pecuniae subsidia illis, qui difficilius indigentiae stimulum subeunt ; ratioque multiplicibus vitae necessitatibus prospiciendi facilior redditur ; ceteris vero pollicitationes, proemia et illecebra omnigena ultro largiuntur. Neque silendum eo impudentiam pervenisse, ut acatholica gymnasia prae oculis nostris aperirentur, apud Vaticanum ipsum, venerandam RR. Pontificum Sedem. At vero dum effroenis libertas scholis heterodoxis impertitur, obliquis, sed apprime efficacibus mediis, scholarum catholicarum incrementum praepediri vult. Etenim neque ad hoc tortae desunt

esse, né speciali rigori, nè minaccie per distogliere i genitori dall' affidare i loro figli a' maestri sinceramente cristiani.

Non Ci fermeremo, Signor Cardinale, a dimostrare quanto sia contraria anche alla pubblica prosperità e al comune vantaggio un' istruzione qual si vuole al presente, non informata allo spirito del Cristianesimo. Giacché ognun vede a quali estremi sarà condotta la società, lasciando che in mezzo ad essa cresca una generazione sfornita di cristiani insegnamenti, disamorata alle pratiche di religione, senza fermi principi di morale. I lagrimevoli saggi che già se ne hanno, fanno anche più sinistramente presagire dell'avvenire.

Solamente* vogliamo osservare quanto male, anche per questa parte, siasi provveduto alla dignità ed alla libertà del Romano Pontefice, dopo che gli fu tolto il dominio dei suoi Stati. — Infatti la Nostra condizione quale risulta dalla serie dolorosa de' fatti che sopra toccammo, è tale che siamo perfino costretti a vedere l'errore, sotto la tutela delle pubbliche leggi, libero d'innalzar qui la sua cattedra, senza che Ci sia

insinuationes, neque speciales rigores, aut minae, ne proprios parentes filios magistris vere christianis credant.

Immorandum esse haud censemus, Eme Domine, ad innuendum quantum publicae prosperitati bonoque communi adversetur instructio quae, ceu nunc fit, propriam haud accipiat formam a christianismi spiritu. Quisquis enim videt quo perveniet societas, quae crescere apud se permittat sobolem rudimentis christianis expertem, religionis actus haud praedilig entern et firmis moralis principiis carentem. Inf anda quae iam prospici queunt specimina efficiunt, ut etiam deterius praesagiri futurum debeat tempus.

Innuere tamen libet, quantum male etiam in hoc Pontificis decori atque libertati consultum fuerit, postquam civili principatu orbatus Ipse est. Et re quidem vera, Nostra conditio, ceu ex tristi factorum serie, superius exposita liquet, ea est, quae nos haeresim respicere cogit, legum tutela suffultam, cathedram

consentito l'uso dei mezzi efficaci per farlo tacere. — Ora è facile comprendere quanto sia cosa indegna che la città, ove ha sede il Vicario di Gesù Cristo, sia impunemente contaminata dall'eresia, e addivenga, come ai tempi pagani, il ricetto degli errori, l'asilo delle sètte. Ogni ragion persuade che nella santa Città consacrata dal sangue dei Principi degli Apostoli e di tanti Eroi del cristianesimo, celebrata fin dai tempi Apostolici per la sua fede, e dalla quale, come da centro, si ha da spandere la vita, la luce della verità e dell'esempio in tutto il mondo, deve regnare sovrana e maestra la Religione di Cristo; e il Dottore universale della fede, il Vindice della cristiana morale deve avere il libero potere di chiudervi l'accesso all'empietà e di mantenervi la purezza dei cattolici insegnamenti. — Anche i fedeli che da ogni parte della terra traggono pellegrinando a Roma, a buon diritto si attendono di non trovare nella Città del loro Capo Supremo altro che conforto alla loro fede, pascolo alla loro pietà e splendidi esempi da imitare. Debbono quindi rimanere altamente ama-

tó *erigere, quin Nobis uti mediis efficacibus datum sit, ad silentium eidem indicendum. Quapropter intellectu facile est quantum dedeceat, Urbem, in qua Iesu Christi Vicarius vitam degit, infici ab haeresi et fieri, more paganorum temporis, errorum receptaculum, septarumque asylum. Omnigena suadent argumenta oportere ut Religio Christi regnet ceu domina et magistra in civitate sancta, sanguine principum Apostolorum, et tot Christianismi heroum consecrata, nobili ab apostolorum tempore per suam fidem, et a qua velut, a proprio centro, per universum orbem vitam diffluere debet, lux veritatis atque exempli; ibique Doctor fidei universalis et Vindex moralis christianae, libera facultate pollere debet praepediendi aditum impietati, atque integram catholicae doctrinae servandi sanctitatem. Christi quoque fideles, qui peregrinando Romam undique petunt, iure sibi attendunt, nil aliud reperire in civitate, quam incolit Supremum*

reggiati ed indignati al vedere invece serpeggiare in essa l'errore e dilatarsi con immensa rovina delle anime.

Facilmente s'intende, Signor Cardinale, quanto torni amaro al Nostro cuore un attentato così insidioso alla fede di Roma, e come ci sia impossibile di rassegnarci ad uno stato di cose così contrario al sentimento della Nostra dignità, e così inconciliabile coi diritti e coi doveri sacrosanti del supremo Nostro potere.

Intanto in mezzo alle gravissime difficoltà onde siamo circondati, a Noi altro non resta se non rivolgere le Nostre speciali sollecitudini a mitigare almeno l'asprezza del male e ad impedire, per quanto è possibile che più si diffonda.

Dopo mature riflessioni pertanto, senza nulla innovare intorno agl'Istituti retti dalla S. Congregazione degli Studi, siamo venuti nella risoluzione di nominare una Commissione di Prelati e di Signori del Patriziato Romano la quale di tutte

eorumdem Caput, nisi propriae fidei fulcrum, pietatis pascua, exemplaque nobilior a emulanda. Hinc maxima ipsi torqueri debent amaritudine atque indignatione, quum prospexerint in eadem civitate errorem serpere atque in ingenti animarum discrimine sese extendere.

Facili comprehenditur modo, Eiñe. Dñe, quanam afficiamur tristitia, callidi attentati causa in Romanam fidem ; et quomodo impossibile fiat, Nos rerum conditionem subire, quae sensum dignitatis Nostrae adversatur, quaeque nullimode cum supremae Nostrae iurisdictionis sacris iuribus et muneribus conciliari queit.

Interdum nil aliud Nobis relinquitur, in medio harum difficultatum, quam Nostris uti sollicitudinibus ad malorum asperitatem demulcendam, et ad eorumdem diffusionem, quantum fieri possit impediendam.

Quapropter maturis praehabitis considerationibus, nihilque innovando quoad Instituta per S. Studiorum Congreg, moderata, nominare constituimus* Commissionem *Praelatorum atque Dominorum e Romano Patritiatu, quae omnium scholarum catholi-

le scuole cattoliche da Noi dipendenti, tanto elementari quanto quelle nelle quali s'imparte l'istruzione primaria, assuma in Roma l'alta direzione e vigilanza, lasciando bensì le persone e gl'Istituti che attualmente le reggono ; e sia come il centro comune, da cui, per quanto lo permettano le condizioni presenti, tutte abbiano a ricevere unità ed incremento. — La Commissione che Noi nominiamo è così costituita : *Presidente :* Monsignor Giulio Lenti, Arcivescovo di Sida, Vicegerente di Roma ; *Membri:* Mons. Francesco Ricci Paracciani, Nostro Maggiordomo ; Mons. Carlo Laurenzi, Vescovo d'Amata *i. p. i.* Mon signor Pietro Crostarosa ; Marchese Giovanni Patrizi Montoro ; Camillo de' Principi Rospigliosi ; Pietro Aldobrandini, Principe di Sarsina ; *Segretario :* Can. D. Augusto Guidi.

Questa Commissione, penetrandosi delle molte e gravi difficoltà che dovrà affrontare, avrà a speciale suo compito

carum a Nobis dependentiam, tum in quibus elementa, tum in quibus instructio primaria *traduntur, supremum habeat regimen et vigilantiam, manentibus tamen personis atque institutis easdem nunc moderantibus ; quaeque sit instar centri communis, a quo, quantum adiuncta rerum sinant, omnes unitatem atque incrementum recipere debeant.* Commissio *autem per Nos electa ita constituitur :* Praeses : *R, P. D. Iulius Lenti, Archiepiscopus Siden.,* in part. infid., *Vicesgerens Romae ;* Membra: *R. P. D. Franciscus Ricci Paraciani, Noster Praefectus Domui; R. P. D. Carolus Laurenzi, Episcopus Amaten.,* in part. infid. ; *R. P. D. Petrus Crostarosa ; Marchio Ioannes Patrizi Montoro ; Camillus e Principibus Rospigliosi ; Petrus Aldobrandini, Princeps e Sarsina;* Secretarius: *Can. D. Augustus Guidi.*

Commissio *huiusmodi rite gravia perpendens obstacula, quibus obviam eundum erit, omni studio curabit certior fieri de nominatarum scholamm conditione per varias Romae partes ; quaerere an pro numero et amplitudine pares sint necessitatibus et multitudini iuvenum utriusque sexus, qui edoceri expetunt;*

procacciarsi una cognizione esatta dello stato delle nominate scuole nei diversi Rioni di Roma ; indagare se per numero e per ampiezza corrispondono ai bisogni e alla moltitudine dei giovinetti dell'uno e dell'altro sesso che si presentano per ricevervi l'insegnamento ; vedere quali potrebbero ampliarsi e dove aprirsene delle nuove ; infine che le scuole siano affidate a maestri idonei, i quali alla sperimentata bontà della vita congiungano l'abilità e i requisiti necessari ad esercitare con vera profitto il magistero. I membri componenti la Commissione, oltre adunanze ordinarie che terranno innanzi al Presidente per bea..intendersi fra loro, e consultare sopra quello che sia da fare si riuniranno altresì alcune volte entro l'anno davanti a Lei, Signor Cardinale, perchè anche col suo consiglio e colla sua autorità siano adottate le disposizioni più opportune a vincere gli ostacoli e provvedere ai bisogni.

Siccome però quésta lotta dell'errore contro la verità è sostenuta principalmente dall'oro che si profonde largamente in mezzo ad un popolo ridotto a poco floride condizioni di

prospicere quaenam ampliari et ubinam novae aperiri possent ; tandem satagere ut scholae idoneis credantur magistris qui, praeter notam vitae bonitatem, peritia sint praediti necessariisque requisitis ad magisterium utiliter exercendum. Membra, quibus Commissio *constituitur, praeter ordinarios coetus, quos crebro coram Praeside habebunt, ut aptius inter sese intelligere possint quid consilii capiendum, aliquando infra annum convenient coram Te, Eme Domine, ea de causa, ut etiam per consilium auctoritatemque tuam dispositiones adoptentur, quae aptiores sint obstaculis superandis et necessitatibus prospiciendis.*

Quoniam vero erroris certamen adversus veritatem auro praesertim alitur, large profuso in medio populi, qui mediocri utitur fortuna; sic bonus incepti exitus praesertim ab hoc dependet, ut nempe magna pecuniae vis praesto sit. Ea propter ad hanc maximi momenti pertingendam metam, instituimus con-

fortuna; così il buon esito dell'impresa dipende grandemente dall'avere alla mano mezzi pecuniarii in gran copia. Noi ci proponiamo di concorrere con ogni larghezza ed annualmente del Nostro privato peculio a questo rilevantissimo fine : e poiché alla conservazione della fede in Roma sono collegati gl'interessi di tutto il mondo cattolico ; intendiamo che a far prosperare le Nostre scuole contribuisca anche l'obolo di S. Pietro per quella parte che i bisogni della Chiesa Cel consentiranno. - Malgrado ciò, Ci sarà anche necessario il concorso speciale di quanti, schiettamente cattolici (e nella Città di Roma, la Dio mercé, sono ancora assai numerosi) hanno a cuore il bene della religione e la gloria di Dio. - Sappiamo già che nobilissime ed illustri famiglie del Patriziato Romano, con grande loro merito presso Dio, e con onore tanto maggiore, quanto più gravi sono le difficoltà contro le quali debbono continuamente lottare, fondarono e mantengono del proprio alcune scuole, dove i giovanetti dei due sessi ricevono la cultura letteraria corrispondente al loro stato, e vengono

currere omni largitate et quotannis ex privato peculio Nostro ; quoniam vero totius mundi catholici interest fidei tutela in urbe Romae, volumus ut hae scholae Nostrae florere possint etiam per obulifidei concursum, quantum Ecclesiae universalis necessitates id nobis sinant. Praeter hoc, opus erit ut adsint, quotquot veri catholici nomine gloriantur (quorum, gratia Dei, etiam nunc multi Romae numerantur) quibus cordi sit religionis bonum, Deique gloria. Haud Nos latet praeclarissimas Romani Patritiatus familias benemerentes apud Deum, et cum honore tanto maiori, quanto graviora opponuntur obstacula usque superanda, nonnullas instituisse scholas, quas aere proprio servant ; ubi utriusque sexus iuvenes culturam accipiunt litterariam propriae aptam conditioni, simulque in catholico catechismo, et christianarum virtutum praxi erudiuntur. Quamobrem praenobiles animae huiusmodi, et quotquot bono informantur spiritu, qui-

insieme ammaestrati nel catechismo cattolico, e nella pratica delle virtù cristiane. Ora anime si generose, e quante altre ve ne son mosse da buono spirito, cui la Provvidenza fece più larga copia delle dovizie terrene, al conoscere il bisogno che vi è, di provvedere alla gioventù scuole cristiane, non possono non aspirare alla gloria di fornirci i mezzi necessari a mantenerle.

Nè in questa gloria si lascerà vincere da altri il Clero Romano. 11 Sacerdozio cattolico andò sempre innanzi in ogni impresa che tornasse ad onore di Dio e a profitto delle anime ; e le gloriose tradizioni del Clero di Roma attestano chiaramente quanto bene anch'esso abbia sempre compreso la sublime missione. - Già i Capitoli delle Basiliche Patriarcali hanno messo in Nostre mani ciascuno la propria offerta; e non dubitiamo che il loro esempio muoverà anche gli altri a fare il medesimo. Simili offerte Noi le destiniamo esclusivamente a questo altissimo scopo, degno veramente del Nostro Clero, di provvedere cioè al popolo di Roma insieme alla

bus magnam divitiarum terrenam tribuit Providentia copiam, quum scholis christianis consulendi necessitatem prospexerint, nequeunt gloriam posthabere Nobis exhibendi opportuna media ad easdem servandas.

Neque ab aliis vinci sinet Clerus Roma?ius, istam quoad gloriam. Usque adeo catholicum praecucurrit sacerdotium, quum opus confici oporteret, gloriam Dei animarumque bonum tangens ; et Cleri romani illustres traditiones perhibent, rite eumdem omni in aevo suae missionis agnovisse nobilitatem. Iamque ex Basilicarum Patriarchalium Capitulis, unumquodque propriam deposuit in manibus Nostris oblationem ; neque dubitamus fore ut eorumdem exemplar alios ad idem peragendum adducat. Oblationes huiusmodi soli huic excelsiori constituimus fini, vere Cleri Nostri digno; ut exhibeatur videlicet Romano populo una cum litteraria eruditione, illa christiana institutio, a qua etiam civilitas, humanaeque societatis bonum procedunt.

letteraria istruzione, quella educazione cristiana, che è seme fecondo anche di civiltà e di sociale benessere.

Che se non tutti possono largheggiare di danaro, possono però prestare l'opera loro, sia richiamando alla memoria dei genitori il gravissimo dovere che hanno di allevare cristianamente la prole e di tenerla lontana da tutto ciò che può recar detrimento alla loro fede ; sia esercitando essi stessi nelle scuole il magistero ; sia insegnando il catechismo e spezzando ai pargoli il pane della divina parola.

Per tal modo i Romani si mostreranno degni di sé, ed avranno anche la gloria di emulare lo zelo e la generosità dei cattolici di altri paesi di Europa, i quali gelosi dell'avita lor fede danno al mondo splendidi esempi di disinteresse e di sacrificio, affine di veder conservata nelle loro scuole l'educazione cristiana.

Anche Ella, Signor Cardinale, che tanta e così solerte attività spiega per la salute delle anime, non cessi di esortar tutti che si adoperino con fermezza di propositi, con alacrità e generosità di animo per raggiungere il fine propostoci; poi-

Quod si ab omnibus praestari nequit, opera tamen omnium praesto esse potest ; sive in parentum memoriam onus revocando quo gravantur, tum prolem christiana ratione instituendi, tum removendi quidquid eius fidei detrimentnm afferat ; sive ipsi magisterium in scholis agendo, sive catechismum docendo et verbi divini panem parvulis frangendo.

Tali ratione Romani, hoc nomine digni sese exhibebunt, gloriamque consequentur aemulandi zelum atque aliorum Europae populorum generositatem, qui de sua solliciti fide avita, nobilia praebent mundo magnanimitatis et sacrificii specimina, ut christiana institutio in suis scholis salva tectaque maneat.

Tu quoque, Eike Domine, qui pro animarum salute magna solertique uteris sollicitudine, exorare ne cesses, ut omnes animo firmo, alacri, atque generoso adlaborent ad propositum adse-

che **i giorni** che **corrono sono cattivi,**[1] **e non dobbiamo lasciarci sopraffare dal male, ma vincere piuttosto il male per mezzo del bene.**[2]

Ed ora chiudendo la Nostra lettera innalziamo gli occhi a Dio supplicandolo per *Y* **intercessione della Vergine Immacolata, e dei SS. Apostoli Pietro e Paolo a dare compimento ai Nostri voti, a rammentarsi della Città Santa dove sorge la Cattedra del suo Vicario, e disporre per essa giorni migliori. E nutriamo la certa speranza che mercé l'aiuto del cielo e per lo zelo operoso di tutti i buoni, andranno a vuoto gli sforzi nemici, e Roma conserverà sempre il prezioso tesoro della sua fede.**

Auspice intanto dei favori celesti, a Lei, Signor Cardinale, ai membri della Commissione, e a tutti i fedeli di Roma impartiamo l'apostolica benedizione.

Dal Vaticano, 25 marzo 1879.

LEONE PP. XIII.

quendum finem ; **quoniam dies mali** ***sunt,***[1] ***neque patiendum est*** **vinci a malo,** ***sed vincendum est*** **in bono malum.**[2]

Litteris hisce Nostris finem imponendo, oculos ad Deum tollimus exorantes, per Virginis Immaculatae atque SS. Apostolorum Petri et Pauli intercessionem, ut vota Nostra implentur, ut S. Civitatis recordetur, ubi sui Vicarii Cathedra stat, et ut pro ea meliora disponat tempora. Nobisque spes affulget certa, innixis Dei auxilio solertique bonorum zelo, fore ut hostium conamina in irritum cedant, et Roma pretiosum suae fidei thesaurum sartum tectumque servet.

Coelestium donorum auspicem Tibi, Eme Domine, membris **Commissionis** ***omnibitsque Romae fidelibus apostolicam impertimus benedictionem.***

Ex Aedibus Vaticanis, die 23 martii 18yç.

LEO PP. XIII.

[1] Eph., V, 16.
» Rom., XII, 21

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

MATRIMONII. \

Diebus 4 maii, 20 iulii et 14 septembris 1878.

Ferdinandus nobili genere natus, viginti sex annorum aetatem vix attigerat, cum in mulierem incidit subtili artificio venantem viros, Luciam nomine. Una cum ea maritalem vitam duxit in civitate *B.* ita infamibus irretitus illecebris, ut avelli non posset. Sed cum nihil e paterna substantia reliquum haberet, nihil sumptus facere poterat quin a matre Comitissa *V.* quae opulentissima est, obtineret. Statim ac filii ruinam comperiit nobilis mulier, virili fortitudine et constantia ac etiam exemplari religione praecellens, in eius salutem toto animo intendit.

Itaque ut iuvenem a consuetudine distraheret, arrepta occasione quod tyrocinium diplomaticum interceperat, causa ineundi studiorum speciminis, eumdem collocare sategit Londini, in quadam mensa nummularia, alteri mensae subiecta in civitate *B.* erectae, cuius praesidem sibi addictissimum habebat. Ita mater filii correctionem obtinere studuerat, quin ab incepto tyrocinio desisterei.

Utrum ex die 24 maii seu potius ex die prima ad diem 29 iunii Londini manserit Ferdinandus, haud satis liquet. Certum est et Luciam, sarcina composita, Londinum properasse. Sed Comitissa ut certior facta est, pestem quam domo arcere voluerat in Anglia ingravescere, eléctrico nuntio per

MONITUM.

Fusiori calamo huius causae expositionem confecimus quia binae quaestiones circa defectum consensus et domicilii in subiecta materia ita novae omnino et graves sunt, ut ipse Emi Patres S. C. C. ter eas examini subiecerant, antequam definitivam ederent sententiam.

nummulariae praesidem misso, filium illico ad se revocavit, qui die 29 iunii, supellectile Londini relicta, Lucia comitante in patriam rediit.

Ut peccantem ad bonam frugem reduceret mater, eum spiritualibus exercitiis vacare studuit, in quadam domo Patrum Societatis Iesu. Ast, quin animae consuleret Ferdinandus, in solitudine media excogitavit maternam vigilantiam eludendi: et revera, statim ac religiosam domum reliquit, Ludam alloquutus, cum ea statuit Londinum remeare, ut illuc tuto matrimonium celebrarent, quod *B.* impossibile erat, nisi vel matris consensum obtineret, vel per trinos submissionis actus ad legis tramites transiret.

Igitur ut propositum expleret, necessitatem causatus in Angliam revertendi, ut cauponae pensiones solveret et sarcinas liberaret, Kalendis augusti Ferdinandus Londinum rediit, quo iam praevenerat Lucia : nummos locatori reddendos nuptiarum tabellioni numeravit, ut etiam quae lege anglica servanda erant omitterentur : et die sexta eiusdem mensis augusti, matrimonium cura civili magistratu *{Register)* celebravit, eademque ipsa die literam ad avunculum misit, matri ostendendam, qua londinenses nuptias nuntiavit.

Vix quinque vel sex diebus elapsis ab huiusmodi matri monio, iuvenes in patriam reversi sunt. Quo ut pervenit Ferdinandus, commissi poenituisse visus est, et ad matrimonium civili ritu Londini contractum, saecularis magistratus sententia delendum, die 14 septembris in advocatum *L.* pro coniugii nullitate vindicanda mandatum contulit. Deinde Comes, matre curante, post specimen in iure datum, Constantinopolitanae legationi adscriptus, in novam sedem profectus est. Ubi tamen Constantinopolim pervenit, die 4 novembris protestationem publice edendam contra iudicium nullitatis matrimonii *B* initum, transmisit ad Luciam ibi adhuc commorantem : eamdemque ad novum domicilium revocavit.

Die 21 praedicti mensis novembris, civile tribunal matrimonium duplici ex capite invalidavit : nempe ex defectu publi-

cationum, et ex defectu consensus matris, non interposito ad legis tramites trino submissionis actu. Constarttinopoli ubi Lucia cum eo commorabatur, mansit Ferdinandus usque ad mensem septembris 1873, quo, urgentibus maternis sollicitationibus, clam Lutetiam Parisiorum primum migravit Lucia relicta : dein *B.* iterum rediit. Ex eo tempore iam non amplius cum Luciae eum cohabitasse, licet quandoque ipsam invisent, pro certo teneri potest.

Anno volvente 1874 Ferdinandus, cum novisset matrem Ordinario preces obtulisse, ut quaestio de validitate matrimonii a filio cum Lucia initi Ecclesiastica auctoritate definiretur, et ipse instituit rem dirimi ad tramites iuris canonici. Inquisitio rite -suscepta est, ter examini subiectus est vir, viri mater ac Lucia semel. Duo ab Ordinario consultores adhibiti doctissimi viri, qui pro nullitate matrimonii votum ediderunt. Sed dum iam Ordinarius sententiam erat laturus, literam Ferdinandus conscripsit, qua agitatae conscientiae dubia exponebat ex eo acta, quod licet ipse civile matrimonium contrahere intendisset, tamen quia iuramentum intercesserat, valde pertimescebat ne coram Deo dissolvi posset. Hac accepta epistola Antistes, ex ea rerum statum valde immutatum fuisse existimavit, prouti ipse idem aperte professus est, et die 9 septembris 1874 sententiam edidit qua declaravit *non constare de invaliditate matrimonii. . . . .ideoque idem matrimonium, quamvis illicite contractum, habendum esse ut validum.*

Mense iulio sequentis anni 1875, ª^ Ordinarii sententia ad S. C. C. provocavit Ferdinandus. S. Congregatio novam iniri inquisitionem decrevit, quae instituta est anno 1876. Interea temporis, idest mense aprili 1876, Lucia aliud contraxerat *B.* civile matrimonium cum quodam Aloysio P. Deinde apud Curiam *B.* ut S. Congregationis voluntati satisfieret, mense octobris anni eiusdem, Lucia, Ferdinandi mater, soror ac levir examen subierunt die 19 iunii 1877: seorsim vero Comes in longinquis Americae regionibus coram Episcopo

civitatis *F.* quo profectus erat, ex nova Gubernii ad eam legationem destinatione.

Hisce omnibus absolutis, causae propositio locum habuit.

Disceptatio synoptica.

QUAE FERDINANDI PATRONUS EXPONEBAT. **Duplici ex vitio matrimonii Londini contracti nullitas propugnata est. Ex defectu consensus et ex defectu domicilii. Dictum est enim, ex universa factorum congerie in unum collecta, hoc haberi. Nobilem adolescentem mejetricios amores non matrimonium affectasse ac fovisse, illos abrumpi metuisse, et quodam vinculo perstringere fuisse molitum, quo libidini parta securitas dici posset, quin tamen ullum mulieri ius vel dominatus tribueretur. In Anglia matrimonium precarium esse suapte natura, religione, ritu, consuetudine, sive plurimis conditionibus resolubile. Hoc deliberasse Comitem : hoc illius sociam ac mancipium libenter accepisse. Haec tamen si conferantur cum sancto sacramenti vinculo divinitus instituto, duobus vitiis infecta deprehendi,** *primum,* **quod formalis consensus defuit:** *alterum,* **quod etsi non defuisset, conditioni erat adiectus unde insanabili nullitate coniugium afficiebatur.**

Formalem consensum defuisse apertum esse. Sane non consensum quemlibet in omni actu requiri, sed eiusmodi esse oportere, qualis actus naturam decet : et utcumque in Anglia, matrimonium quod aiunt civile, sacramenti naturam induat, ex doctrina a Sanctissimo Pontifice Pio IX **tradita in allocutione diei 27 septembris 1852** *inter fideles matrimonium dari non posse quin uno eodemque tempore sit sacramentum :* **ita ut propter consensum et sacramenti continentiam, civilia connubia et vera sunt et recta, sive eo ipso quod sunt legitimi contractus» sunt etiam sacramenta. Nihilominus quia haec praesumptio ex facto arguit ad mentem operantis, et actus agentis ultra illius intentionem non operatur, agentis intentioni esse inhaerendum. Iamvero si intentio contrahentis ea fuerit ut contractum a**

Sacramento seiungere!, matrimonium nullum esse, teste *Sánchez, de matrim., lib. 2, disp. io, n. 6. Tandem dubitatur an fideles contrahentes matrimonium possint ab eo ex intentione separare rationem sacramenti ... si ea voluntas sit vera intentio separandi, quantum in ipsis est rationem sacramenti a matrimonio, et celebrandi merum contractum naturalem, dicendum est non esse sacramentum defectu intentionis ...et ita ego sentio, quia ex Christi institutione, inseparabile est a contractu matrimonii esse sacramenti: unde intentio non conficiendi sacramentum, repugnat intentioni legitimae faciendi matrimonium, ut est contractus : sicut e contra, qui intenderet facere sacramentum matrimonii, non autem contractum, nihil efficeret : quia ex Christi institutione haec duo sunt inseparabiliter coniuncta.*

Atqui, quae ad nullitatem duo plurimum possunt, ambo in Comitis et Luciae civili conventione conspirare. Nam et in animo non habuerunt facere quod Ecclesia requirit, et civiliter tantum, non religioso vinculo contrahere. Hanc fuisse viri intentionem, deduci ex eiusdem Ferdinandi testimonio, tum ante tum post Archiepiscopi sententiam. Ante sententiam diei 18 iunii 1874 ipse deposuerat: « Declaro me, cum coniugium « contraxi, intentionem expressam habuisse nihil aliud faciendi < quam civile matrimonium, unicum quod ita fieri posse arbi- < iratus sum : idest tale matrimonium, quod nullo coram Deo « me vinculo perstringeret, usque dum accederet Sacerdotis « benedictio^ quam me consequuturum quandoque sperabam. « Equidem pro certo tenebam, usque dum benedictionem « obtinerem, mihi facile futurum ut per purum civile iudicium, « me ab eiusmodi vinculo liberarem ». Deinceps in inquisitione rogatum, et iureiurando interposito idem respondisse : « Causa quae ad connubium contrahendum me impulit, haud «alia fuit, quam ut obstaculum matri meae pararem, quae << volebat ut a Lucia seiungerer. Putabam enim sat grave « obstaculum praebere matrimonium civiliter tantum initum « iuxta Anglicam legem, qua divortium quibusdam in casibus « permittitur ».

Hisce permotum Ordinarium, iam eo fuisse ut pro nulli-
tate matrimonii sententiam ferret, cum litteram Ferdinándi
accepit, qua is conscientiae stimulis se exagitatam narrans, ob
iuramentum in nuptiarum celebratione praestitum, valde se
dubitare aiebat ne coram Deo indissolubile esset connubium.
Etenim aperte ei respondisse Ordinarium « tua littera rei
« statum funditus mutavit ». Verum hanc epistolam semel
iterum ac tertio conceptis verbis ac dilucide revocasse Fer-
dinandum. Primo enim dixisse « Declaro epistolam ad Rmum
« Ordinarium tunc missam cum ipse mihi significavit se nul-
« lum decretorum matrimonium a me cum Lucia contractum,
« partam fuisse a passione qua Luciae adhaerebam » deinde
etiam scripsisse Riño Praesuli « ego matrimonium catholico
« ritu cum Lucia contrahere renuissem ... per Deum iuro me
« numquam cogitasse, fore ut indissolubili vinculo obstrin-
« gerer ».

Ex his cum constet de Comitis animo se coram Ecclesia
coniungi noluisse, supervacaneum esse disputare de animo
Luciae : cum enim ex alterius parte sacramentum corruat, ex
alia consistere nequire. Verum et ipsam duas literas conscri-
psisse, alteram Corniti, Ordinario alteram: in illa quidem asse-
ruisse, « scripsi Episcopo me confiteri debere, numquam in
« me intentionem fuisse religiosum tecum matrimonium coli-
te trahendi > ; in altera vero: « Profiteor me numquam inten-
« tionem habuisse contrahendi cum Comite religiosum quodvis
« matrimonium ».

Literis cohaerere quae Lucia deposuit, cum in Curia *B*
novissimo examini subiecta est « si cum matrimonium con-
« traxisti dictum tibi fuisset te numquam divertendi faculta-
te tem habitiiram, credis ne futurum fuisse ut non consentires ? »
et respondit « aeque consensum dedissem ». Qua ex condi-
tionali rogatione et responso, planum esse Luciam non diver-
tendi conditionem prae oculis non habuisse : secus respon-
disset, se hac lege nupsisse ut perpetuum vinculum contraheret.
Et revera cum rursus deinde Iudex Luciam percontatus est :

« Conventum nec ne fuit inter vos in posterum Catholici
« sacerdotis benedictionem quaerere, vel saltem Comes unquam
« de hoc loquutus fuit? » eam responsum dedisse: « Ante
« matrimonium de hoc sermo factus est numquam : post matri-
« monium vero, Comes aliquid dixit. Ipsi grave erat nequi-
« visse coram Ecclesia matrimonium contrahere, quia *tunc*
< *mater vinculi validitatem admisisset ».*

Caeterum *B.* hanc omnium in animis insidere fixam opinionem : aliud esse civile matrimonium, aliud religiosum, et quemadmodum civile in ecclesiastico per saecularem legem non continetur, ita ecclesiasticum in civili per ecclesiae legem non contineri. Igitur qui coram laico magistratu contrahunt, sive domi sive extra, in opinione omnium civium *B.* procul ab Ecclesia contrahere. Hanc opinionem sequutum Ferdinandum, matrimonium civile Londini contraxisse, quin unquam cogitasset catholicos ibi etiam religiose contrahere, dum coram civili officiali mutuum nubendi consensum praestant. Hoc autem certe animo affectum Comitem fuisse, qui ad Ordinarium scribere non dubitavit : « Ego nunquam credidissem, si
« mihi tunc dictum esset, matrimonium inter Catholicos con-
« trahi posse coram haeretico, qui sacramentis fidem non
« praestat ».

Alteram ex vitio consensus nullitatis causam erumpere, propter conditionem stipulationi adiectam de matrimonio quandoque dissolvendo ; cum conditiones huiusmodi quae matrimonii substantiam afficiunt eiusdem nullitatem inducant. Ita *Gregorius IX in cap. 7 de condit: « Si conditiones contra substantiam coniugii inferantur, puta si alter dicat alteri: contralto tecum si generationem prolis evites, vel donec inveniam aliam honore vel facultatibus ditiorem, aut si pro quaestu adulteranda te tradas, matrimonialis contractus, quantumcumque sit favorabilis, caret effectu, licet aliae conditiones appositae in matrimonio, si turpes aut impossibiles fuerint, debeant propter eius favorem pro non adiectis haberi* ». Substantiam autem potissimum afficere, quidquid vinculi perpetuitatem

imminuit. ***Schmalzgrueber, lib.*** *4,* ***part.*** *2,* ***tit.*** **5,** ***n.*** *6* ***et seq. Gury comperici, theol, moral, cum annoi. Antonii Ballerini, tract, de matrim., n.*** *752* et peculiariter de casu nuptiarum quae coram haeretico magistratu celebrantur ***Reiffenst., I. 4, tit.*** *5, § 2,* ***n.*** *48.*[1]

Quo vero ad conditionis existentiam, hoc tenendum esse, quod si nulla praesumptio conditionis probationi faveat, ut illa attendi possit, debet in ipso actu proponi: si autem praesumptio opituletur, non debet. ***Coscius de separat, thori, lib. /, c.*** j, ***n.*** *14* ***et seq.***[2] Casum reapse esse de conditione cuius

[1] Auctores aliati haec tradunt. Primus Schmalzgrueber loco citato ait: *Contra substantiam matrimonii pugnare censetur conditio, quando pugnat contra triplex bonum matrimonii, videlicet contra bonum prolis, bonum fidei et bonum Sacramenti... Tertium bonum poscit individuam societatem vitae, quam omnimodam consequutum est matrimonium consummatum inter fideles, ex elevatione eiusdem ad Sacramentum. Cum hoc Sacramenti bono repugnant conditiones de vitae societate restricta ad certum tempus ... Talis est conditio resolutoria: cum enim matrimonium inducat vinculum ex sua natura indissolubile, sequitur eidem repugnare conditionem, quae illud semel legitime contractum dissolvat.* - Et Gury, loc. cit. : *Quaeritur quinto an sit validum matrimonium initum sub conditione turpi. Resp Negative si conditio haec repugnet substantiae matrimonii triplici nempe eiusmodi bono: idest:*

1) *bono Sacramenti ;*
2) *bono fidei;*
3) *bono prolis.*

Quod fieret si sponsi contrahendo matrimonium, generationem prolis, fidelitatem in coniugio, aut perpetuitatem in matrimonio excludant - Eadem confirmat Reiffenst: *Infertur pro prax', matrimonia sequenti modo contracta esse nulla ... contraho tecum ad certos annos, ut hac vel illa circumstantia eveniente aut non eveniente possim iterum discedere aut alteri nubere prout in multis locis faciunt haeretici, utpote qui cum hac expressa, eisque praelecta conditione contrahunt, ut una pars discedere, et alteri pro lubitu nubere queat, si compars adulterium committit, vel a secta haeretica ad fidem catholicam se vertit.*

[2] Loco quo supra Coscitis ait: *Hoc unum addere iuvat : quod in cap. 16 cum auctoritate S. Rotae probatur, quod etsi haec conditio in actu coniugii non manifestatur, probare sufficit quod coniugium praecesserit, nec ante illud fuerit retractata. At eadem Rota inter decisiones impressas penes Ursayam aliter sensisse videtur: nam ibi firmat, quod si contrahentes ante matrimonium manifestaverint se velle contrahere sub hac vel illa conditione, neque deinde coram parocho et testibus, in actu contrahendi matrimonium eamdem conditionem expresserint, matrimo-*

veritati praesumptiones faverent, etsi evidenter non probaretur. Anglico more Comitem et Luciam contraxisse coram anglico magistratu: matrimonium inter anglos haereticos esse pallium conturbenii, quo propter satietatem excusso, libertas recuperatur. Et quoniam iure gentium locus regit actum, contrahentes oppido existimare debuisse, se lege ipsa dissolubile matrimonium contraxisse.

Gravissimam in facto praesumptionem deduci ex mulieris ingenio ac moribus, quos optime noverat Ferdinandus. Tandem presumptiones veritati cedere debere, siquidem Ferdinandus in primo iudiciali examine professus fuerit: «Ego volebam ut « mihi liberum esset eam derelinquere si male se gereret. Si « ex lege anglica facultas nulla fuisset ad divortium, diutius « expectassem, antequam obligationem contraherem. Haec « mea mens fuit cum consensum praestiti ». Ac in altero examine rogatus « cum consensum dedisti, libertatem matri- « monium solvendi revera tibi in animo reservasti ? > respondisse « ita est ». Nec secus in tertio examine deposuisse « ego « me liberum habebam, si Lucia se male gereret ».

Nihil facere, quod iuvenis huiusmodi declarationes revocasse visus sit in litera ad Episcopum missa, cum de matrimonio sententiam ipse erat laturus. Patere enim quid de illa epistola esset sentiendum, cum centies antea et postea declaraverit: « Ego libertatis recuperandae conditionem necessariam « censebam, ob praecedentes mulieris cui nubebam, mores ».

Hanc Ferdinandi mentem Luciae notam fuisse ex actis deprehendi : quamvis utrum illa id noverit nec ne, nihil refe-

nium pro puro haberi debeat. In hac decisionum varietate censeo; quod haec posterior opinio procedat quando concurrunt circumstantiae, veram absolutam perfectamque conditionem excludentes, et limitationem recipiat in casu, quo conditio talis sit, ut attentis circumstantiis et concludentibus probationibus, de illa matrimonium praecedente dubitari non possit, quibus concurrentibus, non conven at aut honestati viri, aut pudori mulieris, nec loci sanctitati coram quoque numeroso populo, qui non semel celebrationi matrimonii interesse solet, praedictam publice in eodem actu pandere conditionem, sed tunc eam praecessisse probare sufficiat.

rat, cum individua sit matrimonii causa : et ex unius contrahentis parte posita conditio, satis sit ad matrimonii nullitatem. Id testari *Cosci de sep. thori, lib. i, cap.* *16,* ***n.*** *272* ***seqq. et Sánchez, de matr., I. i, disp.*** *13.*[1]

Ad vitium formae gradum faciens Ferdinandi patronus, causam invocabat huic undique similem in qua S. C. C. matrimonii nullitatem agnovit :[2] **deinde breviter praemonebat, matrimonia aliter quam proprio parocho praesente celebrata, iuxta Tridentinum Concilium irrita esse. Fallere quidem, legem, uti decretum *Tametsi* promulgatum non fuerit (veluti de Anglia certissime constat) dummodo tamen partes in loco domicilium, vel quasi domicilium contraxerint.**

Iamvero exploratissimum esse ex toto actorum processu, ineunte mense augusti iuvenes non alia de causa Londinum petiisse, quam ut coram magistratu contraherent. Luciam namque deposuisse coram iudice : « Una cum eo Londinum « reliqui ac *B.* perveni, rata post **aliquos dies nos Londinum « esse reversuros : sed Comes e civitate *A.* per telegraphicum « nuncium mihi significavit, eius matrem eum revocasse ut « nos separaret. Postridie literam ad me scripsit. Biduo aut**

[1] Conditionem contrariam fini matrimonii positam ex parte unius tantum ex contrahentibus matrimonium vitiare apertius liquet ex auctore Coscio qui opere citato ait: *Quinimmo hanc conditionem (non cohabitandi) ... utpote oppositam uni ex principalibus finibus matrimonii, matrimonii nullitatem inducere docet D. Thomas. Atque adeo hoc etiam procedit in casu quo aliter ex contrahentibus nesciat alterum sub praedicta conditione matrimonium contrahere. Cum enim intentio sub ea conditione contrahentis sit intentio non contrahendi matrimonium verum sed fictum, nullum proinde reddit eiusdem matrimonii valorem, altero quoque contrahente ignorante, verumque consensum absolute exhibente ut firmat Sánchez, Castropal, Piton, etc, Nullum est ergo matrimonium, sive conditio ponatur ex parte unius sive ex parte utriusque contrahentis ; quoties enim unus vel ambo protestati sunt non aliter contrahere quam sub conditione contraria fini matrimonii, irritum idem evadit, dummodo hanc conditionem praecessisse probetur, nam consensus deinde praestitus coram parocho et testibus, censetur praestitus eodem animo et intentione, etiamsi haec non fuerit iterum in actu coniugali manifestata, modo tamen retractatam fuisse non constet.*

[2] Causae huius habes synopsim in *Vol. VITI, pag. 545.*

« triduo post ad me venit dicens: se proposuisse me uxorem « ducere, atque ideo se debere Londinum redire ut necessaria « omnia disponeret: quo, cum omnia in promptu essent futura, « ego eum fuissem assequuta ».

Et Ferdinandum : « cum Londinum profectus sum die « 31 iulii, eo reversus sum unice ad hoc, ut matrimonium con- « traherem ». Ac rursus in novissimo examine : « ego reditum « feci, ut ibi (Londini) uxorem ducerem». Et revera quatuor aut quinque post adventum diebus, iuvenes magistratum adiisse, ac deinde vix quinque vel sex diebus elapsis, *B.* reverti pro- pe rasse.

At nuptias in his adiunctis initas, evidenti nullitate labo- rare: cum desit quasi domicilii conditio quae matrimonium praecedere debet. Id constituisse Benedictum XIV in notissima constitutione *Paucis ab hinc hebdomadis* data ad Archiepisco- pum Goanum die 19 martii 1758 qua Urbani VIII definitio- nem iterum sancivit, qui ad propositum dubium :

Hertio « quid si idem incolae tam masculi quam foeminae « transferant habitationem illo solo animo ut absque parocho « et testibus contrahant* > *.

Responsum S. Congregationis probaverat :

Alisi domicilium vere transferatur, matrimonium non esse validum.

In eo igitur totam quaestionem versari debere ut investi- getur utrum Comes et Lucia Londini quasi domicilium adepti fuissent, antequam coram civili magistratu contraherent. Cum autem domicilium vel quasi domicilium animo et corpore acqui- ratis, sive diuturna habitatione et proposito manendi ad maio- rem anni partem; ante omnia esse inquirendum, utrum pro validitate vel nullitate praesumendum sit, sive utrum pro nul- litate dimicant!, onus incumbat probandi conditiones animi et incolatus defuisse. Atqui vulgarem iurisprudentiam docere, in clandestinis nuptiis pro nullitate praesumi. *Monacell. formul, leg. praef., tom. i, part.* *2,* ***tit.*** *16* ***form., n.*** *28.* ***Tamburin, in expl. decal., lib.*** *8,* ***de matrim., cap.*** *2, § 3* ***n.*** *13.*

Nec valere obiectionem, quod nullitas matrimonii clandestini Tridentino iure invecta sit, et quod huiusmodi ius in Anglia non vigeat. Hanc enim obiectionem supponere odium pro clandestinis nuptiis in Tridentina Synodo initium habuisse, cum e contra constet iure decretalium (quo Angliae matrimonia regi debent) quamvis irrita matrimonia non essent, fuisse certe Ecclesiae **interdicto ac poenis obnoxia. Quamobrem veteri disciplina, in clandestinis nuptiis pro nullitate praesumi** ***Schmazgrueber tom. 4, art. i, tit. 3, de cland. desp., n.*** *89* ***seq.***

Verumtamen hoc capite seposito, ostendi posse nec animum nec incolatum pro validitate confici valere in casu. Etenim, quod animum refert, quasi domicilium non contrahi, nisi probetur incolam morari voluisse saltem ad maiorem anni partem ***Engel, de cland., desp. n. 2 — Barbosa annoi, in Conc. Trid., sess. 24, de R. c. i, n.*** *6* ***-- Antoine, Theol, moral., de matr., § 432, not. i.***

At hunc animum nec habuisse Ferdinandum in perbrevi Angliae incolatu, nec habere potuisse. Die 24 maii, vel (quod verius videtur) die prima iunii, hoc illius hospitium incepisse : discessum vero contigisse die 29 eiusdem mensis iunii: ideoque eius moram vel octo supra viginti, vel ad summum sex ultra triginta dies non excedere. Ex integro vero processu, sive Comitis sive eius Matris vel Sororis vel Leviri responsa perpendantur, apertissime erui ipsum nonnisi coactum ad nutum matris *B.* discessisse, ac Londinum petiisse. Iamvero de eo qui invitus alio tendit, nihil aliud praesumi posse quam studium redeundi. Quamobrem in iure, qui ad custodiam vel ad correctionem alio mittuntur, quasi domicilium in loco non adquirunt cum ipsi, teste *Bened. XIV* (in instit. eccles. 33, n. ***12) nihil magis expectant, quam ut solutis vinculis paternas aedes revisant.*** **Hanc iuris interpretationem confirmare** ***Monacell. Form. pract. suppl, ad vol. i, tit.*** *8,* ***n. i/o; Ursaya, discept, eccles., lo. 2, par. i, disc, io, n.*** *36;* ***Ferraris biblioth. voc. imped. matr., art. 2, num. ço ; Gir aldi, expos, iu. pont.,***

io. 2, sect. zz$, num. 7 ; Cosci de sep. thori, lib. i, cap. 14, num. 42.

Huic causae consentaneum fuisse, quod Ferdinandus nesciret quamdiu Londini consistere deberet, et fassus sit in examinibus « ego nihil certi constitueram ... ignorabam quamdiu « Londini mansissem ». Eidem causae consentaneum fuisse, quod moram in ea civitate perferre non posset, et alibi emolumentum ex aliquo officio quaereret, ceu patet ex uteris ab eo scriptis ad matrem, et ad amicum qui Parisiis morabatur.

Praeterea, officii causa Comitem animum habere nequivisse manendi vel diu vel breviter in Anglia, quia Legationis officio *B.* erat addictus, ac dimissionem temporaneam obtinuerat ut se iuris specimini pararet, quod reapse subiit anno 1872, mensibus martii et augusti.

Nihil facere quod in argentarla mensa officium suscepisset Ferdinandus. Quidquid enim in inquisitionibus quandoque ipse dixerit, haerens inter mulieris illecebras ac veritatem ; apertissime loqui literas ad matrem missas dum Londini morabatur, quibus unicum ad eam redeundi desiderium expressit.

Tandem prae oculis esse habendum, duo in iure fundamenta ad quasi domicilium acquirendum necessaria, in casu omnino deficere. Primum esse, quod animus manendi ad maiorem anni partem non sufficit, nisi prioris domicilii deserendi propositum accedat: ***Barbosa vota decisiva lib. 2 vol. 10 art. i n. 8 ; Ursaya disc, eccles, tom. 2 part. i disc, io n. n ; Rota n Neapolitana matrimonii 22 iunii 1703 § 6 cor. Priolo.*** **Ut enim quis dicatur parochianus alicuius ecclesiae non sufficere simplicem et corporalem habitationem, et, ut in iure dicitur asininam, sed requiri animum deserendi primum domicilium et permanendi in secundo, cum quo statim de iure adquiritur; nisi aliter per aliquam municipalem legem statutum habeatur, ut in praesenti, et sine quo, neque per mille annos acquisivisse censetur.**

Sed alterum ad quasi domicilium contrahendum gravissimum requiri, quod scilicet uterque coniux diu etiam post

nuptias in loco moratus fuerit, atque inde inopinata causa revocante discesserit. Nam repentinam post matrimonium profectionem evidenter docere, vel coniuges nihil aliud quam in fraudem contrahere voluisse, vel ab initio manendi animum non habuisse. Ita ***Benedictum XIV iu Noti f.*** *13* ***tom.*** *2* ***n.*** *8* ***ei g*** **nec non in citata constitutione** ***Paucis abhinc*** **etc. «** ***Dubitari autem posset num ad quasi domicilium adquirendum matrimonii causa, uti diximus, non solum requiratur praecedens habitatio, verum etiam subsequens ad aliquod temporis spatium. Verum cum observaverimus subsequentem habitatio?ie?n ab iis auctoribus qui hanc tractarunt materiam, tamquam magni momenti adminiculum reputari ut novum domicilium quaesitum dicatur, nihil vero de illa praescriptum fuisse a Concilii Congregatione in adducta paullo ante definitione penes Fagnanum, nolumus hac de re quidquam novi decernere ».***

Ex documentis constare, coniuges quinque vel sex diebus elapsis a matrimonio, B. rediisse: atque hoc factum sufficere ad primi deserendi domicilii animum, et diuturnam subsequentem nuptias habitationem excludendam.

Hactenus de animo. Verum alteram quasi domicilii conditionem esse habitationem, in qua, sepositis praesumptionibus, materialis certitudo sequenda est; quia iuxta ***Sánchez lib.*** *3* ***disp.*** *23* ***n.*** *2* ***« Domicilium habitationis non adquiritur solo animo habitandi, sed animo et facto, nempe habitatione ipsa-*** **Et data opera, ad salebrosas animi investigationes praecide n" das, summum Pontificem Benedictum XIV, in iis qui locum adeunt Tridentinae legi haud obnoxium, terminum constituisse, quo deficiente quasi domicilium admitti nequit. Hunc vero terminum saltem ad mensem esse producendum tradere in eadem constitutione** ***Paucis abhinc*** **in qua legitur :** ***Post haec necessarium fore censemus nonnihil adiungere, ut in propatulo sit quidnam requiratur ad quasi domicilium adipiscendum. Verum hac in re non alio pacto responderi potest, nisi quod, antequam matrimonium contrahatur, spatio saltem unius mensis, ille qui contrahit habitavei'it in loco ubi matrimonium celebratur.***

In hoc igitur esse praecipuum controversiae nucleum, quod triginta dierum terminus omnino defuit in Luciae et Comitis incolatu. Sane vel die 24 maii, vel die prima iunii habitationem cepisse, et primum ex Anglia discessum locum habuisse die 29 eiusdem mensis iunii. Post mensem B. exactum, eo redasse. Quaerendum itaque esse in iure- « an habitatio ad « quasi domicilium debeat esse continua et numquam inter- « cepta, vel potius, sufficiat illam quomodocumque, neglectis « absentiae intervallis computari ». Iure romano continuitatem fuisse necessariam cum certus dierum numerus constitueretur ; certum esse ex ***Ulpiano in fr. i § g de agnosc. lib. Dies autem triginta continuos accipere debemus ex die divortii non utilis. Et Iustinian. in §*** *16* ***instit. de excus. Qui autem excusare se volunt, non appellant, sed intra dies quinquaginta continuos, ex quo cognoverunt, excusare se debent.*** **Hanc theoriam sequutam fuisse** ***S. Rotam*** **in** ***dec.*** *6ç$* ***n.*** **5** ***part.*** *18* ***tom. 2*** **et in** ***decis.*** **05** ***n. 4, part. ly Rec.*** **Eamdem in sententiam ivisse** ***Card. De Luca de matrim, disc, i n. n ;*** [1] ***et Menoch. de arbitrar, cas.*** *86* ***n.*** *13* **qui ait:** ***assidua ergo habitatio arguit domicilium esse contractum atque ita sentiunt omnes.***

Tandem vinculi matrimonialis adsertori respondens, animi ad maiorem anni partem habitandi necessitatem, una cum facto

[1] **Menochii et Cardinalis de Luca verba nobis digna visa sunt quae in praesenti causa lectorum nostrorum oculis integra subiicerentur. Habet citato loco Menochius:** *Assidua ergo habitatio arguit domicilium esse contractum, nam scimus, simplicem conversationem habitationemque, sine illa assiduitate, non facere aliquem incolam: L libertus, § solo ff. ad Municipal, quamquam Alcialus male sentiat solam habitationem domicilium constituere. Assidua ergo habitatio arguit contractum esse domicilium: atque ita sentiunt omnes.* **Et Cardinalis De Luca:** *Est opinio probabilior quae tribuitur Friderico de Senis cons. 254 quam sequitur S. C. Concilii, ut ad hunc effectum matrimonii sufficiat sola habitatio, absque necessitate explicitae vel implicitae declarationis animi, vel temporis notabilis, seu aliorum requisitorum quae de iure desiderantur ad contrahendum formale domicilium quoad alios effectus, dummodo sit habitatio constans ac formalis in ea parochia privative ad praecedentem habitationem in priori; secus autem si sit gratia recreationis vel ex alia causa accidentali, priori habitatione non derelicta, atque cum brevi reversione ad eam ex deductis per Fagnan*

habitationis continuae saltem unius mensis ante matrimonium evincebat, ex voto Emi Tarquinii, qui dilucide ostendit: per spatium saltem unius mensis in constitutione ***paucis*** designatum, nihil aliud praebere voluisse Pontificem sapientissimum, quam probationem quamdam praesumptivam in rebus dubiis, de vera sinceraque voluntate permanendi ad maiorem anni partem, quoties de animo non constaret.[1] Nec Comitem peregrinum dici posse, neque vagam Luciam contendebat. Duo enim requiri ut quis vagus sit: quod domicilium deseruerit, et quod aliud requirat, teste ***Schmalzgrueber*** qui ***lib. 4 par.*** *2* ***tit.*** *3,* ***n.*** *16&-* definitionem tradit : ***vagorum sive eorum qui verum aut quasi domicilium nuspiam habent, sed hinc inde vagantur, vel domicilio quod habuerunt deserto, aliud quaerunt; aut ad certum locum animo ibi domicilium constituendi proficiscuntur.*** Idipsum tenere ***Sánchez de matr. lib.*** *3* ***disp.*** *23* ***n.*** *i;* ***Zallinger instit. iur. eccl. lib.*** *i* ***tit.*** *2* § *14c;* ***Reiffenst. lib. 4 tit.*** *3* ***n.*** *86* ***; Rosignol. de matr. par,*** *i* ***praenot.*** *22* ***n.*** *i* ***seqq.***

Contrarium prorsus ex factis constare, cum enim Lucia nuptias* in Anglia contraxit, septemdecim iam mensibus in civitate B. morabatur. Atqui absonum esse diuturnam et certi loci habitatricem, vagam nuncupare. Hoc argumentum funditus absoivisse S. Congregationem in causa ***Lauretana*** *13* ***iulii*** *1723* iuxta synopsim quam in folio composuit ipse Benedictus XIV, dum Secretarii munere fungeretur. Et recentius in causa ***Comen, seu Mediolanen.*** *3* ***decembris*** *1863.* Verum posito etiam quod vaga censenda esset Lucia, si de nuptiis agatur initis haereticorum forma, etiam vagum communi disciplinae subiici, ex qua matrimonium in fraudem initum non valet, nisi quasi domicilium praecesserit. ***Reinfest. lib. 4 tit.*** *3* ***num.*** *88* ***seqq.***

Unum superesse explorandum ; nempe an Comes dici posset peregrinus. Peregrinos esse qui iter faciunt et in itinere

[1] **Habes hoc in eodem fasciculo,** *-pag. 567, Appendice II,* **in qua ex professo agitur de hoc voto Emi Cardinalis Tarquinii, quo innixus fuerat Ferdinandi patronus.**

hic illic morantur, quod certe Ferdinando non convenit. Et etiamsi peregrinus esset, matrimonium contrahere eum debuisse non in loco in quo forte versatur, sed in quo retinet domicilium ***Perrone de matr. christ, lib.*** *2* ***sect. i cap. 6 art. 4.***

QUAE MATRIMONII VINDEX EX OFFICIO OPFONEBAT. Nuptiarum validitatem adserturus, ex facto ad consensus existentiam arguebat, ex confessionibus ac **uteris** deducens iamdiu Ferdinandum animo concepisse Luciae nubere, idque matri haud obscure innuisse, scribens vehementer angl ex una cogitatione derelinquendi mulierem « ***quae iam biennio uti propria habita est*** ». Propositum nuptias in Britannia contrahendi tum constituisse, cum B. revocatus, deprehendit a matre praepediri ne Londinum reverteret secum ducens mulierem. In huiusmodi autem cogitationem venisse ea tantum de causa, ne submitti cogeretur ; atque ut citius res expediri posset, eo modo qui unicus possibilis sibi visus est.

Et ignorasset etiam sacramenti naturam induere matrimonium ibidem celebratum, hunc tamen errore haud effecisse, quod ipsius coniugium a sacramento seiungeretur: cum iuxta communem DD. sententiam, error in iure circa canonicum impedimentum non inficiat sacramentum quia consensum non minuit. ***Couvarruv. tit. de spons. p.*** *2* ***c. j n.*** *2,* ***et Sánchez de matr. I.*** *2* ***disp.*** *32* ***n.*** *2.*

Hac in erronea sed innocua opinione, matura cum deliberatione matrimonium celebrasse Ferdinandum; certo sibi proponentem consequentias patienter subiturum, cum eadem ipsa die nuptiarum ad avunculum scripserit « uxorem duxi (Luciam) « iuxta Angliae leges. Omnes huius actus consequentias apprime « novi, vitam privationis et sacrificii quae sequetur, excipiam ». Quia vero quam in mulierem duxerat apprime noverat, eum vehementer exoptasse e patria discedere, ne matrimonium in vulgus notum esset.

Haec confirmari a iudiciali Comitis examine. Cum enim percunctatus eum fuisset iudex « quam protulisti formulam « coram magistratu civili, verum nec ne consensum expri-

« mebat? » respondit « utique omnino » .Urgebat iudex « con- « sensum serio ac candide dedisti non solum verbo sed reapse « etiam animo? » et responsum dedit « utique » ; rursus eum interrogabat « huius consensus significatio erat nec ne ligandi « conieges quousque viverent? » et affirmavit « suapte natura « significatio consensus erat toto vitae tempore ligandi ». His aliisque similibus Comitis responsionibus, qualis eius animus fuerit cum matrimonium contraxit, apertum haberi.

Ex iuramenti religione quae connubii vinculo accessit, quid revera Ferdinandus agere voluerit accipis: quia iuramento iuxta ***Sánchez de matr. lib. i disp.*** *2* ***num.*** *20* ***ea inest virtus, ut faciat valere actus alias inválidos, eo modo quo valere possunt.*** Etenim Comitem in iudicio nullitatis apud civile Tribunal B. esse protestatum « coram Deo et hominibus ego subscriptus << declaro, nunquam me admisisse, Tribunali potestatem com- « petere solvendi iusiurandum quod edidi, vel datam promis- « sionem ». Iisdem propemodum verbis ad Ordinarium decla- rationem misisse, cum fortasse persensit eum ad nullitatis sen- tentiam proferendam inclinare.

Argumentum ex doctrina a Sánchez tradita ***de matr.*** *12* ***disc, io n. 6,*** quod nimirum contrahentes, cum rationem con- tractus a Sacramenti ratione seiungere cupiunt nullum red- dunt utrumque, nihili esse faciendum; quia tunc id accidit, quando contrahentes veram intentionem habent separandi, quantum in ipsis est, rationem Sacramenti a matrimonio. Fer- dinandum veram hanc intentionem haud habuisse, ostendi in primis ex allatis contrariae voluntatis iureiurando firmatae argumentis: secundo constare quod tam longe ab eo erat intentio huiusmodi, ut potius e contra vehementer sacerdota- lem consequi benedictionem exoptaret. Siquidem in litera ad avunculum scribebat «Serius forsan in longinqua aliqua regione, « nobis datum erit a Catholico Presbytero coniugii nostri bene « dictionem consequi ».

Ceterum quaestionem a Sánchez propositam intimius per- pendere ***Schmalzgrueber de spons. et matr. lib.*** *4* ***part. i n.*** *304,*

qui utcumque iudicet veriorem sententiam illorum qui negant posse fideles baptizatos matrimonium contrahere, quod verum sit ac validum ratione contractus, et rationem sacramenti non habeat; in specie tamen huic omnino persimili, duplicem in contrahentibus intentionem arguit : primam nimirum legitimam ac generalem, contrahendi matrimonium modo quo possunt fideles baptizati; alteram erroneam et conditionatam, contrahendi nimirum ratione solius contractus absque sacramento, si ab eo seiungi possit matrimonium. Praevalente autem prima, tamquam potentiore ac moderante contractum, secundam nihil operari: quia prima ac principalis intentionem non destruit.

Iamvero Ferdinandum, christianum et catholicum virum, matrimonium in Anglia celebrare constituisse, non ea ductum ratione quod simulacrum pro lubitu confringendum faceret, sed ne submissiones subiret ac citius rem expediret. Brevi. Quum obsistente matris voluntate religiosas nuptias in patria celebrare nequiret, satis esse duxisse validum coram civili magistratu Londini connubium inire; et hanc esse primam intentionem quam citatus auctor generalem ac legitimam appellat. Erroneam opinionem in eo esse, quod posset in Anglia coniugio devinci ratione contractus, non ratione sacramenti: ideoque cum posset sacramentaliter nubere, deliberasse nubere civiliter, eo nimirum modo quem ***unice possibilem censebat.*** Ergo cum erronea eiusdem opinio circa Sacramenti valorem subordinata omnino esset voluntati contrahendi quoquo modo matrimonium, cumque ex parte Ecclesiae haud dirimens impedimentum obsisteret, praevalente prima ac generali intentione celebrandi connubii, secundam intentionem erroneam, si quae fuit, nihil operari potuisse.

Ad secundum procedens consensus defectum, desumptum ex conditione dissolubilitatis quam habuisse Ferdinandum asseritur, respondebat primo, negando suppositum ; quia Ferdinandus intentionem istam neque antea, neque in actu matrimonii verbis expressit, neque etiam voluntate firmavit. Ex actis sat aperte constare, ipsum huiusmodi intentionem nec

Luciae nec matri unquam patefecisse; in actu matrimonii vero, novisse utique anglica lege divortium admitti, sed contra intentionem certissimam sese toto vitae tempore obligandi. Ast deficiente determinata intentione, quae vel moderari vel destruere potuisset vinculum per totam vitam duraturum, simplicem cognitionem facultatis divertendi haud satis fuisse ad primaevam illam intentionem elidendam.

In matrimonii contractu, non illud inficere conditionem quamlibet, quoquo modo conceptam, etiam matrimonii substantiae contrariam ; sed eam tantummodo in qua actus voluntatis innititur, ^si nimirum non aliter contractus fieret, quam sub eadem praeconcepta conditione. ***Pontius de matr. lib. i cap.*** *20* ***n. u.***

Rei statum non immutare declarationes Comitis tum expressas, cum non amplius communem vitam cum Lucia duceret ; quod scilicet nunquam matrimonium iniisset, si illud rescindere haudquaquam potuisset. Etenim semper redire, quod ob unam dumtaxat causam matrimonium Londini celebravit, ne scilicet submitti cogeretur; (secus contraxisset etiam sub oculis matris) quod Luciam sibi uxorem copulavit quousque viveret, quod sacerdotalem benedictionem exoptavit, quod tandem vitae incommodis et angustiis sponte obviam ivit, quas sibi imminere praenovit.

Ad ***formae*** vitium gradum faciens, illud prae oculis habendum esse monebat, quod nempe Ferdinandus post quasi domicilium in Anglia contractum, precario exinde discesserat, eo tamen animo ut reverteretur, non inde migraturus nisi tantummodo peregrinandi procul a patria, atque ibi lares fixurus, ubi necessariam substentationem tum sibi tum coniugi comparare posset.

In iure invocabat et ipse Urbani VIII decretum, et constitutionem ***paucis abhinc,*** quam et eius contradictor invocavit. In facto nullam contendebat dubitationem exsurgere posse de quasi domicilio a Comite Londini contracto, ratione temporis, officii et animi.

Intercepto diplomatico tyrocinio, Ferdinandum Londinum migrasse, ibique mansisse a die **24** maii ad diem **29** iunii, scilicet ultra mensem ; qui ad tempus conficiendum sufficit.

Praeter temporis efHuxum, animum habuisse Comitem Londini permanendi ad hoc ut nummularii exercitii peritiam acquireret, usquedum ex alia opportunitate, aliud consequeretur officium, quo ad vitam independenter a matre sustentandam fieret idoneus, Hoc prae omnibus ei in votis fuisse. Iudici enim delegato eumdem roganti « si illo temporis spatio quo « acquiescebas a munere (addicti legatorum curriculo) inve- « nire potuisses alium vitae statum aut munus vel officium, **«c** quo procurare tibi potuisses vitae necessaria, nonne libenter id fuisses amplexus? » respondisse Comitem « utique; << officium excepissem quo vitae necessitatibus occurrere po- « tuissem, quia id unum exoptabam, ut a subiectione libe- << rarer ». Idipsum ex aliis documentis erui, nec non ex Luciae examine.

Cum autem B. per electricum nuntium revocatus fuisset a matre Ferdinandus, et deprehendisset haud amplius se debere Londinum remeare ; hoc tamen haud obstante, in consilio redeundi eum perstitisse, ex eiusdem et Luciae examinibus procul ulla dubii umbra constare. Hanc ergo mentem, hunc animum Corniti fuisse: retinendi domicilium Londini contractum, usque ad nuptiarum celebrationem.

Utcumque vero haud quidem deliberasset perpetuam ibidem mansionem constituere, quin tamen B. remeare cogitaret, peregrinari potius ad exteras regiones exoptasse, ubi propriae, ac coniugis substentationi posset consulere. Id avúnculo scripsisse Comitem, eadem nuptiarum die.

Ex his duo argumenta gravissima erumpere, contra exceptionem defectus domicilii. Si enim iamdudum praestituerat lucrosum aliquod officium ubique gentium comparare, et alioquin, ceu avúnculo scripsit, impossibile moraliter reputabat ad patriam remeare, et de facto Londinensem domum nunquam dimisit, consequitur : aut ipsum non obstante precaria

unius mensis interruptione domicilium semper retinuisse ad sensum ***Leg. y, Cod. lib. io de incolis;*** aut peregrinantem vitam inire constituisse /. ***eius § Celsus ff. ad municipal.*** In primo casu matrimonii validitatem inficiari neminem posse : in secundo, non minus validum fuisse matrimonium Londini perdurante peregrinandi animo contractum ***Pontius de matr. lib.*** *3* ***cap. g num.*** *2.*

Aliud sed superesse argumentum haud minus grave ex parte mulieris. Eam namque nullam habuisse permanentem civitatem certum esse, ideoque uti vagam habendam. Cum autem ipsa velut umbra Ferdinandum sequeretur, nihil obstare quod vel peregrinaretur ubique locorum, vel Londini domicilium haberet, unde non nisi ad die sbrevissimos abscedere cogitabat, prouti ex eius examine constat. Vel igitur uti vaga habenda esset Lucia, vel uti in Anglia domicilium retinens; utroque in casu valide matrimonium contraxisse Ferdinandum quae eidem nupsit. ***Reiff, lib. 4 tit.*** *3 % 3* ***num. 121.*** Hisce praeiactis, Eminentissimis Patribus S. C. C. propositum fuit dirimendum

Dubium.

An constet de nullitate matrimonii in casu.

Et in plenis comitiis diei **4** maii **1878** Emi Patres responsum ediderunt: ***Affirmative.***

Causae prosequutio.

DEFENSORIS MATRIMONII EX OFFICIO NOVA ARGUMENTA.[1] Distinctionem inter domicilium et quasi domicilium sumens ex ***Schmalzgrueber iure eccl., part. i, tit.*** *2, § 2,* ***n. 8*** qui ait: ***utrumque hoc {domicilium) rursum duplex est ; unum quod***

[1] Ordine inverso damus primo loco synopsim novae allegationis defensoris matrimoniorum ex *officio* quia revera praecessisset postremam Ferdinandi patroni responsionem. Secus responsionibus obiectiones praeivissent contra naturalem rerum ordinem.

quasi domicilium dicitur, ac diuturnam in loco commorationem non tamen stabilem ac perpetuam petit, alterum quod simpliciter domicilium appellatur, ac stabili dumtaxat, et perpetua habitatione contrahitur ; quasi domicilium necessitatem ad matrimonium valide contrahendum constituebat. Dein quasi domicilii notas essentiales describebat ex eodem auctore qui ***loc. cit., n.*** *16* haec addit: ***Quasi domicilium sortitur aliquis in loco illo in quo animo non perpetuo, sed per annum vel saltem notabilem maiorem anni partem commorandi degit.***

Habuisse concedebat, Ferdinandum domicilium ***B,*** et insuper pluribus in locis pro temporum ac officiorum varietate quasi domicilium habuisse: Londini autem, dum conducta mercede, argentariae mercaturae operam navabat. Rebus sic stantibus, nihil prohibuisse quominus et matrimonium Londini celebraret. ***Innocentius in cap. omnibus utriusque sexus n.*** *6,* ***de poenit et remiss. Sánchez, de matr., lib.*** *3,* ***disp.*** *32,* ***n.*** *12.* Hurtadus de sacr. et cens., disp. **5*, de matr., dijf.* 3*, n.* *iç*** aliique et ***Rota Romana in Faventina nullitatis matrimonii*** *3* ***iunii*** *1771,* § ***coram Riminaldo.***

Constituisse Londini lares Ferdinandum, exinde domum ad mensem conduxisse, utut ibi iuxta morem civitatis pensiones de hebdomada in hebdomadam persolvi soleant. Ibi transtulisse supellectilem quae ad temporis spatium sat longum sufficeret, fere nihil ***B.*** relinquens. Facto habitationis accedere animum ibidem manendi maiorem anni partem, quia uno aut altero anno Comes nummulariae mensae operam erat praestiturus. Ergo neminem inficiari valere quasi domicilium a Ferdinando Londini contractum.

Neque dici posse domicilium abdicavisse, quia die **29** iunii ***B.*** profectus est, unde eléctrico nuntio fuerat vocatus : quia domicilium non amittitur ab eo qui ex temporanea ac precaria causa a loco abscedit in quo suam sedem constituit; exinde non discessurus si nihil avocet, ***unde cum profectus est peregrinari videtur, quo si rediit peregrinari iam desiit (I.*** *7* ***cod. de inc., tit.*** *10).* Nimirum contractum domicilium

conservare illum qui ab eiusdem loco recedit, cum animo et proposito redeundi ***Gratian, discept, for. cap. 4Q4, n, 16; Fagnanus in cap. significavit de parock., n.*** *31;* ***Rota in Nullius seu Senogallien. bonorum ij maii lac/,*** § *122* ***coram Muto.***

In facto dubitari non posse de animo redeundi ad habitationem Londini constitutam, in quo perstitit Ferdinandus dum in ***B.*** civitatem fuit arcessitus. Revera cum rednsset, et novisset matrem obsistere né in Angiiam rediret, hoc tamen haud obstante, in proposito mansisse redeundi.

Tandem nullius valoris esse obiectionem, quod scilicet non ex propria electione sese Londinum contulerit Comes, sed ex matris voluntate, quae ibi eumdem demigrare compulit, punitionis causa. Etenim ex hoc non deduci, uti vellet Comitis patronus, eum comparari posse illis qui ad correctionem seu custodiam detinentur in carcerem. Perperam itaque ex adverso invocari ***Coscii*** auctoritatem, qui tradit nullum esse matrimonium contractum coram parocho carceris, ab iis qui ibi accidentaliter detinentur ad correctionem seu ad custodiam. At Ferdinandus qui erat aetate maior, sui iuris, nullo crimine inquisitus, nulla mulctatus damnatione, nonnisi quam iniuria comparari facinorosis, cum esset plena libertate praeditus eligendi domicilii. Et admisso etiam quod maternae punitionis causa Londini moraretur, nihil unquam comunis eum habere cum domicilio reclusi in carceribus loco custodiae : nihil enim magis exoptasse quam se nulli subiectum reddere.

Quod Londinensem incolatum abhorreret, thesim haud immutare : manere enim semper eum alio migrare noluisse ***si nihil avocar et:*** quae conditio domiciliorum omnium propria est.

Demum nihil Comitem proficere ex Benedictina Constitutione ***paucis*** vel ex voto Emi Tarquini. Etenim Pontificem doctissimum ius comune confirmasse ad cuius normam redigitur constitutio, et mensis unius habitatione meram praesumptionem haberi, quatenus nihil de animo constet. Idipsum

confirmare Theologum ***Ballerini in commentariis ad Gury tract, de matr., num. 83g, adnot. 6 in fine. Neque enim Pontifex ibi statuere voluit aut moram unius mensis sufficere quoad eum qui animum non 'habeat acquirendi domicilium vel quasi domicilium, aut eum qui hunc animum habeat, prius non posse valide contrahere quam mensis dabatur ; aut denique mensis spatium sufficere ad domicilium vel quasi domicilium acquirendum: sed mere indicium tradere voluit, quo satis praesumi possit animum acquirendi saltem quasi domicilium contrahenti fuisse, atque ideo, nisi quid secus suadeat, pro validitate matrimonii iudicandum esse.***

FERDINANDI PATRONI RESPONSIO. Postremam matrimonii adsertoris obiectionem ante omnia suscipiens praemonebat: eum ipsum confitentem haberi ex Benedicti constitutione quasi domicilium deficere, si aliqua plus minusve notabilis absentia ex eodem loco, ceu in casu, cum animo redeundi intercesserit. Tarquinium mensem sine animo posthabuisse, Ballerinium animum sine mense admittere. At neutrum quidquam dicere de absentia quae in ipsa mora intercessit. Manere igitur, missa quaestione de animo, ad quasi domicilium constituendum, interpolatami moram non suffragari.

Ast animum Comitis matrimonii detensorem ex duobus demonstrare :

1) quod habuit in mensa nummularia officium;

2) quod domunculam inhabitandam in Anglia conduxit.

Verum ex ipsius locatoris notulis patere, habitationem conductam fuisse ad hebdomadam : et si ad longum tempus inhabitare iuvenes voluissent, consuetudinem de hebdomada non elegissent.

Quod respicit officium, ex actis pariter constare illud nec serio oblatum, nec serio acceptum fuisse. Comitem, dum Londini consisteret, amicos fuisse percontatum ut aliquod sibi ministerium ubicumque compararent. Nec casum esse obiiciendum de eo, qui post susceptum aliquo in loco domicilium alio migrare meditatur, sed interea temporis illius loci

Íncola censetur. Nam Ferdinandus usque ab initio Angliam petiit eo animo ut alio tenderet, et lucrosum sibi munus inveniret.

Nec admitti posse ipsum uno aut altero anno Londini manere cogitavisse : nam facta docere, Comitem semper matris nutum sequi debuisse numquam propriam voluntatem : in illo legatorum curriculo quem iamdiu iniverat, precariam absentiae veniam accepisse ut duo specimina ederet, alterum in iure gentium, alterum in iurisprudentia. Factum denique eloquentissimum haberi in eo, quod vix civili inita coniunctione ex Anglia discessit, nunquam amplius reversurus. Etenim praeter tradita in constitutione ***paucis*** de subsequenti habitatione ***Natal. Alex, in theol. dogm. et moral, lib.*** *2* ***de sacr. matr., cap.*** *2,* ***art.*** *2,* ***regul. 6*** docere. ***Ad adquirendum quasi domicilium, oportet ut contrahentes non solum habeant praecedentem habitationem, verum etiam subsequentem ad aliquod temporis spatium. Verum subsequens habitatio, ab omnibus auctoribus qui hanc tractarunt materiam, tamquam magni momenti adminiculum est reputata.***

Axioma, quod domicilium non amittatur ab eo qui ex temporanea ac precaria causa ab eo discedit cum animo redeundi, aptari non posse ad quasi domicilium. Textum enim ***in I. 7, Cod. de incolis*** et Rotae decisionem ex adverso allatam, loqui de domicilio, minime vero de quasi domicilio habitationis. Locum ubi Comes larem, rerumque ac fortunarum suarum summam constituit, non esse Angliam sed ***B.:*** neque probari Comitem ex Anglia ***B.*** redeuntem peregrinari voluisse, sed peregrinantem potius videri potuisse, cum ex domicilio ***B.*** Londinum proficisceretur.

Admitti nequire, ex Anglia discedentes revertendi animum habuisse. Duplicem animum esse posse in loci mutatione : alterum quasi domicilii contrahendi aut resumendi, alterum matrimonium ineundi. Discrimen, inter utrumque maximum hoc esse, quod animus quasi domicilii bona fide ducit ad matrimonii validitatem, alterum, mala fide, ad nullitatem: ***Benedi-***

cius XIV in instii. jj. Omnem ergo habitationis mutationem ad contrahendum matrimonium sine quasi domicilii animo et facto, veluti in fraudem susceptam, nullitatem parere: eo magis parere, cum fiat ad locum in quo Tridentina Synodus non viget. ***Benedictus XIV, de Synodo, lib.*** *13,* ***cap. 4, num. g,*** *10.*

In facto veritatem hanc esse. Iuvenes prima vice ***B.*** reversos in Angliam proficisci ut ibi ad longum tempus consisterent, numquam cogitasse : sed ut ***B.*** redierunt, novum illico ab eis consilium fuisse susceptum revertendi, non ad manendum, sed ad fraudulentas nuptias celebrandas, ut iis compositis discederent. Itaque nihil aliud haberi quam animum redeundi ad fraudandum, ideoque per primum ex Anglia discessum non modo factum habitationis defuisse, sed etiam talem habitandi animum, qualem lex requirit.

Totam igitur causam his finibus contineri. Mensem circiter iuvenes in Anglia absumpserunt absque animo ad longum tempus manendi. Etiamsi animum manendi habuissent, et quasi domicilium adipisci potuissent, factam deinde fuisse ad alium mensem mutationem et animi et habitationis. Habitationis, quia triginta diebus ***B.*** incoluerunt: animi, quia Landino egressi consilium inierunt redeundi, ad nuptias in fraudem celebrandas.

Post hanc novam disputationem propositum est de more resolvendum

Dubium.

An sit standum vel recedendum a decisis in casu.

Et Eminentissimi Patres in Congregatione die **20** iulii **1878** responsum dederunt:

Dilata ad primam post proximam.

Tandem reproposita causa sub die **14** septembris resolutio prodiit:

In decisis.

Ex IIS OMNIBUS COLLIGES:

I. In loco ubi Tridentinum Concilium adhuc promulgatum non fuit locum habere doctrinam traditam a sanctissimo Pontifice Pio IX in allocutione diei **27** septembris **1852,** nimirum *inter fideles matrimonium dari non posse, quin uno eodemque tempore sit sacramentum.*

II. Verum cum hac in lege praesumptio contineatur quae *ex facto* arguit *ad mentem* operantis, si factum praesumptionem removeat, locum habere non posse legem, quia actus agentis ultra illius intentionem operari nequit.

III. Matrimonium non haberi propter defectum consensus, si contrahentes contractum a sacramento separare voluerint, idest contrahere quin sacramentum susciperent.

IV. Id accedere, si contrahentes in animo non habuerunt facere quod Ecclesia requirit, et civiliter tantum, non religioso vinculo contrahere.

V. Iterum matrimonium esse nullitate infectum, si conditio stipulation! adiecta fuerit de matrimonio quandoque dissolvendo. At sedulo esse cavendum, conditionem contrariam substantiae matrimonii tantummodo admitti, in qua actus voluntatis innititur.

VI. Valere matrimonia contracta in loco ubi decretum *tametsi* promulgatum non fuerit, dummodo partes in eo loco domicilium vel quasi domicilium contraxerint.

VII. Accurate domicilium a quasi domicilio habitationis esse distinguendum. Illud haberi in loco ubi quis larem, rerumque ac fortunarum suarum summam constituit, ad hoc sufficere habitationem cum voluntate ibi manendi longo tempore vel maiore anni parte.

VIII. Iuxta Benedicti XIV constitutionem *paucis abhinc,* ad matrimonii validitatem requiri saltem unius mensis habitationem, quae matrimonium praecedat, atque praesumptionem quasi domicilii inducat, quatenus nihil de animo constet.

IX. Probabiliorem videri opinionem quae habet, ad quasi domicilium acquirendum, mensis *continui et non interrupti* habitationem requiri.

X. Gravissimum contra quasi domicilii existentiam adminiculum praebere factum repentini discessus e loco ubi matrimonium celebratum est.

XI. Vagos eos tantum haberi posse, qui verum aut quasi domicilium nuspiam habent; peregrinos eos qui iter faciunt, et in itinere hic illic morantur.

APPENDIX II.

Quoad doctrinam de domicilio et quasi domicilio pro matrimonii validitate.

Die 11 ianuarii, et 2 maii 1868 apud S. Concilii Congregationem perdifficilis atque involuta quaestio diu acriterque disceptata fuit, sub hac dubitandi formula: *an constet de validitate seu potius de nullitate matrimonii in casu.* Omne dubitandi pondus in hoc casu nascebatur ex supposita matrimonii clandestinitate.

Perinsignes Urbis Romae viri Theologus et Canonista adlecti sunt, ut sententiam proferrent in proposita quaestione. Doctissimus scripsit Theologus et hunc instituens casum Theologiae principiis, atque sanctioni legis Tridentinae, eruere sibi visus est, neque virum neque mulierem verum acquisivisse domicilium, tempore matrimonii in paroecia in qua idem matrimonium celebratum est. Quamobrem pro matrimonii nullitate sententiam Theologus protulit; eoquod etsi mulier heterodoxa esset, tamen Tridentina lege, celebrandi matrimonium coram Parocho proprio (qui talis fit per domicilium) obstringebatur. Quum enim Tridentina lex personalis atque localis sit, afficit singulos baptizatos, domicilium in loco quo viget possidentes. Super quaestione eadem, uti Canonista, disseruit doctissimus Camillus Tarquini e societate Iesu, dein S. Romanae Ecclesiae Cardinalis; stetitque pariter pro matrimonii nullitate ob domicilii vel quasi-domicilii defectum. Quoniam vero doctrina, quam in suo voto emisit, quoad domicilium et quasi domicilium, illustris Canonista plurimi existimatur in foro ecclesiastico; ideo eamdem in lucem edere bonum

esse censuimus, ne in canonicae iurisprudentiae discrimen ipsa obliviscemur. Idque peragimus per istam appendicem, capta occasione causae matrimonialis pag. 542 relatae, in qua acriter de quasi domicilio disceptatum fuit.

Verum ut clarius aptiusque illa deprehendatur, absonum haud erit aliquod de facti specie, satis implexa, praemittere.[1] Sit itaque.

Paulus e Principi Romanorum familia, agens vigesimum sextum aetatis suae annum, nuptias appetiit Franciscae praedivitis puellae Londini, sed Anglicana haeresi infectae. Iamque in Urbe Roma, ad quam ad plures annos, hyemali tempore convenire solebant parentes, una cum eorum filia, cuncta quae ad nuptias contrahendas necessaria videbantur, praedisposita erant. Et Paulus mense iulii an. 1862 primo ab Urbe discedens, simul cum patre futurae uxoris Londinum contendit, ut matrimonium ibi, quo sponsa, cum reliquis de familia, iampridem redierat, contraheret. Agnoverat tamen Paulus difficultatem ad licite et legitime matrimonium contrahendum cum Francisca heterodoxa; ideoque adhuc Romae commorans, dispensationem ab impedimento *mixtae Religionis* petere curavit. Repulsami at vero passus, praetensi honoris causa, Londinum petiit; inibi apud Card. Archiepiscopum Westmonasteriensem, eamdem instauravit instantiam pro dispensatione a S. Sede obtinenda; qua iterum denegata, aliud inivit consilium.[2] Etenim Paulus Parisiorum Lutetiam eadem die, simul cum sponsa eiusque parentibus commeavit; ibique die 22 augusti 1862 domum unam conduxerunt, intra ambitum Paroeciae a Magdalena nuncupatae, ibique simul cohabitarunt. Paulus Parochum adiit, et per ipsum Episcopali Curiae sese sistit; cui documenta baptismatis, confirmationis et status libertatis exhibuit, dispensationem ad contrahendum cum Francisca sectae protestantium addicta, datis prius cautionibus, obtinuit; atque inde, matrimonio civili prius contracto, die vero 20 septembris 1862 in Ecclesia parochiali S. Mariae Magdalenae per verba de praesenti nuptias iniit cum praedicta Francisca. Eadem nuptiarum die coniuges parentibus valedixerunt, et iter arripiendo per Galliam atque Italiam, tandem in portum Centumcellarum appulerunt, ut inde

[1] Quidquid factum pertingit mediis extraordinariis collectum fuit. Sed substantialia Benedictinae. *Dei miseratione* expleta fuisse videntur, quamquam nonnulla desint, quae actorum integritatem respiciunt. Neque id obest fini nostro, qui solummodo doctrinam illustris Canonistae publici iuris facere cupivimus.

* Notandum est quod Paulus, etsi Parisios petierit, tamen Londinense domicilium, relinquere nequi vit, donec responsum perveniret a S. Sede. Quod responsum pervenisse Londinum videtur die 16 vel **17** septembris- Ideo ab hoc die tantum, veram voluntatem constituendi Parisiis domici, lium Paulus habere potuit.

Romam peterent. Iussu gubernii Pontificii, vetitum eisdem fuit ne ad terram applicarent; ideo Interamne cogitarunt, ibique tunc domicilium statuere; ubi prolem etiam susceperunt, quae in catholica religione baptizata est. Hac in civitate cum iam controversia de validitate matrimonii instituta esset per Episcopum de mandato **S.** Congregationis Concilii, et iuxta eidem Ordinario transmissa interrogatoria, seorsim uterque praetensus coniux fuit legali suppositus examini.

Reliqua ad acta iudicialia pertinent, super quibus mihi immorandum non est, ait Canonista, quum de hac re tantum sit respondendum : *Utrum matrimonium, quod Paulus et Francisca Parisiis in Paroecia S. M. Magdalenae attentarunt, 'validum haberi debeat nec ne.* Nullum vero fuisse istud matrimonium innuit ipsa factorum series.

« Et re quidem vera cum res acta sit Parisiis, ubi decretum Concilii Tridentini de Clandestinitate Matrimonii rite publicatum est, manifestum est non modo Paulum, verum etiam mulierem, ratione loci eadem lege obligatam fuisse, qua lege ad matrimonii validitatem necessarium erat, ut alteruter saltem, sin minus domicilium proprie dictum, at certe quasi domicilium ea in urbe, imo in ipsa paroecia, ubi matrimonium contractum, ipsius matrimonii tempore haberet. Licet enim ageretur de muliere, quae domo Londino erat, ubi lex Tridentina publicata numquam fuit, nihilominus res est plane indubia, eam Parisiis obligationem eiusdem legis suscepisse, quia indubium est, et una cum Schmalzgrueber, *Tit. de Cland. Disp., n, 101* omnes plane loquantur *haereticos venientes ex sua patria, ubi Tridentinum non est receptum, in locum, ubi illud receptum est ... si clam contrahente invalide contrahere.* Et ratio est, quam protinus idem subdit *quia contractus regulari debent secundum leges et consuetudinem loci, in quo celebrantur, et non solum cives, sed omnes ibidem contrahentes forum loci illius sortiuntur. Cap. fin. De For. Comp.... idque in specie deciditur de contractu matrimoniali Cap. de Francia 1, tit. de spons.,* etc. Quod vero ad aures mihi pervenit, ab aliquo dictum esse, venientes e loco immuni in locum Tridentinae legi subiectum, teneri quidem coram Parocho nubere, sed parochum ipsum arbitrio suo posse eligere, prout vagis conceditur; id porro probari a me nullo pacto potest. Novum enim hoc est et inauditum ; *neque umquam plane* ita iudicari vidi *sed perpetuo contrarium.* Ut enim omnes animadvertunt, non simpliciter coram Parocho contrahi matrimonium Tridentinum iussit, sed *coram Parocho proprio; proprium* autem eum tantum esse *quem domicilium aut quasi domicilium fecit.* Neque vero *vagorum* exemplum quidquam prodest, utpote *aperte dispar ;* quin imo etiam obest. Quod enim iura *conditionem vagi* exigunt, ut peregrino liceat parochum eligere, id aperte docet, eum qui *vagus non sit* hanc facultatem *non habere* et merito qui-

dem. Qui enim *vagus* non est, una cum domicilio habet parochum proprium, coram quo licet in loco a Tridentino immuni non tenetur *sub poena irritante* matrimonium inire, tenetur tamen *lege disciplinari,* quae semper in Ecclesia viguit: vagus autem cum nullum habeat domicilium ita nullum habet Parochum, nullamque proinde legem, quae apud illum inire nuptias cogat. Itaque merito Kugler communem referens opinionem *de matrim., n. 294* scribit: *Peregrini invalide contrahunt in loco ubi Tridentinum receptum est, absque praesentia Parochi et testium, quamvis in propria Dioecesi Tridentinum non esset receptum... Imo quamvis in dicto casu peregrinus non vagus, neque domicilium, aut quasi domicilium figere volens, in loco Concilii recepti matrimonium contraheret coram loci Parocho et testibus, adhuc non modo illicite, sed etiam invalide ageret, quia non contraheret corame-proprio parocho.* Pignat., *tom. 5, Cons. 79, n. 33,* quandoquidem uti dictum est Parochum proprium domicilium tantum aut quasi domicilium facit.

Iam vero ad quasi domicilium, matrimonii causa, acquirendum duo haec simul requiri, *actualem* habitationem in Paroecia et animum habitationem illam continuandi^^ *maiorem anni partem,* adeo certa ac vulgaris doctrina est, ut in ea firmanda tempus tereré abs re esse existimem. Quod enim a non nemine aliquando audivi, Benedictum XIV, in Constitutione *Paucis* ad Archiepiscopum Goanum *ad mensem unum* quasi domicilium reduxisse, ita ut iure quodam novo quasi domicilium uno habitationis mense perfecte acquiri ad matrimonium valide contrahendum constituerit, id omnino et a veritate et a Benedicti XIV mente, et a communi opinione alienissimum esse censeo. Ut enim inter plurima, quae afferri possent, haec tantum dicam. *Primo* certum est, unanimem omnium doctrinam, perpetua sacrorum Tribunalium praxi comprobatam, etiam post praedictam Benedicti XIV Constitutionem, matrimonia coram parocho eius loci, ubi quis rusticari solet, contracta esse nulla; neque sane aliam ob rationem, nisi *probatum est, contrahentes non solere esse ruri maiori parte anni, neque etiam pro dimidia, sed tantum per tres aut quatuor menses* quae verba sunt S. Rotae apud Sánchez, *de matrim., 1.3, disp. 23, n. 12, § Et confirmatur*. Quae porro doctrina teneri amplius non potuisset, neque posset, si Benedictus XIV ad unum mensem quasi domicilii tempus coarctasset. *Deinde* notum est, constitutionem *Paucis* a Benedicto XIV editam esse *ad mala ex similibus matrimoniis* (quae scilicet extra patriam contrahuntur, atque iis praeserim in locis, ubi lex Tridentina de clandestinitate publicata non fuit) *obvianda* ut in ipsa Constitutione legitur. Hoc vero proposito fine, absurda profecto, tantoque Pontifice indigna fuisset illa ad unum *mensem* quasi domicilii reductio; quippe quae ea matrimonia, quibus salutare aliquod obstaculum ac remedium apponendum erat, faciliora potius reddidisset; ideoque malis illis gravissimis, quae a Goano

deplorabantur, non modo *non obviasset,* verum etiam latiorem aditum aperuisset. *Tertio* manifestum est ex ipsa constitutionis simplici lectione, Benedictum XIV noluisse in ea *novum ius* constituere, sed illud quod iam vigebat in mentem revocare ; unde est, quod auctoritati ibi innititur veterum scriptorum, veterumque decisionum, ac denique praecepit, eiusmodi controversias ad normam decreti Urbani VIII die 14 augusti 1627 editi esse definiendas. Iam vero quodnam illud sit ius, quod hac de re inter Urbanum ac Benedictum viguit, omnes docent classici scriptores, qui eo temporis intervallo vixerunt, quique scientia iuris canonici iure meritoque repraesentant ; Gonzalez *in leg. 3, de Clandest. Despons., n. 8;* Reiffenstuel, *eod. tit., n. 60 et tit. de foro comp., n. 22 ;* Schmalzgrueber, *tit. de Clandest. Despons., n. 150 ;* Pirhing, *eod., n. 19 sub finem,* Pichler, *eod., n. 18 ;* Engel, *eod., n. 12;* Viestner, *eod., n. 45 ;* Schmier, *p. 3, de Sponsal, cap. 5, n. 97;* Barbosa, *de officio et potestate Episc, p. 2, alleg. 32, n. 68, et pluribus antecedentibus et sequent,* etc., quibus pudet non addere Sánchez, *de matrim., lib. 3, disp. 23, n. 12,* qui, licet paucos ante Urbanum annos scripserit, toto tamen intervallo, de quo dixi, ad hanc usque ipsam aetatem, in hac materia de matrimonio, tum in foro, tum apud scriptores principem semper locum obtinuit: quorum quidem omnium unanimis doctrina est, quasi domicilium ad matrimonium valide contrahendum, non quidem uno mense, sed per huiusmodi habitationem acquiri, quam comitetur animus eam continuandi *per maiorem anni partem. Quarto* ex implicita ipsius Benedicti XIV declaratione manifèste apparet, eiusdem mentem nullo pacto eam fuisse, ut uno mense quasi domicilium revera acquiri posset. Etenim posteaquam ea verba scripsit, quae caliginem aliquorum mentibus effuderunt, nimirum : *Post haec necessarium fore censemus, nonnihil adiungere, ut in propatulo sit, quidnam requiratur ad quasi domicilium adipiscendum. Verum hac in re non alio pacto responderi potest, nisi quod antequam matrimonium contrahatur, spalio saltem unius mensis, ille qui contrahit, habitaverit in loco, ubi matrimonium celebratur,* cum reliquis quae ex Fagnano affert, protinus haec, quae sequuntur subdit: *Dubitari autem posset, num ad quasi domicilium acquirendum, matrimonii causa, non solum requiratur praecedens habitatio, verum etiam subsequens ad aliquod temporis spatium* cui quidem dubio ita illico respondet. *Verum, cum observaverimus, subsequentem habitationem, ab iis Auctoribus, qui hanc tractarunt materiam, tamquam magni momenti adminiculum reputari, ut longum domicilium quaesitum dicatur, nihil vero de illa praescriptum fuisse a Concilii Congregatione in adducta paulo ante definitione penes Fagnanum, nolumus hac de re quidquam novi decernere.* Quae quidem omnia inepta et absurda essent, si hac ipsa constitutione iam ipse decrevisset, ut totum domicilii tempus uno illo mense concluderetur, quo alteruter

ex contrahentibus in loco ubi matrimonium contractum est, antequam contraheretur, habitasset.

« Quis enim sanus non ita protinus respondisset ? *Dubitari,* inquis, *potest num praeter illam unius mensis praecedentem habitationem aliqua etiam subsequens sit necessaria.* Imo nullus huic dubitationi iam est locus, Brhe Pater. Si enim mox edixisti, uno illo mense, qui praecesserit, totum domicilii tempus concludi, iam omni dubitandi ansa recisa ac sublata est. Addis *Nolle Te quidquam novi hac de re decernere.* Imo decrevisti : simul enim ac edictum a Te est, praecedente illo mense domicilii tempus omnino perfici et compleri, ea ipsa lege definitum est, aliam subsequentem habitationem prorsus non requiri. Ais denique, subsequentem hanc habitationem, *tamquam magni momenti adminiculum reputari posse.* At si mense illo praecedente completum atque perfectum quasi domicilium habemus, quis, quaeso, adminiculis potest esse locus? Adminicula in re obscura quaeruntur; ubi vero res ipsa praesto est et apparet, perinde sane est adminicula persequi, ac hominem sub ipso meridie lucerna quaerere. Nae stulti ineptique hominis personam magno illo Pontifici imponit, quicumque existimat, eum in Constitutione *Paucis* quasi domicilium ad unum mensem reduxisse ».

« Quid ergo, inquies, in ea Constitutione Pontifex ille voluit ? Quid etiam illi, qui durius etiam loquuti sunt scribentes, *per habitationem unius mensis quasi domicilium acquiri?* Nempe illud ipsum, quod omnes volunt, tum cum dicunt, *decennio domicilium acquiri proprie dictum.* Nemo quippe ignorat, non dico *decennium* sed ne *mille* quidem annos, ut iurisperitorum fert proverbium, *per se* sufficere posse ad verum proprieque dictum domicilium acquirendum; cum necessaria sit voluntas non quidem definito ullo tempore, ut ut longissimo, sed omnino perpetuo in eodem loco manendi. Nihilominus cum commoratio *àecemidiìis indicium* sit vehementissimum sincerae veraeque voluntatis habitationem ibidem perpetuo continuandi, eiusque proinde praesumptionem quamdam inducat, hinc porro dici coeptum est, *decennio domicilium acquiri.* Idem sane quoad assertionem praedictam de *quasi domicilio* affirmari debet. Profecto dubitari non potest ad quasi domicilium adipiscendum, praeter actualem habitationem, voluntatem simul requiri eamdem continuandi *per maiorem anni partem.* Nihilominus cum habitatio iam ad mensem producta gravissimum *ad praesumendum* sit indicium, quod vere sincereque huiusmodi voluntas habeatur, hinc profecto scriptum a nonnullis est, *per habitationem unius mensis quasi domicilium acquiri.* Quid vero inde consequitur? Nempe hoc. Cum iure non modo positivo, verum etiam naturali docente, *praesumptio cedere debeat veritati,* hinc porro si contingat, certis clarisque probationibus palam fieri, neque illum *quasi domicilium* sibi vindicat, habuisse animum permanendi, *per maiorem anni partem,* neque alterum, qui domicilium sibi arrogat

proprie dictum, habuisse voluntatem permanendi perpetuo, imo de contraria voluntate constet, dubitari profecto eo in casu non poterit, neutrum domicilium sibi proprium quaesivisse ; cumque matrimonii validitas a quasi domicilio pendeat, ne matrimonium quidem valide fuisse contractum. Quod igitur Benedictus XIV constituit hoc omnino est.

« Quum Archiepiscopus Goanus in eiusmodi causis definiendis vehementer haereret, eoquod probationes de voluntate per maiorem anni partem permanendi frequentissime dubiae sunt, summus ille Pontifex edixit, imo potius in mentem revocavit, quod iure iampridem constituto vigebat, in *hisce casibus dubiis* praesumptionibus esse utendum; praesumptionem vero esse ad iudicandum satis firmam, *si ille qui contrahit spatio saltem unius mensis, antequam matrimonium contrahatur, habitaverit in loco, ubi matrimonium ipsum celebratur.* Mensis igitur, de quo Benedictus XIV, nihil aliud est, nisi *probatio quaedam praesumptiva in rebus dubiis* de vera sinceraque voluntate permanendi *per maiorem anni partem,* cuius proinde voluntates necessitatem non abrogat, sed confirmat; ita ut si non *de re dubia agatur,* sed *de re clara et manifesta,* eiusmodi voluntatem defuisse, certissimum omnino, habitatione unius mensis minime obstante, habendum sit, quasi domicilium nullo modo fuisse quaesitum, adeoque matrimonium nullo modo fuisse validum ».

Firmata hac regula, Canonista ut ostenderet nullum fuisse matrimonium de quo lis erat, demonstravit neutrum ex contrahentibus quasi domicilium tempore matrimonii habuisse in Paroecia S. Mariae Magdalenae.

Votum eiusmodi factum est post multos annos a celebratione dicti matrimonii. Et ideo hoc confecto voto, hypothesim fecit Canonista, praetensos sponsos in Angliam remeare ad revalidandum matrimonium Romae nullum renuntiatum. Anglia cum immunis sit a lege Tridentina utitur iure communi seu dispositione Cap. *Is qui fidem* circa matrimonia; hinc prosequebatur Canonista.

« Duoque tantum non erit abs re heic animadvertisse : I° ne in Anglia quidem revalidan matrimonium potuisse nisi ab alterutra parte quasi domicilium sive Londini sive in alia eius regionis urbe vel quaesitum vel recuperatum antea fuerit; **2°** eiusmodi revalidationem fieri *licite* nullo pacto potuisse, nisi nova impetrata ab impedimento mixtae religionis dispensatione. Dixi primo necessarium fuisse ut anglicum domicilium sive quasi domicilium ab alterutra parte antea quaereretur, vel recuperaretur. Non enim est dubitandum ipsam quoque Franciscam, utut origine Londinensem, amisisse Londinense domicilium, quum Paulum sequuta est. Ex eo enim tempore deseruit paternum domicilium, ut Pauli domicilio perpetuo adhaereret. Ita communiter DD. qui hoc casu expresse agunt id est de casu matrimonii omnino invalidi, cuius occasione foemina exiverit

e paterno domicilio, assertique sponsi domicilium sequuta sit. *Quarto infertur,* ita Barbosa *(de off. et potest. Episc., p. 2, alleg. 32, n. 67) foeminam, quae coram Parocho suae parochiae contraxit matrimonium invalidum, seque inde transtulit ad domum sponsi commorantis in alia parochia cum intentione ibi perpetuo manendi, non posse postea coram eodem parocho matrimonium de novo valide celebrare; nam ille non dicitur amplius proprius parochus ac Sacerdos, cum femina mutaverit et amiserit primum domicilium, statim ac incepit habitare in parochia sponsi cum intentione ibi perpetuo manendi. Ita Sanches, etc.* Dixi *secundo* eiusmodi re validation em fieri *licite* non potuisse, nisi nova impetrata dispensatione ab impedimento mixtae religionis. Dispensatio enim ab Archiepiscopo Parisiensi impetrata evidenter nulla fuit. Ut enim valide concederetur, fieri debuit in- personam subditam. Hac enim conditione, et intra hos limites conceditur a Sede Apostolica nonnullis Episcopis, in quorum Dioecesibus, iam a pluribus annis haereses impune grassantur, facultas ab hoc impedimento dispensandi; ita ut circa personas, quae nullo modo sint subditae, eiusmodi facultas omnino deficiat, ac nulla sit. Iamvero nulla ratione sive Paulus, sive Francisca (quae insuper haeretica erat, adeoque beneficii dispensationis indirecte, at certe directe incapax) subditi erant Archiepiscopi Parisiensis, quum in urbe Parisiensi neuter sive verum, sive quasi domicilium haberet; quandoquidem certissimum est, relate ad dispensationem ab hoc impedimento, neminem Episcopi dispensantis subditum fieri, nisi saltem per quasi domicilium. Dixi *saltem, primo* quia mihi semper ea opinio perplacuit, quae *verum, adeoque perpetuum* domicilium hac in re exquirit. Quum enim considero Sedem Apostolicam semper denegasse eiusmodi facultatem illis Episcopis, qui magnam haereticorum multitudinem in suis Dioecesibus iampridem non haberent; quum etiam considero ipsam Sedem Apostolicam abstinuisse constanter, ac vere abhorruisse ab eiusmodi dispensationibus etiam per semetipsam concedendis in iis locis, ubi haeretici vel nulli, vel rari essent, tum profecto in eam me rapi opinionem sentio, eiusdem Apostolicae Sedis mentem ac consilium in eiusmodi facultatibus concedendis semper fuisse, ut eiusmodi dispensationes veluti quibusdam arginibus, in iis tantum locis conclusae remanerent, ubi haereses impune grassantur. Ex quo merito concludi posse semper putavi, eiusmodi privilegium ita esse *locale,* ut etiam circa illos tantum exerceri possit, *qui loco sint afflxi ;* ita ut spes iusta affulgeat, dispensationis effectum extra praedictos limites nunquam esse emersurum. Atqui non verum atque perpetuum, sed tantum quasi domicilium sibi quaesiverunt, quomodo *afflxi loco* dici possunt? Imo vel ipsi profitentur aperte, se nolle in eo loco consistere, sed paucos post menses, illam haeresis pestem, qua femina sit imbuta, in catholicam viri patriam sese illaturos. Quapropter si eiusmodi homines ad dispensationem

admitti valide possint, ubinam, quaeso, iam essent argines illi a Sede Apostolica imperati ac positi? Ubi illa eiusdem sollicitudo arcendi a catholicis regionibus mixta matrimonia? Qui dolor, quae vulnera Episcoporum, qui quum Dioeceses integre catholicas haberent, iam eas videant, sese invitissimis, haereticis personis alienorum Episcoporum auctoritate infici? Quumque hactenus ex. gr. Hispania immunem ab omni haeretica contagione maxima cura se praestiterit, quomodo sese amplius tueri ab eadem se posset? Quae omnia cum menti Sedis Apostolicae praedictam facultatem concedentis omnino contraria semper duxi, tum etiam Ecclesiae disciplinae, ac saluti prorsus perniciosa. *Altera* ratio, cur verbum *saltem* apposui, haec est, quod, cum agitur de Italis, multoque magis de Romanis, ad quos Paulus e nobilissima... gente pertinet, extra controversiam iam positum est, nullum Episcopum uti posse dispensandi facultate, nisi eam qui petunt, italicum domicilium omnino perpetuoque deseruerint; ita ut quasi domicilium in dispensantis Dioecesi adeptum ad dispensationem validitatem nullo pacto pro ipsis sufficiat ».

EX S. CONGREGATIONE SS. RITUUM

DECLARATIO.

Taurinensis artifex, cum aliis societate coniunctus examini Sacrae Rituum Congregationis mechanicum subiecit apparatum cuius se auctorem esse dixit, duabus parvis constantem columnis, manubrio praeditis, quo fieri potest ut SS. Sacramentum, quum publicae exponi debeat venerationi altius levetur aut descendat.

Supplici unitae erant libello litterae nonnullorum Antistitum commendatitiae; qui opportunum censentes huius apparatus usum, suarum Parochis Dioecesium commendabant, sese tamen Ecclesia iudicio remittendo.

Sacra vero Rituum Congregatio gravibus mota de causis, reiiciendum esse huiusmodi machinae usum arbitrata est; ideo supplici libello respondit: *Negative.*

Tunc recurrentes, ut sibi originalia restituerentur documenta exquisierunt, quibus innixa suum protulit iudicium S. Rituum Congr.: quum tamen id facere annueret eadem S. Congr., utpote quod suae esset praxi contrarium; dicta societas iterum institit, instantius expo-

scens, ut requisita documenta apud publicum deponerentur Tabellionem, occasionem peractae venditionis cuidam emptori eiusdem medianici apparatus; minitans, pro casu ulterioris oppositionis, recursum apud civilia tribunalia. Sic pro prima vice in Urbe Romae ecclesiastica Congregatio quae Summum ipsum repraesentat Pontificem, ante laica raperetur tribunalia, opera illorum qui S. Ecclesiae filios obsequentissimos se esse profitentur.

Quapropter quum S. Congregatio haud agere soleat cum huiusmodi catholicis documenta restituit, proprium in casu ius posthabendo. Ne autem per eorumdem documentorum publicationem, Sacerdotum et Christifidelium bona decipi posset fides, declarandi auctoritas nobis facta est, eam S. Congregationem dicti apparatus mechanici usum improbasse atque improbare.

Insuper eadem S. Congregatio quemlibet emptorem aut appa ratus eiusdem propagatorem monet, non obstantibus litteris commendatitiis,[1] quae nullius valoris haberi debent ; tum propter magni ponderis iudicium Sedis Apostolicae, tum quia id ipsi Episcoporum menti adversaretur, qui nullimode re commendando, sese opponere Apostolicae Sedis iudicio censuerunt.

Hac praehabita declaratione, Decretum S. R. C. damus, quod sic sese habet:

TAURINEN.

In Congregatione Sacrorum Rituum Ordinaria, subsignata die, ad Vaticanum habita, quum ab infrascripto Secretario proposita fuit petitio artificis Ioseph Rua: utrum admitti possit usus cuiusdam machinae ab ipso constructae, cuius ope elevaretur ac deponeretur Ostensorium dum salutaris Hostia populo adoranda exponitur?

Emi et Rmi Patres, re accurate perpensa, unanimi suffragio responderunt: *Negative.*

Die 7 iulii 1877.

[1] Quanto cautius agere videntur Episcopi illi, qui in re, nuper excogitata, supremum praestolantur Apostolicae Sedis iudicium, antequam vel reiiciant uti malam, vel eamdem uti optimam commendent! Consuli solent locorum Ordinarii de eorum sententia a SS. Congregationibus, quoties aliquid gravis momenti sit resolvendum. Haud tamen praeire solent Episcopi iudicio S Sedis, quamvis idem laeto animo excipere praesto sint.

SS.MI DOMINI NOSTRI

LEONIS DIVINA PROVIDENTIA PAPAE XIII

ALLOCUTIO

habita die **12** maii **1879** ad S. R. E. Cardinales in Aedibus Vaticanis.

Venerabiles Fratres,

DIVES IN MISERICORDIA DEUS, QUI ITA RES HUMANAS TEMPERAT UT LAETA MOESTIS, IUCUNDA ACERBIS ADMISCEAT, DIGNATUS EST HUMILITATEM NOSTRAM COMMUNIUM AERUMNARUM COGITATIONE TRISTEM, QUIBUSDAM RECREARE SOLATIIS, EX EO POTISSIMUM TEMPORE QUOD POST ALLOCUTIONEM QUAM NOVISSIME AD VOS HABUIMUS, EFFLUXIT.

PROFECTO HAUD EXCIDIT E MENTIBUS VESTRIS EORUM RECORDATIO, QUAE TUNC A NOBIS DICTA SUNT, QUUM VENERABILIS FRATRIS PATRIARCHAE BABYLONENSIS CHALDAEORUM ELECTIONEM SEU POSTULATIONEM CONFIRMAVIMUS, SPEM EXPROMENTES FORE UT II, QUI OTHOMANICI IMPERII RES MODERANTUR, FACILE INDUCERENT ANIMUM UT CATHOLICIS SUAE DITIONIS SUBDITIS PLENE ET CUMULATE TRIBUERENT, QUOD IUS ET AEQUITAS POSTULARET. IAMVERO QUOD SPE ET VOTIS PROSEQUEBAMUR ID BENIGNITATE FAVENTIS DEI, ET IUSTITIA SUPREMI PRINCIPIS QUI ILLI PRAEEST IMPERIO FELICITER EVENISSE GRATULAMUR.

AC PRIMUM IPSE, QUEM MEMORAVIMUS, PATRIARCHA BABYLONENSIS CHALDAEORUM RITE ELECTUS ET A NOBIS CONFIRMATUS, CIVILI DIPLOMATE, UTI MOS EST, COMMONITUS FUIT, QUO TAMQUAM CAPUT CHALDAICAE GENTIS PUBLICE AGNITUM, LIBERUM ADEPTUS EST EXERCITIUM IURIUM OMNIUM ET PRAEROGATIVARUM, QUIBUS PRAEDECESSORES EIUS PRO SUA DIGNITATE POTITI ET USI FUERUNT.

QUOD PROSPERE GESTUM ALIA LAETIORA SEQUUTA SUNT; ILLE ENIM QUI ILLEGITIMO TRAMITE EPISCOPALEM SEDEM ZACHUENSEM PERVENERAT, ET PAULO POST PATRIARCHALEM DIGNITATEM AFFECTA-

verat, aliique ex monachis et ecclesiasticis viris, qui socii defectionis eius fuerant, et humili declaratione sese huic Apostolicae Sedi subiicientes, pristinum errorem cum multa laude emendarunt. Ex quo Nobis spes affulget extinctum penitus ac deletum iri schisma luctuosum, quod catholicos Chaldaeos, Mesopotamiam incolentes, dudum afflixerat.

Quum porro ob eam rem singulari animi laetitia merito afficeremur, aliam Nobis gaudii causam attulit finis quaestionis asperrimae, qui inter Iacobitas haereticos et catholicos Mausilienses Syriaci ritus exarserat. Novistis enim, Venerabiles Fratres, haereticos illos in rem suam vertentes brevem quamdam dissensionem, inter Patriarcham catholicum Syrorum et civile Gubernium exortam, armata vi repente ecclesias invasisse, quae iampridem pacata possessione a catholicis tenebantur, ac iustis deinde et assiduis istorum expostulationibus potentiorum quorumdam opibus et gratia fretos pertinaciter restitisse. Nuper tamen quum iustitiae vocibus ad imperialem aulam facilis patuisset aditus, eiusque rei iudicatio permissa esset arbitratui virorum nobilium, qui pro Gallico et Britannico Gubernio apud supremum Othomanici imperii Principem legatione funguntur, aequissima lata est sententia, quae catholicorum iuri, uti par erat, satisfecit. Cuius victoriae gratulatio ideo Nobis iucundior accidit, quod plures Iacobitarum familiae, quae Mardenium accolunt, ad antiquam maiorum fidem reversae fuerint, aliaeque multae haud obscuris portendant indiciis se illarum exemplum imitaturas.

Sed quamvis ea quae diximus pergrata Nobis obvenerint, praecipuum tamen solatii fructum cepimus ex optatissima rerum conversione, quae in Armeniorum gente facta est. Nolumus quidem, Venerabiles Fratres, huiusce eventus laetitiae quidquam detrahere, ea recolentes, quae plerique ex Armeniis catholicis, cum egregiis Pastoribus suis, huic Cathedrae veritatis adhaerentes, per novem annos fortiter perpessi sunt, eorum fraude et invidia, qui officii immemores a catholica unitate desciverunt. Hi namque calumniis fratres innocentes aggressi, falsam hanc opi-

nionem eorum animis, qui reipublicae praeerant ingerere conati sunt; scilicet huius Apostolicae Sedis auctoritatem et magisterium debitae politicae potestati fidelitatem imminuere, cives Othomanico subiectos imperio a sui Principis obsequio avertere et ad exteri Principis obedientiam transferre; atque adeo ipsis gentium iuribus et prosperitati adversari. - Quo nihil magis et absonum et a veritate alienum ; Christi enim Ecclesia aeternam animarum salutem unice spectans, hanc supernaturalibus praesidiis quibus divinitus instructa est, ubique provehere nititur ac tueri. Non tamen idcirco civilis societatis rationem aut ordinem perturbat, neque terrenorum principum auctoritatem infirmât: quin imo Apostolicis verbis edocta, sublimioribus potestatibus omnem animam iubet esse subiectam, ***non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam;*** exploratumque est populos tanto fideliores Principibus suis existere, quanto magis incorruptam fidem, Ecclesia duce ac magistra, Deo servare assueverint. - Docet insuper ratio et testatur historia, communia vincula, queis unius gentis homines invicem iunguntur, catholica religione firmari et solidari : ex quo publica regnorum tranquillitas et alia magni momenti commoda, quae ex ea solent derivare, quammaxime vigent ac proficiunt.

Verum in iis refellendis mendaciis, quae luctuoso dissidii tempore simultas et odium gignebant, immorari non iuvat, quum huius agendi loquendique rationis eos ipsos poenituerit, qui commentis et calumniis defectionem suam tueri nitebantur. Namque ex his non defuerunt, qui ad meliorem frugem reversi et quae male gesserant detestati, facto suo luculenter professi sunt, veritatem, iustitiam, felicitatem solidam in materno Ecclesiae gremio esse quaerendam. Quare obducto caritatis velamine iis quae perperam dicta vel acta fuerunt, gestire potius cum caelesti Patrefamilias Nos decet, quod ii qui mortui fuerant revixerint, et qui perierant inventi sint. - Inter eos porro qui reversione sua gaudium Nostrum cumularunt, illum imprimis commendatum volumus, quem ducem et caput seces-

sionis ii qui defecerant constituerunt; magni enim fortisque animi nobile ac arduum praebens exemplum, lapsum se palam fateri non erubuit, honores et officia non iure quaesita sponte abdicavit, errorem suum salutari poenitentia curavit expiandum; tum ita actus moresque composuit, ut sincerae conversionis aperta praeferret indicia ; ad Nos demum accedens subiectionis et obedientiae illustria exhibuit argumenta. Quare et clementer agendum cum eo duximus, et praeter usitatum disciplinae ecclesiasticae morem eidem indulgendum putavimus ut episcopalibus insignibus ornatus incederet. - Faxit Deus ut caeteri omnes, qui transfugam in defectione infausta sunt sequuti ad castra Israel ultro redeuntem quantocius imitentur.

Interea vero dum ea spe nitirnur, gratulandum Nobis est quod diuturno certamine consopito, catholicus Armeniorum coetus eiusque Patriarcha legitimus, pacem nacti cum dignitate, in possessionem iurium suorum ab Imperiali Gubernio Othomanico fuerint restituti. Qua de re meritas eidem Gubernio laudes conferimus, quod, agnitis semel adversariorum calumniis, ea libenter catholicis tribuerit, quae ipsorum ius et aequi Imperantis officium flagitabant. Hoc enim facto manifesto significavit, certum sibi ac destinatum esse, omnia fideliter exequi quae de libero catholici cultus exercitio in Othomanica ditione tuendo, in publicis pactis conventis cum potentissimis Europae gentibus anno superiore cauta et constituta fuerunt.

Pro his itaque, Venerabiles Fratres, quae feliciter evenerunt, immortali bonorum omnium Largitori Deo maximae agendae sunt gratiae, ab eoque suppliciter expetendum, ut eadem rata firmaque esse iubeat, novisque in dies provehat incrementis.

Haec habuimus quae Vobis hodierna die de Orientalium Ecclesiarum rebus breviter diceremus.

Nunc vero gratum est Nobis, Venerabiles Fratres, publicam exhibere significationem Nostrae dilectionis et studii erga amplissimum Ordinem Vestrum, quem ab initio Nostri Pontificatus carissimum Nobis esse, ac praecipua semper in exi-

stimatione apud Nos fore declaravimus. Praeclarissimos enim et probatissimos viros hodie in Collegium Vestrum adlegere constituimus, quorum alii magna praestantia zeli, consilii, solertiae in pastoralibus muneribus gerendis, in animarum salute curanda, ac in Ecclesiae doctrina et iuribus tum publicis scriptis, tum verbi ministerio tuendis ; alii magna commendatione scientiae et illustri fama, quam sive in docendi munere, sive nobilibus editis ingenii sui monumentis adepti sunt ; omnes demum immota fide erga hanc Apostolicam Sedem, exantlatis pro Ecclesia laboribus, et egregiis meritis sacerdotalis virtutis et constantiae, multis argumentis spectatae et cognitae, sese dignos omnino extabuerunt, ut sublimis honoris Vestri titulo et insignibus honestarentur. - Hi sunt :

FRIDERICUS LANTGRAVIUS DE FURSTENBERG, Archiepiscopus Olomucensis,

JULIANUS FLORIANUS DESPREZ, Archiepiscopus Tolosanus et Narbonensis.

LUDOVICUS HAYNALD, Archiepiscopus Colocensis et Bacsiensis.

LUDOVICUS FRANCISCUS PIE, Episcopus Pictaviensis.

AMERICUS FERREIRA DOS SANTOS SILVA, Episcopus Portugalliensis.

CAIETANUS ALIMONDA, Episcopus Albinganensis.

IOANNES NEWMAN, Presbyter Philippianus e Congregatione Londinensi.

IOSEPHUS HERGENRÖTHER, Antistes Pontificiae Nostrae domus Doctor in Academia Herbipolensi.

THOMAS ZIGLIARA, Sodalis Ordinis Dominicam, Rector Collegii S. Thomae Aquinatis de Urbe.

Horum autem in numerum adiicimus etiam germanum Fratrem Nostrum IOSEPHUM PECCI, Bibliothecae Nostrae Vaticanae vicario munere Praefectum, de quo hoc unum dicemus, Venerabiles Fratres, cum diuturno litterarum ac severiorum disciplinarum magisterio perfunctum, Nobisque intimo affectu devinctum pari a Nobis caritate diligi; eius vero electionis

Vos, honestissimo iudicio Vestro, concordibus atque humanissimis in ipsum studiis participes extitisse ; de quo propterea, ut par esse intelligimus, gratum Vobis animum profitemur.

Quid Vobis videtur?

Auctoritate itaque Omnipotentis Dei, Sanctorumque Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra creamus Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyteros Cardinales :

FRIDERICUM LANTGRAVIUM DE FURSTENBERG.

IULIANUM FLORIANUM DESPREZ.

LUDOVICUM HAYNALD.

LUDOVICUM FRANCISCUM PIE.

AMERICUM FERREIRA DOS SANTOS SILVA.

CAIETANUM ALHTIONDA.

Diaconos vero :

IOSEPHUM PECCI.

IOANNEM NEWMAN.

IOSEPHUM HERGENRÖTHER.

THOMAM ZIGLIARA.

Cum dispensationibus, dérogationibus et clausulis necessariis et opportunis. In nomine Patris ££i et Filii ***ffc*** et Spiritus Sancti. Amen.

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

Die 12 maii 1879.

Sanctissimus Pater, habita iam relata Allocutione, proposuit sequentes Ecclesias :

CATHEDRALEM ECCLESIAM TUSCULAN. pro Emo ac Revmo D. Ioanne Baptista tituli S. Callisti eiusdem S. R. E. Presbytero Cardinali Pitra, praedicto titulo presbyterali dimisso.

CATHEDRALEM ECCLESIAM ALBANEN, pro Emo ac Revmo D. Dominico Gustavo Adulpho tituli S. Mariae Transpontinae eiusdem S. R. E. presbytero Cardinali d'Hohenlohe, praedicto titulo presbyterali dimisso.

ARCHIEPISCOPALEM ECCLESIAM PETREN. in part. infid. pro R. P. D. Iosepho Aggarbati, iam Senogalliensi Episcopo.

METROPOLITANAM ECCLESIAM BENEVENTAN. pro R. P. D. Camillo Siciliano e Marchionibus ***di Rende,*** hactenus Antistite Tricaricensi.

EPISCOPALEM ECCLESIAM ROSEN, in part. infid. pro R. P. D. Petro Rota iam Episcopo Mantuano.

ECCLESIAM CATHEDRALEM CATHAREN. pro R. P. D. Casimiro Forlani hactenus Episcopo Comanensi, ad nominationem S. Caesareae Maiestatis Francisci Iosephi Primi Austriae Imperatoris, Bohemiae et Hungariae Regis Apostolici, uti Dalmatiae regni etiam Regis, vigore indulti Apostolici.

EPISCOPALEM ECCLESIAM CALLINICEN. pro R. P. D. Aniceto Ferrante, iam Antistite Callipolitano.

CATHEDRALEM ECCLESIAM MANTUAN. pro R. P. D. Ioanne Maria Berengo hactenus Adriensi Antistite.

CATHEDRALEM ECCLESIAM SAVONEN. et NATJLEN. invicem perpetuo canonice unitas pro R. P. D. Iosepho Barraggini presbytero Ianuensi, in quinquagesimo aetatis suae anno constituto, S. Theologiae atque utriusque iuris Doctore.

CATHEDRALEM ECCLESIAM CONVERSANEN. pro R. D. Augusto Antonini Vicentini, praesbytero Aquilano, in quinquagesimo aetatis suae anno constituto, atque in S. Theologia laurea donato.

CATHEDRALEM ECCLESIAM GALLIPOLITAN. pro R. P. Fr. Iesualdi a Cardinale, in saeculo Nicolao Loschirico, presbytero dioeceseos Squillacensis, ac Ordinis Minorum S. Francisci Cappuccinorum expresse professo. Inter sodales agens professorem philosophiae ac theologiae, quinquies ordinis eiusdem Minister Provincialis renunciatus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM SENOGALLIEN. pro R. P. D. Fran-

cisco e Marchionibus Latoni, presbytero Pergulano, in octavo supra quinquagesimum aetatis suae anno constituto. Hucusque in Patriarcali xArchibasilica Lateranensi Canonicatu honestatus, ac Praelaturae auctus honore est, a fel. rec. Pio PP. IX in suum Auditorem electus, eodemque honore a Summo Pontifice Leone XIII ditatus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM ANCONITAN. cum ei adnexo titulo ***Humanae Ecclesiae*** pro R. D. Achille Manara Presbytero Bononiensi in quinquagesimo aetatis suae anno constituto, et in facultate theologica atque legali dudum doctorali laurea donato.

CATHEDRALEM ECCLESIAM ALBINGANEN. pro R. D. Philippo Allegro, presbytero Albinganensis Dioecesis, quinquagesimum aetatis suae annum supergresso.

CATHEDRALEM ECCLESIAM ADRIEN, pro R. P. D. Iosepho Apollonio, presbytero Veneto, quinquagesimum aetatis suae annum supergresso. Canonicus Poenitentiarius ipsa in Patriarchali Basilica hucusque renunciatus, inter philosophicos Academicos S. Thomae Aquinatis, Protonotarios Apostolicos ad instar Participantium atque Synodales examinatores adscitus est.

EPISCOPALEM ECCLESIAM TROADEN, in part. infid. pro Rev. D. Placido Pe tacci presbytero Romano in suffraganeum deputato ad pontificalia, caeteraque pastoralia munia in civitate ac dioecesi Sabinensi obeunda. Hucusque Canonicus Patriarchalis Basilicae S. Mariae Maioris, atque Vicariatus Urbis a Secretis renunciatus est.

EPISCOPALEM ECCLESIAM TANEN. in part. infid. pro R. P. D. Elia Bianchi, presbytero Alexandrino, atque in suffraganeum deputato ad pontificalia, caeteraque pastoralia munia in sibi invicem perpetuo canonicae unitis Ecclesiis Ostiensi et Veliternensi earumque dioecesibus obeunda. Inter Sanctitatis suae Praelatos domesticos ac Protonotarios Apostolicos supra numerarios cooptatus est.

EPISCOPALEM ECCLESIAM DIOCLEN. in part. infid. pro Rev. D. Felice Gialdini, presbytero Pisciensi, in Coadiutorem cum futura successione deputato R. P. D. Aloisii Mariae Paoletti

Antistitis Montis Politiani, qui expressum ad hoc praebens consensum, ob suam provectam aetatem alterius indiget ope, ad pontificalia caeteraque pastoralia munia in illa civitate ac dioecesi obeunda.

EPISCOPALEM ECCLESIAM ANTIPATREN. in part. infid. pro R. D. Emmanuele Antonio Bandini, presbytero Limano, atque sexagesimum aetatis suae annum supergresso. In S. Theologia dudum laurea donatus, Parochum atque vicarium foraneum agens, Iudex examinatur Synodalis et Archidiaconus in ea Metropolitana ad praesens renunciatus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM ARMENOPOLITAN. SEU ZAMOS-UJVARIEN. Rumenorum ritus graeco-catholici pro R. D. Ioanne Szabò, Presbytero dioecesis Magno-Varadinensi, ad nominationem sacrae Caesareae Maiestatis Francisci Iosephi Primi Austriae Imperatoris. In S. Theologia doctor effectus, Consistorialis Assessor et Examinator pro-Synodalis adlectus, sede vacante, Vicarius Capitularis hucusque renunciatus est.

EPISCOPALEM ECCLESIAM THERMIEN. sub Archiepiscopo Caesariensi in part. infid. pro R. P. D. Caietano Ratta, presbytero Bononiensi, deputato in auxiliarem Eíñi ac Revmi Domini Lucidi Mariae S. R. E. Presbyteri Cardinalis Parocchi, Archipraesulis Bononiensis, ad pontificalia, caeteraque pastoralia munia de eius consensu ac lubito illa in civitate et Archidioecesi obeunda. In Universitate studiorum Bononiensi theologiae moralis professor, Praeses Collegii illius theologici, Petronianae Basilicae Primicerius, et Vicarius Generalis usque ad praesens renunciatus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM ANNECIEN. pro R. P. D. Aloisio Isoard, presbytero Dioecesis Suessionensis, ad nominationem perillustris Viri Iulii Grevy Gallicae Reipublicae Praesidis. In utroque iure dudum laurea donatus doctorali, inter Sanctitatis suae Domesticos Praesules et XII Viros sacri Concilii litibus iudicandis Romae connumeratus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM MAGNO-VARADINEN. Rumenorum ritus graeco-catholici pro R. P. D. Michaele Taver, hactenus

Episcopo Armenopolitano, ad praesentationem S. Maiestatis Francisci Iosephi primi Austriae Imperatoris.

CATHEDRALEM ECCLESIAM LITOMERICEN. pro R. D. Antonio Frind, presbytero Litomericensi, ad nominationem Francisci Iosephi Primi Austriae Imperatoris. In gymnasio Litomericensi professor adlectus, atque in Metropolitana Ecclesia Canonicus hucusque renunciatus est.

CATHEDRALEM ECCLESIAM CRACOVIEN, pro R. P. D. Albino Dunaiewski ad nominationem Imperatoris Austriae, vigore Indulti Apostolici. Sexagesimum secundum aetatis suae annum supergressus,-*'Seminarii Varsaviensis Rector, Theologiae moralis professor, atque inter Sanctitatis Suae Praelatos Domesticos adscitus est.

Per Breve autem pontificium provisae sunt sequentes Ecclesiae :

ECCLESIA ARCHIEPISCOPALIS CARTAGINEN. in part. infid. collata fuit R. P. D. Petro Rota Episcopo renunciatario Mantuanae Ecclesiae, quam retinet in temporaneam administrationem.

ECCLESIA METROPOLITANA SMIRNEN. in part. infid. collata fuit R. P. D. Andreae Timoni, traslato ex Ecclesia Chien.

ECCLESIA METROPOLITANA DUBLINEN. collata fuit Rev. P. Eduardo Mae-Cabe Auxiliari Dublini, translato ex Ecclesia Gadaren. in part. infid.

ECCLESIA METROPOLITANA SCOPIEN. collata fuit R. P. Fulgentio Czarew e Minor. Observ. S. Francisci.

ECCLESIA CATHEDRALIS ARDAGADEN. collata fuit R .P. D .Bartholomaeo Voodloch Praelato domestico Sanctitatis Suae, Rectori catholicae Universitatis Hiberniae et in sacra Theologia laurea donato.

ECCLESIA CATHEDRALIS AUCOPOLITAN. collata fuit R. P. D. Waltero Steins e Societate Iesu, iam Vicario Apostolico e Calcutta translato ab Ecclesia Archiepiscopali Bostrensi in part. infid.

ECCLESIA CATHEDRALIS CHIEN. Collata fuit R. P. D. Ignatio Giustiniani translato ex Ecclesiis Tenen. et Miconen.

ECCLESIA CATHEDRALIS SANCTORIEN. in graeco Arcipelago collata fuit R. P. D. Antonio Galibert.

ECCLESIA CATHEDRALIS HARTFORDIEN. in statibus Americae foedere iunctis, collata fuit R. D. Laurentio Mac-Mahon Vicario Generali e diocesi Providentiel!.

ECCLESIAE UNITAE MARIOPOLITAN. ET MARQUETTEN. in statibus Americae foedere iunctis, collatae fuerunt R. D. Ioanni Vertin.

ECCLESIAE CATHEDRALES TENEN. ET MICONEN. collatae fuerunt R. D. Michaeli Castelli.

ECCLESIA CATHEDRALIS RAPOTEN. in Hibernia collata fuit R. D. Michaeli Logue in sacra Theologia laurea donato.

ECCLESIA CATHEDRALIS OLYMPIEN, in part. infid. collata fuit R. D. Amando Lamaze, deputato Vicario Apostolico Oceaniae centralis.

ECCLESIA EPISCOPALIS AENEN. in part. infid collata fuit R. D. Ludovico Mariae Galibert, deputato Vicario Apostolico Concinsinae Orientalis.

ECCLESIA EPISCOPALIS BOLINEN. in part. infid. collata fuit R. D. Constanti Dubail, deputato Vicario Apostolico e Mandehuria.

ECCLESIA CATHEDRALIS PAPHEN. in part. infid, collata fuit R. D. Paschali Guerini, in sacra Theologia laurea donato, et in Auxiliarem deputato P. P. D. Archiepiscopi Antibaren, et Scodren.

ECCLESIA EPISCOPALIS CORYCEN. in part. infid. collata fuit R. D. Edmundo Knight, deputato in Auxiliarem Episcopi Salopiensis.

EX S. CONGREGATIONE BREVIUM

BREVE

quo indulgentia tercentum dierum conceditur illi qui iaculatoriae « sia benedetta » etc. adiecerit « Madre di Dio ».

LEO PP. XIII

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ad cultum erga Immaculatam Virginem Mariam Matrem Salvatoris nostri Iesu Christi magis magisque/ fovendum et excitandum adhibitae Nobis nuper preces sunt, ut pro fidelibus, qui post recitationem iaculatoriae - ***Sia benedetta la Santa Immacolata e purissima Concezione della Beata Vergine Maria*** - adiiciat verba « ***Madre di Dio*** »[1] caelestes thesauros, quorum dispensationem Nobis credidit Altissimus, rèserare dignaremur. Sublimia porro mysteria in hac laude continentur utpote quae Mariam memorat protoparentum culpa a primo conceptionis momento fuisse immunem, et verba quae nunc addi volunt « ***Madre di Dio*** » divinam commemorant Maternitatem, absque Virginitatis detrimento, adeo ut tantae Matri nullum hoc elogio gloriosius, nullum iucundius. Quae cum ita sint, Nos, SS. Virgini Dei Genitrici Immaculatae gratificandi, atque uberiori Christifidelium bono prospiciendi studiosi, et ad iniurias etiam quodammodo rependendas, quas impii homines, miserrimis praesertim hisce temporibus adversus Immaculatam Virginem Mariam Genitricem Salvatoris nostri et Matrem nostram suavissimam et amantissimam, temerario ausu,

[1] Quae iaculatoria latine traduci potest: *Benedicta sit Sancta, Immaculata et purissima Conceptio Beatae Virginis Mariae, Matris Dei.*

iactant, exhibitis supplicationibus obsecundare, Iubenti animo statuimus, deque Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli App. eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui, corde saltem, contriti qualibet vice et quovis idiomate, dummodo tamen versio sit fidelis, post supradictam iaculatoriae recitationem verba addiderint « ***Madre di Dio*** » tercentum dies de iniunctis eis, seu alias quomodolibet debitis, poenitentiis, in forma Ecclesiae consueta, relaxamus : quas poenitentiarum relaxationes etiam animabus Christifidelium, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse impertimus. In contrarium facien. non obstan, quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Praecipimus autem, ut praesentium Litterarum (quod nisi fiat nullas easdem esse volumus) exemplar ad Secretariam Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae deferatur, iuxta Decretum ab eadem Congregatione sub die xix ianuarii MDCCLvi latum, et a rec. mem. Benedicto XIV Praedecessore Nostro, die xxviii dicti mensis adprobatum: volumus insuper ut praesentium earumdem Litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die x septembris MDCCCLXXVIII, Pontificatus Nostri anno primo.

Pro Dno Card. ASQUINIO.

L. © S.

D. Iacobini, *Subst.*

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

DISTRIBUTIONUM.

Die 20 iulii 1878.

Compendium facti. Duo Canonici Ecclesiae Cathedralis P. saeviente bello in Hispanus, ad evitandas factiosorum minas et exilium, quod iam ipsis impendebat, averterent, castra et dominia Caroli VII petierunt. Confecto bello in gallicas ire regiones coacti fuere.

Interea Gubernium canonicos privavit fructibus praebendarum , relicta tantum tertia parte Capitulo pro oneribus satisfaciendis, et quotidianis distributionibus solvendis. Capitulum, quum in patriam rediissent, renuit dare duobus Canonicis, quae supererant ex tertia fructuum parte, deductis oneribus :

1) Quia absentiae causa neque ex officio neque officiose sibi fuit patefacta.

2) Quia pro integro anno et ultra voluntarie absentes fuere, bello confecto.

Hac repulsa se praegravari censentes isti canonici S. C. Congregationem adierunt, declarari efflagitantes : ***An Oratores ius habeant ad tertiam suae praebendae partem, oneribus sublevatis, toto suae absentiae, utpote invite atque proinde legitima ex causa provenientis, tempore?***

Antistes de sententia rogatus retulit, Canonicos istos haud temere metuisse exilium aut deportationem, quam vitarunt aufugiendo in territorium D. Caroli ; et Capitulum paratum esse dare eisdem distributiones, quatenus id licere S. C. Concilii declaraverit.

Disceptatio synoptica.

EA QUAE DUOBUS CANONICIS ADVERSANTUR. - IN IURE SAEPE FIRMATUM EST PRINCIPIUM, QUO SOLUM PRAESENTIBUS ATQUE INTERESSENTIBUS DIVINIS OFFICIIS DISTRIBUTIONUM LUCRUM TRIBUITUR. BONIFACIUS VIII IN ***cap. unic. De cleric. non resid. in 6*** « ***Statuimus ut distributiones ipsae quotidianae in quibuscumque rebus consistant, canonicis, ac aliis beneficialis Ecclesiarum ipsarum, qui eisdem adfuerint, tribuantur »***.

QUOD BONIFACII DECRETUM IN USUM REVOCAVIT TRIDENTINA SYNODUS ET OBSERVARI MANDAVIT, NON OBSTANTIBUS QUIBUSCUMQUE STATUTIS ET CONSUETUDINIBUS IN ***cap.*** *12* ***sess.*** *24* ***de reform.*** HINC S. C. CONGREGATIONIS PRAXIS CONSTANS, ET UNANIMIS DOCTORUM SENTENTIA HABENT, DISTRIBUTIONES CLERICIS DEBERI RATIONE SERVITII, NON AUTEM RESPECTU TITULI; NEQUE DARI TAMQUAM CANONICO SED TAMQUAM INSERVIENTI DIVINIS OFFICIIS, BENED. XIV ***Inst.*** *10/* ***n. 38,*** PITON, ***discept. Eccles, i n. 33.*** ROTA ***decis. 68p, n.*** 7, ***part.*** J , ***rec.*** NUNC IN FACTO EST, PRAEFATOS CANONICOS TOTO ABSENTIAE TEMPORE, HAUD SERVITIUM PRAESTITISSE ECCLESIAE CUI ERANT ADDICTI; ET IDEO PARTICIPES FIERI NEQUIRENT DE QUOTIDIANIS DISTRIBUTIONIBUS.

DEEST IN CASU CANONICA LEGITIMAE ABSENTIAE CAUSA QUAE ETIAMSI ADESSET, AD LUCRANDAS DISTRIBUTIONES ADHUC IN THEMATE DEFICERET LICENTIA EPISCOPI ET CAPITULI, NECESSARIA AD HOC, UT ABSENS EX LEGITIMA CAUSA, DISTRIBUTIONUM LUCRO FRUI VALEAT ***Gloss, in cap. relatum V praelatorum de cler. non. resid.*** ADEO TAMEN UT NON SUFFICIAT LICENTIA TACITA, SED DEBEAT ESSE EXPRESSA, PIGNATELL. ***Consult. 36 n.*** *2* ***tom. 3*** « DE IUSTA VERO CAUSA EST TEXTUS « AD ***d. cap. un. de cleric. non resid. post. med.*** IBI: EXCEPTIS « ILLIS QUOS INFIRMITAS, SEU IUSTA ET RATIONABILIS CORPORIS NECES- « SITAS, AUT EVIDENS ECCLESIAE UTILITAS EXCUSARET, QUOD IN USUM «REVOCAVIT TRIDENTINUM DICTA SESS. **24** CAP. **12** AC DECLARAVIT « S. CONGREGATIO EPISCOPORUM IN LANCIANÉN. **4** APRILIS **1607**

« inquiens quod causa iusta debet approbari non solum a « Capitulo sed etiam ab Ordinario ».

Neque ad gratiam recurrere licet; nam princeps non rescribit in praeiudicium tertii ***cap. dudum de privil. cap. Quamvis in fin. de rescript, in 6*** firmatque Lambertin. ***de iurepat, lib.*** *2,* ***p.*** *3,* ***q. o.*** in themate praeiudicium adest, nedum respectu Ecclesiae quae privatur quorumdam servitio, sed aliorum etiam respectu participantium, quibus de iure dictae distributiones accrescere deberent ***Trid. Sess.*** *21* ***cap.*** *3* ***de reform.*** Pigliateli, ***consult. 144 n.*** *17* ***tom. i.***

Si dici velit quod tempus urgeret, nec poterat dispensatio haec impetrari ; id valere posset pro tempore quo bellum seviit, non autem tempore posteriori ; eoquod cum indultum a Gubernio datum fuisset, iure patriam remeare poterant Canonici. Et ideo legitima saltem destituuntur causa pro eo tempore.

EA QUAE CANONICIS FAVENT. - Obliviscendum haud est, tres a iure exhiberi causas, quibus extantibus non modo absentes lucrantur suae praebendae fructus, sed et distributiones quotidianas. Quas causas recenset Bonifacius VIII ***decret, cit.,*** et sunt ***infirmitas, iusta et rationabilis corporis necessitas, et evidens Ecclesiae utilitas.*** Quod autem Canonici de quibus agitur excusentur a causa quae audit ***iusta et rationabilis corporis necessitas,*** facile evincitur per S. C. C. quae ***in Fundana diei*** *3* ***iulii*** *1733* ***et in Carpen.*** *12* ***sept.*** *1616* tenuit, Canonico absenti ex causa inimicitiarum, vel propter metum principis temporalis, ***utpote absenti ex iusta causa*** deberi distributiones quotidianas et fructus ad normam absentium ex causa infirmitatis. Mens enim Pontificis, ut habet Rota ***cor. Molines dec.*** *808* ***n.*** *8* ***seqq. in dicto cap. unico*** « fuit ab istis excludere « distributionibus negligentes vel contemnentes residere, non « autem impotentes, et impotentia dicitur quando absentia « non est voluntaria, sed ab aliquo facto causatur, ita ut non << stet per beneficiatum quominus resideat ».

Quoad licentiam duobus canonicis impertiendam ab Episcopo vel a Capitulo respondit Pignatell. ***loc. cit. n. 4,*** ibi:

« Verum quoad licentiam obtinendam ab Episcopo et capitulo « requisitam ***d. cap. Relatum de Cler. nom resid. atque ex Con-« cilio Tridentino cap. i Sess.*** *23* ***de reform,*** dicendum est, « solum esse necessariam in Episcopis, et Curatis, non autem « Canonicis non exercentibus curam animarum, sed habenti-« bus legitimam absentiae causam de iure permissam ***ex Bar-« thol. de S. Faust, de hor. Canon. lib.*** *3,* ***quaest, g, Rice, in « Collectan. decis.*** *2432* ***far.*** *6* et pluribus aliis tradit Barbos. ***« de Canon, et dignit. cap.*** *4,* ***sub. n.*** *26.*

« Quare ut distributiones quotidianae debeantur Canonico « absenti ex iusta causa satis est quod faciat suas protesta-« tiones, saltem si causa non est notoria,[1] secus autem quando « est notoria, Rota apud Farinae, ***p.*** *2* ***t. decis.*** *244* ***n. i ».***

Quod autem prudentia suaderet canonicis ne citius indulto crederent, dubitandum non est. Stultum nam potius fuisset fidem illico praestare ***liberalium*** verbis, ceu tristis postea experientia docuit. Multi enim ex eius qui tantae clementiae innixi, patriam protinus remearunt, poenis et aerumnis ***liberaliter*** pressi sunt.

Quibus praemissis in utramque partem, enodandum propositum fuit

Dubium.

An et quomodo ius competat absentibus canonicis participandi distributionibus in casu.

RESOLUTIO. Sacra Concilii Congr. sub die **20** iulii **1878,** re mature perpensa, dubio proposito responsum dedit:

Affirmative pro toto absentiae tempore, deductis expensis pro stipendiis Missarum aliisque oneribus.

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Distributiones ex iure communi deberi illis tantum qui divinis officiis celebrandis intersunt ; ideoque minime deberi

[1] Fuga duorum canonicorum in parva civitate adeo pervulgata fuit, ut omnibus notissima esset.

clerico respectu tituli, aut tamquam Canonico, sed tamquam divinis officiis inservienti.[1]

II. Proinde Tridentinum ***Sess. 24 cap. 12 de ref.*** in usum revocando decretum Bonifacii VIII « ***Consuetudinem*** » praecepisse « ***Distributiones vero, qui statutis horis interfuerint, recipiant', reliqui, quavis collusione, aut remissione exclusa, his careant »***.

III. Neque licere Capitulo, aliquo sub praetextu, distributiones quotidianas donare, relinquere, aut quavis collusione remittere alicui, qui ab Ecclesiae servitio abfuerit, vel alio quovis modo -distributiones legitimas debeat amittere.

IV. Verumtamen ceu amantissima mater Ecclesia humanitate ac pietate morbo vexatos, prosequitur, eisdem distributiones concedendo ceu choro praesentibus, sic agit cum illis qui ob legitimum corporis impedimentum divinis officiis interesse nequeunt.

V. Ideo Canonicum ob iustum inimicorum metum domo non egredientem, aut loco suae residentiae iniuste exiliatum, non privari distributionibus, quum ius naturale dictet, neminem sine culpa esse puniendum.

VI. Huiusmodi ecclesiae disciplinae spiritum esse, ut negligentes aut residere contemnentes a distributionibus arceantur, non vero impotentes sive per morbum, sive per involuntariam absentiam.

VII. Canonicos in themate, patriam dereliquisse et in exilium ivisse ob partium inimicitias; et ideo excusari videntur

[1] Ivo Charnotensis in Epistola 219 ad Paschalem Papam sic loquitur de huiusmodi distributionibus a se primitus invectis: « Cum in compluri-
« bus Canonicorum Charnotensium desuevisset disciplinae regularis obser-
« vantia, ut de negligentibus facerem diligentes, de tardis assiduo ad fre-
« quentandas Horas Canonicas, deliberavi apud me, ut darem eis dimidiam
« Praeposituram, ut inde fieret quotidianus panis quem acciperent assidui,
« amitterent tardi; ut quos panis externi dulcedo non movebat, panis cor-
« poris refectio provocaret, quamvis eorum annua Praebenda ad hoc sut-
« fidens esset ». Ius pontificium, idem constituit, atque Tridentina Synodu s eamdem confirmavit disciplinam.

a chori praesentia per ***iustum ac legitimum corporis impedimentum*** ceu excusarentur tempore quo vehementer pestis grassaretur.

VENIAE AD MATRIMONIUM.

PER SUMMARIA PRECUM.

Die 14 decembris 1878.

Compendium facti. Nobilis Comes L. Z. quum iam per annos sex vitam degerit communem cum muliere sibi matrimonio devincta ; et hoc tempore, pluries, sed perperam matrimonium consummare conatus sit, vinculi dissolutionem petiit ab Archiepiscopali Curia. Haec per formale iudicium sententiam protulit : matrimonium esse nullum propter viri impotentiam antecedentem, absolutam atque insanabilem ; cautumque fuit ne comes ad alias nuptias convolare posset. Aegro tulit animo Comes secundam sententiae partem; ideoque recursum habens apud S. C. Congregationem,[1] enixis viribus quaesivit ut sententia Curiae Archiepiscopalis infirmaretur in ea parte, qua sibi vetitus fuit ad alias nuptias transire. Sacra vero C. C. respondit: ***sententiam Curiae esse reformandam, ita ut Corniti L. Z, non liceat transire ad alias nuptias, nisi petita prius*** *et* ***obtenta venia ab Apostolica Sede.*** Quae resolutio confirmata fuit in Congregatione diei **23** martii **1879.**

Hinc supplici dato libello petiit Comes facultatem ad alias nuptias convolandi, asseverans matrimonium antecedens resolutum fuisse ob arctitudinem mulieris et ob adversionem coeundi, qua mulier illa laborabat. Sese tamen, haud laborare impotentia absoluta ait, conatusque est id probare per novas medicorum depositiones. Adiecit quoque decipere aliam mulierem, catholicam Religionem haud sibi permittere ; neque se

[1] Synopsis huius matrimonialis quaestionis prostat pag. 134, vol. XI.

velle, cum conscientiae periculo, vitam in invita solitudine transigere eo fortius quia fratre et sorore careret.

Salutaris artis periti referunt virum sanum,, summeque robustum esse, nullamque secumferre abnormitatem ; tantumque testes esse exiguos relate ad corporis magnitudinem; sed aptum esse ad coeundum, et filios ex suo semine procreandos. Ordinarius quoque commendavit Comitem pro gratia.

Disceptatio synoptica.

EA QUAE GRATIAE CONCESSIONI FAVENT. Orator Comitis innixus Medicorum testimoniis, qui virum referunt copulae potentem, generationique aptum, strictius arguit impotentiam illius relativam fuisse, auctamque antipatia coeundi, qua uxor laborabat. Quapropter omnino appositam clausulam esse expungendam quia cum structura corporis ipsius normalis sit, ***contra praesumptionem naturae non debet iudex esse promptus ad ferendam sententiam,*** iuxta ea quae Ancharanus tradidit ***in cap. Laudabilem de frigid., et maleficiat.;*** et quia hisce in causis maxime deferendum sit peritorum iudicio, qui ipsum copulae aptum iudicarunt.

Cum Comitis potentia etiam ex noviter adductis documentis magis confirmetur, ideo, ait Orator, preces eiusdem excipiendae sunt, ne in magnum conscientiae discrimen, ob perpetuam continentiam, Comes adducatur. Idque factum fuisse in durioribus casibus a S. C. Concilii prouti testantur ***Bononien. Matrimonii*** *23* ***aprilis*** *1842,* ***Neapolitana Relationis status liberi diei*** *24* ***septembris*** *1864* ***et Neapolitana Veniae ad matrimonium diei*** *4* ***septembris*** *1875.*

Hisce praenotatis E E . CC. iudicio remissum fuit decernere quid precibus Comitis esset respondendum.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re ponderata sub die **16** dec. **1878** censuit respondere : ***Arbitrio et conscientiae Episcopi.***[1]

[1] Solet prudenter S. Congregatio Concilii, quum matrimonium impotentiae causa resolvatur, addere clausulam, vetito coniugi transitu ad alias nuptias, si dubium supersit quod impotentia absoluta et perpetua sit. Atta-

EX S. CONGR. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

SACRARUM FUNCTIONUM.

Die 20 septembris, 20 decembris 1878 et 14 martii 1879.

Compendium facti. Parochus e Dioecesi 5. ad sua protuenda iura usque ab anno **1875,** prius proprium Ordinarium, dein S. Congregationem E. et R. adibat, enarrans : paroeciam sibi concreditam ex 3400 constare fidelibus totamque comprehendere civitatem *T.* Edixit etiam in Ecclesia matrici, quae insignis est Collegiata, Missam parochialem circa horam diei septimam per singulas anni Dominicas celebrari, et illico evangelium explanari, aut haberi sermonem. Hisce in propatulo missis, prosequutus est Parochus : praeteritis annis numquam mos fuit celebrandi Missam in aliqua Civitatis Ecclesia cum campanarum pulsatione, neque ante, neque celebrationis Missae parochialis tempore. Nunc autem Missa parochialis perturbatur ab Ordinibus religiosis hic degentibus ; qui freti, **ut** aiunt, specialibus constitutionibus, vi quarum putant, neque Ordinarium, aut Dioecesanum Ordinariatum, neque Superiorem Loci ecclesiasticum posse eisdem praepedire, qualibet ex causa, campanarum pulsationem, vel functionem quamlibet extraordinariam in suis ecclesiis peragendam.

men per hoc minime censet impedimentum dirimens constituere, sed simplicem prohibitionem ; ita ut qui huiusmodi prohibitionem negligerei nuptias contrahendo, *illicite* **ageret, sed** *valide.* **Quum tandem** *venia* **ad matrimonium per S. C. Congregationem viro conceditur, cuius impotentia dilucide haud probata fuerit, addi etiam solet** *cum vidua tantum.* **In casu impotentia viri visa est respectiva et S. Congregatio nullam addere limitationem censuit; sed rem prudentiae et conscientiae Episcopi remisit, qui postulantem bene noverat, et pro quo iam oraverat apud S Congregationem.**

Et pro nihilo habentes oratoris preces, celebrare volunt vel ante vel Missae paroecialis tempore cum campanarum pulsatione. Proinde divini verbi obiectum frustratum fit, ceu experientia docet ; populus enim, praecipue aestivo tempore, simplicem potius intervenit ad audiendam Missam in Ordinum Regularium Ecclesiis, quam parochialem, in qua verbum Dei evangelizatur. Haud praetereundum, adiecit orator, adesse hac in civitate duos Conventus ; alterum Dominicanorum, alterum Franciscalium ab observantia nuncupatorum.

Hinc ne spirituale damnum capiat populus sibi commissus, tria proposuit «enodanda dubia, quae in calce, tantisper modificata, escribimus. Sacra Congregatio in re tanti momenti votum Episcopi, nec non PP. Generalium Praedicatorum et Minorum Observantium, et duorum consultorum quaesivit. Hinc breviter referemus quidquid ab eisdem dictum fuit super tribus propositis dubiis.

Disceptatio synoptica.

VOTUM EPISCOPI. Quoad primum dubium Antistes censuit esse respondendum affirmative iuxta Bened. XIV ***Instit.*** *44,* ***de Synod. Dioecesana, lib.*** *12,* ***c.*** *7,* ***n. 7.*** Haud negat Episcopus Regulares huiusmodi frui privilegiis et exemptione; sed putat propriae favere opinioni antequam consuetudinem contrariam, et praxim, qua fit ut verbum Dei in Collegiata tantum explanetur, et ideo ex nova consuetudine magnum enascitur spirituale discrimen.

Secundo dubio facile responderi posse, ait, per liquidas iuris canonici dispositiones quae ulla non indigent declaratione ***S. C. C. in Urbin.*** *1739;* ***B erbosa, de officio Parochi, Bened. XIV. Instit.*** *103,* ***n.*** *32* ***et Syn. Dioec. I.*** *9,* ***cap.*** *13,* ***n.*** *4* ***e*** *3.*

Tertium dubium resolvi debere, ait, per ***Trid. Sess.*** *22,* ***de observandis et vitandis in celeb.*** Missae « ***Singuli Episcopi in suis Dioecesibus interdicant, ne cui vago et ignoto Sacerdoti Missas celebrare liceat ».***

P. GENERALIS OBSERVANTIUM VOTUM. Praemonuit iste Regulares tempore Missae paroecialis posse celebrare cum campanarum pulsatione vi Constitutionis Pii V. ***Etsi mendicantium.*** Quoad consuetudinem contrariam, ait, istam attendi nequire, eoquod Regulares iam contra illam protestationem emiserint. Ideoque ne perturbetur explanatio divini verbi impediri nequit campanarum pulsatio, tempore Missae paroecialis. Censuit etiam vetari non posse celebrationem Missae, tempore Missae paroecialis, vi dictorum privilegiorum.

Relate ad secundum dubium, quoad Regulares tantum, loquitur de extraordinariis functionibus introducendis, de consuetis alterandis et de processionibus. Et quoad duo priora censuit Regulares peragere posse functiones omnes in suis Ecclesiis ; quia Apostolica Sedes excepit tantum a facultatibus generalibus solemnem et publicam SSmi Sacramenti expositionem, nec non publicas preces atque collectas ***S. C. Rituum*** *io* ***decem.*** *1602.*

Circa ultimum quaesitum cum Episcopo convenit, adiiciens S. Inquisitionis decretum in fine relatum ïn nota.

Cui sententiae adhaeret P. Generalis Dominicanorum, qui aliquid adiecit de privilegiis sui Ordinis quoad processiones Corporis Domini per Constitutiones S. Pii V et Clementis VIII; et quoad SSmum Rosarium per Breve Benedicti XIII, *In* ***supremo*** *io* ***aprilis*** *1725.*

ANIMADVERSIONES EX OFFICIO. Relate ad primum dubium animadversum fuit, campanarum pulsationem habere relationem ***ad extra,*** neque actum constitui qui infra claustra Regularium permaneat. Proinde ne disciplinae vis rumpatur, haud exempti Regulares videntur in hoc. Idque convenire videtur cum iuris dispositione; qua fit ut Ordines Mendicantium unam tantum campanam habere possint. Quae prohibitio etiam respicere potest unius campanae pulsationem ; quatenus alibi populum vocet, eumque ab explanatione verbi divini amoveat. Quod convenit cum decreto Rituum *io* ***dec.*** *1703* ***ad*** *10,* et cum Episcopali iurisdictione Card. De Luca, ***de iurisd., n.*** *io*

« Campanae stare debent ad convocandum populum, cum « illae sint species praedicatorum, populum ad fidem, et divina « vocandum et invitantium, ideoque ipsarum cura, admini- « strado et iurisdictio esse debet Episcopi, cuius est Ecclesia, « et cui incumbit populi cura spiritualis, pro qua huiusmodi « usus est introductus ».

Animadversum quoque fuit ex alia parte nonnullas iuris prohibitiones modificatas, tractu temporis, fuisse; notumque est Regulares haud obstringi hac in Civitate Romae unam tantum habere campanam. Et apud Ferraris ***v. Campana, n. 16*** varia reperiuntur relata privilegia ; et S. Pius V in Constit, incip. ***Etsi Mendicantium,*** § ***22*** ibi « Prohibemus insuper « eisdem Ordinariis ac aliis quibuscumque personis, ne impe- « diant ipsos fratres, quando eis placuerit, tam in diebus « dominicis, seu festivis, aut aliis totius anni temporibus cam- « panas pulsare, et etiam tempore, quo ipsi celebraverint, « Missas celebrare. Imo prius quam Parochi celebrent ex eod. « Pio V § **8** eiusd. Constit. ***Etsi mendicantium*** ibi ***Nec non « Missas et divina officia eiusmodi etiam in diebus Dominicis « vel festivis,*** etiam antequam Rector Parochialis Ecclesiae « celebraverit, celebrare, et facere quando eis videtur » Sacra Congregatio io octobris **1586:** «Ordinarii non impediant « fratres pulsare campanas ad matutinum ac horas et Missam, << antequam pulsetur campana maioris ecclesiae, praeterquam « in die Sabbati Sancti ».

VOTUM CONSULTORIS. Primum dubium, ait iste, respicit in prima parte presbyteros Saeculares, in secunda vero respicit Regulares. Prima pars ita generalis est, quae comprehendit etiam Canonicos; ideoque mirandum est, quod Episcopus revocari velit in dubium canonicorum ius, quo ad chorum vocantur per campanarum pulsationem, et quo Missam conventualem celebrare debent, etiam Missae Parochialis tempore. Quaestionis huiusmodi fundamentum ponit Episcopus in onere, quo gravantur parochi explanandi Verbum Dei tempore Missae paroecialis. Ast observatione dignum est Tridentinum,

Sess. *22* sic alloqui Parochos: ***moneant*** (fideles) ***ut frequenter ad suas parochias, saltem diebus dominicis et festis maioribus accedant.*** Quibus verbis fideles non obligantur paroeciam petere, sed exorantur, Bened. XIV ***de Syn. Dioec. I. u, cap.*** *14, § 10* ***enim vero non praecepto adigendam, sed hortationibus ad id alliciendam plebem.***

Ast facta hypothesi quod dubio responsum detur ***affirmative;*** tunc Episcopus, innixus exhortationi fidelibus a Tridentino peractae, adsistendi nempe Missae paroeciali, praepedire posset ut canonici per campanarum pulsationem ad chorum et ad Missam conventualem vocarentur, ad quae iure obstringuntur.

Quum Bened. XIV loquutus fuisset de potestate quam Regulares habent, tum celebrandi, tum campanas pulsandi, sibi quaestionem proposuit: « Quid autem dicendum quoad « alias Ecclesias, nullo privilegio ac iure a Sede Apostolica «donatas?». Cui respondit: «Integrum hodie omnibus esse « in qualibet ecclesia, modo non sit Cappella seu Oratorium « privatum, sacris misteriis interesse; quia contraria consuetu- « dine, in toto christiano orbe recepta, derogatum est prae- « cepto audiendi missam parochialem ». Et Barbosa ***in Collet, ad Trid. Sess.*** *22* ait: « Non posse hodie Episcopum praeci- « pere suis subditis, ut se sistant Missae parochiali, quia non « potest delere consuetudinem, quae cum vigebat in toto orbe, « iam induit naturam iuris communis ».

Ius autem pulsandi campanas, et Missam celebrandi quo tempore libeat, conceditur Regularibus a S. Pio V per Constitutionem ***Etsi mendicantium.*** Quae Constitutio confirmatur per resolutiones SS. Congregationum: ut videre est in una ***Taurinen.*** *29* ***septembris*** *1742* Sacrae Congr. EE. e RR. et apud S. C. Concilii ***in Com. funerum et functionum parochialium i g dec.*** *1750* ***dub.*** *8* ***et in Aquensi i g maii et g iunii*** *1760 ;* nam proposito dubio:

« An Patres Carmelitae possint dare signum campanae « et celebrare missam in diebus festivis, eodem tempore vel

« antequam detur signum et celebretur missa Parochialis » : responsum fuit : ***Affirmative.***

Pro eo quod ad clerum saecularem respicit opportuna adest resolutio S. C. Concilii in una ***Nullius provinciae Calabriae u iulii*** *1682.* Etenim ad dubium : « An Ordinarius ad « instantiam Rectoris Ecclesiae parochialis possit praecipere « rectoribus aliarum Ecclesiarum non parochialium eiusdem « terrae ac districtus, ne missas celebrent antequam absoluta « fuerit missa conventualis, quae in ipsa parochiali quotidie « celebratur. Die etc. S. Congregatio censuit: Non posse « Ordinarium id prohibere ».

Quoad primam partem secundi dubii, idest quoad functiones extraordinarias, censuit Consultor ita esse dicendum ; nempe quod eaedem introduci possint, quatenus ritui Ecclesiae praestituto haud adversentur, ius tertii non ledânt, neque a Conciliis, aut a RR. Pontificibus, neque per SS. Congregationum decreta prohibitae fuerint. Ecclesiae enim onficiandae sunt ut populorum pietas excitetur; et ideo functio quaelibet extraordinaria fieri potest relatis comitata conditionibus. Si v. gr. in aliqua Ecclesia saeculari vel regulari quis vellet Missas canere, officia recitare et SSfhum Rosarium, aut functiones palmarum et cinerum numquam in eisdem ecclesiis peractas agere vellet, dici ne posset illum introducere functiones extraordinarias? Functiones huiusmodi, pro fidelium pietate et devotione praestitutae, nullimode iura offendunt parochialia. Quapropter opportunum censuit Consultor respondere primae parte dubii, verbis ipsis Benedicti XIV ***fnstit.*** *105:* « Accedit, dicit, quod Concistoriales advocati pro veritate con- « silium ferentes, asseruerunt nullum a Parocho impedimentum « afferri posse, ne functiones illae in aliis ecclesiis indicantur, « quamvis intra suae Parochiae limites positae sint ».

Ut nullum supersit dubium quoad processiones peragendas a sacerdotibus saecularibus aut regularibus, s. Congregatio Rituum die **12** ianuarii **1726** decretum edidit huius tenoris :

« Sacra Congregatio censuit Regularibus et Confratribus « in regularium ecclesiis erectis permissum esse processio- « nes facere intra eorum ecclesias et claustrum tantum, et « non extra. Si vero ecclesiae claustro careant, eisdem Regu- « laribus et confratribus licere processiones facere intra ambi- « tum dumtaxat earumdem ecclesiarum, hoc est prope muros « Ecclesiae et non extra dictum ambitum nisi de licentia aut « consensu Episcopi, vel cum cruce parochiali, non obstan- « tibus quibuscumque consuetudinibus, vel praescriptionibus « immemorabilibus. Privilegiis tantum Apostolicis S. Concilio « Tridentino posterioribus in suo robore permanentibus, qui- « bus per hoc decretum minime derogatum censeatur ».

Aliud existit decretum eiusdem S. C. Rituum diei io decembris **1602** continens exceptione pro Regularibus quoad expositionem SSmi Sacramenti. « Non liceat Regularibus etiam « in propriis Ecclesiis SSmae Eucharistiae Sacramentum « publice adorandum exponere, nisi ex causa publica, quae « probata sit ab Ordinario. Ex causa autem privata possint, « dummodo SSmum Sacramentum tabernaculo non extra- « hatur, et velatum maneat ita, ut ipsa Hostia videri non « possit ».

Convolans tandem ad tertium dubium censuit Consultor esse respondendum negative ; innixus tum Tridentino, ***Sess.*** *20* ***de observandis et vitandis in celebratione Missarum,*** tum decreto S. U. Inquisitionis diei **11** augusti **1649.**

VOTUM ALTERIUS CONSULTORIS. Primum dubium, ait iste, respicit Ecclesias saeculares, et regulares. Quoad istas quaestio de Campanarum pulsatione et de Missis celebrandis tempore Missae paroecialis resoluta fuit a S. Pio V per constitutionem ***Etsi mendicantium*** **16** maii **1567** pluries citatam. Et S. C. Concilii in una ***Nullius*** Provinc. Ravenn. die **15** septembris **1629.**

Quoad Ecclesias saeculares animadvertendum est cum Bened. XIV de Synod. Dioec. lib. **12,** c. **7,** n. **7** : « Quamvis « a S. C. Concilii saepius decisum fuerit de rigore iuris non

« posse a Parocho prohiberi, ne in publicis oratoriis, sitis « intra suae paroeciae fines Missae celebrentur ante Missam « parochialem ... nihilominus si Episcopus de Synodo aut « etiam extra Synodum contrarium iusserit, ne/ populus retra- « hatur a Missa parochiali et concione in ea per Parochum « haberi solita, Episcopi praeceptum praevalebit, eique obtem- « perandum. etiam ex eiusdem Sacrae Congregationis sen- « tentia ».

Veniens Consultor ad secundum dubium, ait : Apostolicam Sedem nullum imposuisse limitem Regularibus quoad functiones intra Ecclesias ipsorum peragendas, exceptis SSñii Sacramenti expositione, publicis collectis et precibus ex Decreto S. R. C. io dec. **1602.** Hinc nil potest Episcopus quoad huiusmodi functiones ordinarias vel extraordinarias, dummodo hae iura parochialia non laedant.

Processiones autem quae fiunt extra ecclesias, generaliter fieri nequeunt absque Parochi aut Episcopi consensu. Sic plu- ries resolutum fuit per S. C. E. et R. et praecipue in ***Pientina Functionum ecclesiasticarum*** in sexto dubio. Idem confirmatur per Bened. XIV. Institutione **105,** nn. **51, 52.** Ab hac gene- rali norma, qua Regulares prohibentur pervadere cum pro- cessionibus territorium parochiale, excipiuntur Dominicani, quoad processionem SSmi Rosarii in Dominica prima octobris, et quoad processiqnem SSmi Sacramenti in Dominica infra octa- vam ***Corporis Domini*** iuxta Bullam in forma Brevis Bene- dicti XIII, io aprilis **1725.**

Censuit etiam Consultor per decretum Urbis et Orbis S. R. C. **1703** provisum fuisse cuilibet quaestioni huius generis quae exoriri possent in Ecclesiis saecularibus.

Tertio Dubio applicari debet, ait consultor, praeter san- ctiones Tridentini, ***Sess.*** *20* ***de servandis et vitandis*** in celebra- tione ***Missarum,*** Decretum s. Officii **11** augusti **1649** pluries citatum.

Quibus hinc inde praenotatis, S. Congregationi E. et R. enodanda proposita fuere

Dubia.

« I. An Ordinarius, vel eius repraesentans impedire possit « campanarum pulsationem, ante vel tempore Missae paroe- « cialis in omnibus Ecclesiis' Dioecesis, efficiatis per sacerdotes « saeculares aut regulares ».

« II. An sacerdotes saeculares, Cappellani aut Rectores, « aut eorumdem respectivi Superiores Regulares possint intro- « ducere functiones extraordinarias, vel alterare consuetas in « suis ecclesiis, aut facere processiones absque praevia licentia « Episcopi, aut illius repraesentantis ».

« III. An Superiores Regulares Conventuum admittere « possint ad celebrationem S. Missae in propriis ecclesiis ali- « quem sacerdotem extraneum absque praevia licentia supe- « rioris ecclesiastici localis ».

RESOLUTIO. Sacra Congr. E. R. causa pluries discussa sub die **14** martii **1879** censuit respondere:

Ad I. Reformato dubio : « an Ordinarius vetare possit « campanarum pulsationem, ante vel tempore Missae paroe- « cialis in omnibus Dioecesis Ecclesiis, officialis per sacerdo- « tes saeculares aut regulares ? Quoad presbyteros saeculares « Episcopus utatur iure suo, nisi laudabilis consuetudo vel « privilegium obstet. Quoad Regulares negative, excepto Sab- « bato Sancto ».

Ad II. Reformato dubio : « an sacerdotes saeculares Cap- « pellani aut Rectores, et an Superiores regulares possint « introducere functiones extraordinarias, alterare consuetas in « respectivis ecclesiis et processiones facere, absque praevia « Ordinarii licentia ? » .

«c Quoad saeculares Ordinarius utatur iure suo, servatis « resolutionibus sacrarum Congregationum, et praesertim S. Ri- « tuum Congregationis anno **1703** Urbis et Orbis.[1] Quoad

[1] Decretum huiusmodi, in quo triginta tres enodatae sunt gravissimae quaestiones circa functiones ecclesiasticas, videre poteris Vol. I, pag, 591,* in nota.

« regulares affirmative, servatis resolutionibus ut supra, exce-
<< ptis processionibus extra Ecclesiae ambitum, salvis, pro ali-
« quibus processionibus, specialibus privilegiis ».

Ad III. « Detur Decretum S. Inquisitionis ».[1]

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Ordinarios curare debere quaecumque in Dioecesi ad Dei cultum spectant, atque his, ubi oportet, provide servando quoad Ecclesias saeculares SS. Congregationum resolutiones, et praecipue decretum ***Urbis et Orbis*** anno **1703** S. Rituum Congregationis, per quod quamplurimis provisum fuit quaestionibus, quae exoriri possent in ecclesiis saecularibus.

II. Episcopos posse quoad saeculares ecclesias iubere in Synodo aut extra Synodum, ne missae celebrentur in publicis oratoriis ante missam paroecialem, ne populus retrahatur a Missa parochiali et concione, in ea per Parochum haberi solita; et Episcopi praecepto obtemperandum est ex declarationibus ipsius S. C. Concilii.

III. Nequire tamen Episcopos praepedire, excepto sabbato sancto, ne Regulares in propriis ecclesiis campanas puisent, ante vel tempore Missae paroecialis, dum S. Pius V, per Constit. ***Etsi mendicantium*** Ordinariis prohibuerit, ***ne impediant ipsos fratres quando eis placuerit, tam diebus dominicis seu Festivis, aut aliis totius anni temporibus campanas pulsare, et etiam tempore quo ipsi celebraverint celebrare.***

IV. Locorum Ordinarios non posse suis subditis praecipere, ut se sistant Missae paroeciali, quia deleri nequit

[1] En in lectorum commodum dictum decretum. «Die 11 Augusti 1649 « in Congr. S. O Emi Rmi Cardinales Inquisitores mandarunt intimari « Superioribus Religionum quod mandent suis subditis Monasteriorum et « Conventuum Superioribus, ne admittant ad celebrandum in eorum eccle- « sus, eorum vel alterius Religionis ceteros, vagos, seu peregrinos, nisi « examinatis diligenter litteris obedientiae, seu assignationis eorum Supe- « riorum, et testimonialibus promotionis ad sacerdotium ; quo vero ad sacer- « dotes saeculares, nisi visis litteris testimonialibus, subscriptis a Vicario «generali, seu foraneo Episcopi loci».

contraria consuetudo interessendi sacris mysteriis, in qualibet publica Ecclesia, quae eum vigeat in toto orbe, iam induit naturam iuris communis.[1]

V. Ordines autem Regularium quascumque facere posse functiones, absque licentia Episcopi, in propriis ecclesiis, servatis tamen Ss. Congregationum resolutionibus ; et exceptis processionibus extra ecclesiae ambitum ; salvo Dominicanis speciali privilegio quoad processiones Corporis Domini et Sanctissimi Rosarii.

VI. Episcopos facultate pollere, etiam vi decreti Tridentini ***Sess.*** *22,* iubendi Regulares exemptos, sub poena etiam suspensionis, ipso facto incurrendae, ne quempiam exterum Sacerdotem celebrare permittant in propriis ecclesiis, absque praevia Episcopi licentia.

EX S. CONGREGATIONE S. R. U. INQUISITIONIS

DECISIO DUBII.

An baptismum conferri debeat sub conditione haereticis qui ad ecclesiam catholicam redeunt a quacumque secta.

Die 29 novembris /878.

Emi Patres Inquisitores Generales in Congregatione generali feria VI **20** novembris **1878,** resolutionem dederunt dubio, an Baptismum conferri debeat ***suo conditione*** haereticis

[1] **Communior est opinio, quod paroeciani satisfacere possint praecepto audiendae Missae non solum in ecclesiis, sed etiam in oratoriis domesticis et privatis Regularium. Quia ista oratoria gaudent privilegio, quod est locale; dum privilegia oratorii saecularium sint personalia, nempe pro illis personis tantum, quibus conceditur. Oratoria autem regularium per modum habitus deputantur dumtaxat ad divinum cultum.**

illis, qui redeunt in sinu catholicae Ecclesiae a quacumque secta ipsi proveniant. Deinde casum conscientiae quoque contemplati sunt a Gury propositum pag. **393** editionis Melitae **1878;** et constituerunt, eumdem casum corrigendum esse iuxta terminos dicti decreti. Nos autem et casum dicti auctoris et decretum S. Inquisitionis lectoribus exhibemus.

GURY - CASUS CONSCIENTIAE - MELITAE **1878** PAG. **393.**

Sabellinus haereticus veniens ad parochum petit instrui et admitti ad Ecclesiam catholicam. Parochus vero eum instructum interrogat de suscepto baptismo, nec potest certum defectum invenire ; hinc haeret anceps utrum illum sub conditione baptizare debeat, quod tandem, non absque magna anxietate praestat. R. Sabellinus rebaptizare ***{sic sed omnino legendum est rebapttzari)*** potuit et debuit, ut fert mos generalis ecclesiae, quia notum est, haereticos errare saepius in baptismo conferendo ; ergo prudenter haeretici ad veram fidem conversi communiter rebaptizari solent.

Feria VI, **20** novembris **1878.** Proposito dubio: « Se debba il Battesimo ***sub conditione*** conferirsi agli eretici che si convertono alla religione cattolica, da qualunque luogo provengano ed a qualunque setta appartengano ? » (latine vero - An baptismum ***sub conditione*** conferri debeat haereticis, qui se convertant ad religionem catholicam, a quocumque loco proveniant et ad quamcumque sectam pertineant?).

Responsum fuit - ***Negative.*** Sed in conversione haereticorum a quocumque loco, vel a quocumque secta venerint, inquirendum de validitate Baptismi in haeresi suscepti. Instituto igitur in singulis casibus examine, si compertum fuerit aut nullum, aut nulliter collatum fuisse, baptizandi erunt absolute. Si autem pro tempore et locorum ratione, investigatione peracta, nihil sive pro validitate, sive pro invaliditate detegatur, aut adhuc probabile dubium de baptismi validitate

supersit, tum *sub conditione* secreto baptizentur. Demum si constiterit validum fuisse, recipiendi erunt tantummodo ad abiurationem seu professionem fidei.

I. PELAMI, S. R. U. Inquisit. *Notarius.*

Decisio quoad explicationem transsubstantiationis in Ss. Eucharistiae Sacramento, factam per quatuor propositiones.

Humillime rogat Praepositus generalis Societatis Iesu S. Supremam Congr. S. Officii, ut declarare dignetur utrum tolerari possit explicatio Transsubstantiationis in Ss. Eucharistiae Sacramento, quae sequentibus propositionibus comprehenditur :

I. Sicut formalis ratio hypostaseos est *per se esse* seu per se subsistere, ita formalis ratio *substantiae* est *in se esse* et actualiter non sustentari in alio tanquam primo subiecto ; probe enim ista duo discernenda sunt: *esse per se* (quae est formalis ratio hypostaseos) et *esse in se* (quae est formalis ratio substantiae).

II. Quare sicut natura humana in Christo non est hypostasis, quia non *per se* subsistit, sed est assumpta ab hypostasi superiori divina, ita *substantia* finita, ex. gr. substantia panis, desinit esse *substantia,* eo solum et absque alia sui mutatione, quod in alio supernaturaliter substentatur, ita ut iam non *in se* sit, sed in alio ut in primo subiecto.

III. Hinc transubstantiatio, seu conversio totius *substantiae* panis in substantiam corporis Christi Domini nostri explicari potest hac ratione, quod Corpus Christi, dum fit substantialiter praesens in Eucharistia, sustentat *naturam panis,* quae hoc ipso et absque alia sui mutatione desinit esse *substantia,* quia iam non est *in se,* sed in alio sustentante ; adeoque manet quidem *natura panis,* sed in ea cessat formalis ratio *substantiae ;* et ideo non duae sunt substantiae, sed una sola, nempe corporis Christi.

IV. Igitur in Eucharistia manent materia et forma elementorum panis; verum iam in alio supernaturaliter existentes

RATIONEM SUBSTANTIAE NON HABENT, SED HABENT RATIONEM ***super-naturalis accedentis,*** NON QUASI AD MODUM NATURALIUM ACCIDENTIUM AFFICERENT CORPUS CHRISTI, SED EO DUMTAXAT QUOD A CORPORE CHRISTI MODO, QUOD DICTUM EST, SUSTENTANTUR.

ROMAE, **20** MAII **1875.**

Feria IV, die 7 ***iulii*** *1873.*

IN CONGREGATIONE GENERALI S. ROMANAE ET UNIVERSALIS INQUISITIONIS HABITA CORAM EMINENTISSIMIS AC REVERENDISSIMIS DD. S. ROMANAE ECCLESIAE CARDINALIBUS CONTRA HAERETICAM PRAVITATEM INQUISITORIBUS GENERALIBUS, LECTIS AC PONDERATIS SUPRASCRIPTIS PROPOSITIONIBUS, IIDEM EMINENTISSIMI DOMINI DIXERUNT : ***Doctrinam transubstantiationis, prout hic exponitur, tolerari non posse.***

PRO DNO I. PELAMI,
.S. ***Rom. et Univ. Inquisitionis, Notario.***
Iacobus Vagaggini, *Substitutus.*

EX S. CONGREGATIONE INDULGENTIARUM

DECRETUM.

QUO CONCEDITUR SOCIETATI, QUAE AB ADORATIONE ETC. NOMEN HABET, TRANSFERRE ROMAM ARCHICONFRATERNITATEM EIDEM SOCIETATI ADNEXAM, ET UNIRI CUM ALIA ARCHISODALITATE ROMAE ERECTA IN AEDIBUS AD QUATUOR FONTES.

SOCIETAS SORORUM, QUAE AB ADORATIONE PERPETUA SANCTISSIMI SACRAMENTI ET AD PAUPERIORES ECCLESIAS SACRA SUPELLECTILI INSTRUENDAS NOMEN HABET, IN BELGIO INSTITUTA AB EXIMIAE PIETATIS MATRONA ANNA DE MEEÛS, IN ALMA HAC URBE DOMUM NUPERRIME CONSTITUIT SUPPLICES ADMOVENS PRECES SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONI XIII, UT SIBI INTEGRUM FORET ARCHICON-

fraternitatem Societati adnexam Romam transferre. Haec enim Archiconfraternitas nomine et instituto cum Societate cohaeret, Societati ceu capiti subest et subesse tenetur vi Constitutionum a Sancta Sede probatarum.

Sanctissimus has preces benigne excipiens mandavit praefatam Archisodalitatem Romam transferri.

Iam vero cum alia Archisodalitas eiusdem nominis et instituti heic Romae in aedibus ad Quatuor Fontes cura et studio piae ac nobilis matronae Carolae de Courballay reperiatur erecta, cumque ex Constitutione a Clemente VIII edita quae incipit ***Quaecumque*** duae Archiconfraternitates eiusdem nominis et instituti nequeant in uno eodemque Loco consistere; Idem Sanctissimus volens huius legis impedimento occurrere decrevit Archisodalitatem Romae in aedibus ad Quatuor Fontes constitutam, utpote quae posterius erecta est, uniri cum Belgica Romam translata ita ut unum cum ea corpus efficiat, unam eamdemque Archisodalitatem constituat et sit Archisodalitas Societatis Adorationis Perpetuae et ad pauperiores Ecclesias sacra supellectili instruendas. Indulgentiarum vero et privilegiorum communicationes, quae Confraternitatibus aggregatis hactenus factae sunt, tamquam ab hac sic unita factae habeantur. Huic tandem Archisodalitati quae in unum coaluit, Eadem Sanctitas Sua facultatem tribuit ceteras Sodalitates eiusdem nominis et instituti ubique terrarum aggregandi, servata forma et tenore Constitutionis Clementis VIII.

Non obstantibus regula de iure quaesito non tollendo ceterisque quamvis speciali atque individua mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Hoc propterea Decretum Sanctitas Sua fieri, et iis, quorum interest, communicari mandavit.

Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae die i februarii **1879.**

AL. Card. OREGLIA A S. STEPHANO, ***Praef.***

L. © S.

A. Panici, *Secretarius.*

DECRETUM

Quo conceditur ut Archisodalitas Bmae V. Mariae a « S. Corde Iesu, » ab Ecclesia S. Andreae de Valle transferri possit in Ecclesia B. Mariae V. **D.** Nostrae in Foro Agonali.

Ab anno **1854** Presbyterorum Societas Exsokluni in Archidioecesi Bituricensi in **Gallus** florere coepit, qui vires, consilia et operam ad vineam Domini sacris expeditionibus potissimum excolendam contulerunt, quique Missionarii audiunt Sacratissimi Cordis Iesu. Ut autem Dei Matris Mariae opem sibi et operi conciliarent, ad Eius praesidium confugerunt, Eamque Dominam nostram a Sanctissimo Corde, vulgo ***Notre Dame du Sacré Cœur,*** primitus .venerari coeperunt auspicatissimo die octavo Decembris, quo Eius Immaculatus Conceptus inter Fidei dogmata relatus est. Hic vero cultus inter Christifideles brevi ita diffusus est, ut Sodalitas Beatissimae Virginis a Sacro Corde Iesu titulo gaudens in Sacra Aede Exsoldunensi auctoritate Ordinaria die vigesima nona ianuarii **1864** fuerit instituta.

Apostolica Sedes non modo huiusmodi Sodalitatem amplissimis Indulgentiarum muneribus locupletavit, in Archisodalitatem erexit, et nomine proprio coronam Simulacro imponendi facultatem largita est Archiepiscopo Bituricensi; verum etiam Institutum ipsum cum eadem Sodalitate arcto et indissolubili nexu coniunctum edixit. In Decreto enim, quo Institutum laudatur, edito per Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium die **8** martii **1869** Missionarii ipsi a DOMINA NOSTRA SACRATISSIMI CORDIS IESU nomen habere dicuntur, eorumque Exsoldunensem Ecclesiam Pius IX Sa: Me: die **17** Iulii **1874** Minoris Basilicae titulo et privilegiis ornavit.

Roma vero, quae inter alias urbes in cultu et pietatis studio erga Matrem Dei Mariam longe eminet, eodem titulo Sanctam Dei Parentem colere coepit, et die octavo Decem-

bris anno **1872** ad S. Andreae in colle Quirinali rite instituta fuit Sodalitas ***Immaculatae Dominae Nostrae Exsoldunensis ;*** cui Sodalitati Litteris Apostolicis die octavo Iulii anno **1873** datum fuit frui Indulgentiis quae tributae fuerant Societati Exsoldunensi ; et aliis litteris Brevibus datis die quinta Augusti Archiconfraternitatis nomine et iuribus decora fuit. Haec vero ab Ecclesia S. Andreae ad Aedem S. Venandi, et ab hac ad S. Andream vico Vallis translata fuit.

Itaque cum ab hinc paucis mensibus praefata Missionariorum Societas Alma in hac Urbe Aedem olim S. Iacobi Nationis Hispanicae in foro Agonali emptam a squallore et ruinis ad novum decus vindicarit ; eamque facultate habita a Summo Pontifice die **16** Novembris anno **1878** Beatae Mariae Virgini a Sacro Corde Iesu dedicaverit et ibi conclavia suis Missionariis incolenda attribuerit; Sacerdos Iulius Chevalier eiusdem Societatis Fundator et Superior Generalis Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII supplices admovit preces, ut Archisodalitas Beatissimae Virginis a Sacro Corde Iesu, quae in Ecclesia S. Andreae de Valle in praesenti est, quaeque suam ab Archisodalkate Exsoldunensi originem ducit ad Ecclesiam Beatae Mariae Virginis Dominae Nostrae a Sacro Corde Iesu in foro Agonali Apostolica auctoritate transferri, et curae ac regimini suae Societatis committi dignaretur. Sanctissimus, perpensis expositis, libenter Oratoris precibus annuens, praesenti Decreto mandavit, prout mandat, Archisodalitatem in Ecclesiam, Beatae Mariae Virginis Dominae a Sacro Corde Iesu in Foro Agonali transferri ac omnimodae curae ac regimini Societatis Missionariorum Sacratissimi Cordis Iesu committi cum iuribus ac privilegiis eidem Archisodalitati concessis, ea tamen lege ut Archisodalitas ipsa curae ac regimini Missionariorum sit commissa uni Eminentissimo in Urbe Vicario in omnibus subsit.

Ne autem memoria pereat Archisodalitatem in Ecclesia S. Andreae de Valle exstitisse, eadem Sanctitas Sua voluit, ut imago Dominae Nostrae a Sacratissimo Corde Iesu ibidem

publico cultui exposita remaneat ; ad Eam votiva dona pertineant a fidelibus oblata, in eadem Ecclesia Missarum oneribus in honorem Dominae Nostrae satisfiat, quae hactenus satisfieri consueverunt ; piaeque precationes persolvantur, quae ex solo fidelium cultu et devotione postulantur.

Non obstantibus regula de iure quaesito non tollendo ceterisque quamvis speciali atque individua mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Hoc propterea Decretum Idem Sanctissimus fieri, et iis, quorum interest, communicari mandavit.

Datum Romae, ex Secretaria Sacrae Congregationis Indugentiis Sacrisque Reliquiis praepositae dic **26** Aprilis **1879.**

AL. Card. OREGLIA A S. STEPHANO, ***Praefectus.***

A. Panici, *Secretarius.*

SUMMA ACTORUM

QUAE IN HOC VOLUMINE XI CONTINENTUR

LITTERAE APOSTOLICAE.

PAG.

Litterae Apostolicae SSmi D. N. Leonis XIII, quibus Hierarchia Episcopalis in Scotia restituitur 5
Litterae Apostolicae, quibus munus supremi moderatoris rosarii viventis Magistro generali Ordinis Fratrum Praedicatorum committitur 50
Litterae SSmi D. N. Leonis PP. XIII ad Emum Cardinalem Monaco la Valletta Vicarium Generalem Romae 99
Litterae Summi Pontificis Pii Papae IX ad R. P. Darboy Archiepiscopum Parisiensem. 210
Litterae SSmi D. N. Leonis PP. XIII ad Emum Cardinalem Nina Status Secretarium 274
Litterae SSmi D. N. Leoni PP. XIII ad R. P. D. Paulum Melchers Archiep. Coloniensem 323
Epistola Encyclica SSmi D. N. Leoni XIII ad Patriarchas, Primates, etc 372
Litterae Apostolicae SSmi D. N. Leonis XIII, quibus indicitur Iubilaeum universale 420
SSmi D. N. Leonis XIII Motus proprius quoad usum characteris theutonici, etc 468
SSmi D. N. Leonis XIII Allocutio ad S. R. E. Cardinales in Aedibus Vaticanis 470
Litterae SSmi D. N. Leonis XIII ad Emum Vicarium Urbis Romae quod scholarum regimen 522
Allocutio Sanctissimi D. N. Leonis Papae XIII ad S. R. E. Cardinales 583

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS.

De Consistorio secreto habito die 15 iulii 1878 163
Nominationes Episcoporum et Ecclesiarum descriptiones, quibus sunt propositi 221
Nominationes Episcoporum 473
Nominationes Episcoporum 588

EX SACRA CONGREGATIONE S. R. U. INQUISITIONIS.

Decisio dubii: an Baptismum conferri debeat sub conditione haereticis, qui ad Ecclesiam catholicam redeunt « a quacumque secta » . . 613
Decisio quoad explicationem transubstantiationis m SS. Eucharistiae sacramento, factam per quatuor propositiones 615

EX AEDIBUS E.MI VICARII ROMAE.

PAG.

Instructio **Emi Vicarii pro Parochis Romae** 169

EX S. CONGREGATIONE CONCILII.

Beneficii; **disceptatur an beneficium vacaverit, quum Rector aliud obtinuisset beneficium residentiam quaerens** 22

Ordinationis **litteras dimissoriales, denegante Episcopo proprio, exposcit clericus a SSmo Patre gratiam suscipiendi SS. Ordines.** . . 30

Reintegrationis **seu rehabilitationis in paroeciam; disceptatur an Parochus, qui matrimonium civile celebravit, ipso iure a Parochia deciderit, ita ut redintegrata vel saltem rehabilitari possit.** . . . 33

Matrimonii; **in qua primum disceptatum fuit super impotentia viri; deinde quaesitum est an matrimonium fuisset tantum ratum et non consummatum** 54

Absolutionis, **institutionis et fructuum; presbyter, qui canonicatum obtinuit a Gubernio usurpatore, expetit ab Apostolica Sede gratiam absolutionis, etc** 72

Iurium Parochialium ; **iudicio Eminentissimorum Card. supponuntur nonnullae normae, quae moderari debent exercitium curae animarum inter Praepositum et Cappellanos** 76

Concursus ad Praebendam Theologalem; disceptatur an electio ab Episcopo facta declarari possit irrita ob nonnullas suppositas irregularitates 82

Dispensationis **ab irregularitate exposcit dispensationem ab irregularitate Clericus, qui noctu solummodo morbo afficitur epiléptico** 91

Vicarii generalis; **Ordinarius gratiam ab Apostolica Sede expetit retinendi in Vicarium generalem Canonicum Parochum, laura doctorali destitutum** 94

Dispensationis matrimonii ; **disseritur an matrimonium consummari potuerit ob constantem mulieris repugnantiam, ita ut peti possit dispensatio super matrimonio rato et non consummato** 111

Concursus ; **quaeritur an mala et aliena ab Apostolicis constitutionibus censeri debeat relatio ab Examinatoribus peracta** 119

Concursus ; **disceptatur an mala dici queat Examinatorum relatio eo quod in computandis meritis et requisitis, sequuti fuerint quamdam consuetudinem dioecesanam** 128

Matrimonii ; **disquiritur an probari possit impotentia, saltem relativa in homine, qui per sex annos vixit cum muliere, in ea relinquens nonnulla virginitatis signa** 136

Aperitionis oris et residentiae ; **quaeritur an concedi possit oris aperitio ob subreptionis et obreptionis suspicionem, et an Canonici teneantur domicilium figere in loco quo Cathedralis Ecclesia extructa est** 179

Super adsistentia infirmorum ; **varia proponuntur quaesita quoad adsistentiam moribundis per parochos praestandam** 189

PAG

Sponsalium ; **disceptatur an confirmanda sit sententia Curiae Archiepiscopalis, quae declaravit sponsalia non extare 227**

Fontis baptismalis ; **erecto novo fonte baptismali annuente Episcopo Archipresbyter Collegiatae, quae unice fontem habuit, sese opposuit petiitque remotionem novi fontis 232**

Iurium Parochialium ; **exquiritur an Capitulum Collegiatae manutenendum sit in possessione nonnullorum iurium parochialium, quae abusiva declaravit Episcopus apposito decreto 241**

Mediae annatae ; **quaesitum est an in solutione mediae annatae habendae sint ceu beneficii fructus distributiones chorales, et an inter onera subtrahenda, sit calculanda taxa successionis 249**

Circa applicationem secundae Missae; **disquiritur an Sacerdos charitativi sodalitii Socius applicare possit secundam binationis Missam pro defunctis confratribus 284**

Decimarum super liquidatione; **quaeritur quaenam pecuniae vis rependenda sit, a quonam tempore solutio incipienda, et quisnam iudicii expensas ferre debeat 325**

Missae pro populo; **disceptatur an applicare Missam pro populo debeat Episcopus vel Parochus, qui vices Episcopi gerit in paroecia, quae beneficio et habitatione parochiali caret 332**

Matrimonii ; **disputatur an infirmanda vel confirmanda sit sententia curiae Episcopalis, quae nullum declaravit matrimonium, vi metuque contractum 340**

Funeris et emolumentorum ; **inter Parochum et Capellanum Sodalitii a misericordia nuncupati lis est, cuinam competat ius associandi cadavera ad sepulturam, etiam extra Dioecesim 379**

Reintegrationis in Paroeciam ; **dubitatur an Parochus amovibilis (in Gallia vulgo** *desservant)* **redintegrandi sit in paroecia, cui nuncium misit ex praesumpta vi et metu, vel relinquendus in Paroecia consequuta post alterius renunciationem 385**

Dispensationis ab irregularitate **exposcit glbbosus ut ad ordines promoveri possit, praevia dispensatione, quatenus irregularis existat ex hoc corporis defectu 426**

Matrimonii ; **ob impotentiam viri disquiritur an petenda sit dispensatio super matrimonio rato et non consummato 430**

Dispensationis ab irregularitate ; **Sacerdos qui nervorum debilitate premitur, exposcit ut inniti possit, Missam celebrando, altiori sedi, quam tegeret indumentis sacerdotalibus 439**

Nullitatis renuntiationis et reintegrationis ; **disputatur an valida sit renuntiatio beneficii choralis, facta a sacerdote interdicto quoad bonorum suorum administrationem 441**

Reintegrationis vectigalium; **lis est inter Capitulum et Parochum, cuinam competat varias pensitare taxas, a gubernio impositas, super bonis paroeciae Capitulo commendatae 450**

Absolutionis et dispensationis ab irregularitate ; **exposcit Episcopus facultatem promovendi ad alios ordines et habilitandi ad exercitium ordinum iam receptorum, clericum qui falsis dimissorialibus diaconatum recepit per saltum ab Episcopo alieno 458**

PAG

Canonicatus ; quaestio agitatur inter patronum nominantem et clericum, qui ius passivum ad canonicatum habere censet 478
Parochialis; lis est an confirmari vel infirmari debeat sententia Curiae, per quam parochus ab officio suspensus fuit 484
Commutationis voluntatis; patrona Legati Missarum exposcit a Sancta Sede, ut sibi concedatur posse convertere in opuò caritatis tres partes aut dimidium ex redditibus Legati Missarum 493
Funerum et Emolumentorum; inter parochum terrae natalis, in qua canonicus mortuus est, disputatur cuinam competat ius tumulandi et funeris 496
Iuris conferendi canonicatus et cantoratus; Episcopus et Abbas quaerunt a S. Cong. Concilii ut resolvat uter nominandi canonicos et cantores ius possideat 503
Matrimonii ; disceptatur de validitate vinculi ob defectum consensus et domicilii 545
Distributionum ; dubitatur an duobus canonicis absentibus ad evitandas factiosorum minas competat ius ad distributiones percipiendas 596
Veniae ad matrimonium; exposcitur venia ad matrimonium ineundum ab Apostolica Sede 601

EX SACRA CONGREGATIONE EPISCOPORUM ET REGULARIUM.

Suspensionis et remotionis a Paroecia ; quaeritur an removeri possit a Paroecia Parochus, quem ob suam agendi rationem populus odit et Religio damnum capit 146
Reintegrationis ; qua saltem sancitum est alicuius sodalitii confratrem: 1) non posse ad sortitionem sussidiorum dotalium admitti si omnia puncta non sit consecutus, quae peculiares ipsius sodalitii leges constituant, praesertim cum quaestio sit de laedendo ius tertio quaesitum; 2) iure ac merito per sodalitii rectores ex albo confratrem erasari, si facto constet eum talia commisisse, quibus expulsionis poena ipso facto incurrenda ad tramites constitutionum applicari debeat 197
Iuris ducendi funus et sepulturae ; quaesitum est an iure sepultura concessa fuerit cuidam, *qui de familia non erat,* et an ob eiusmodi concessionem iura parochialia laesa manserint 350
Pensionis; disquiritur an pensionarii, iuxta decretum *Cum nuperrimis ,* consequi valeant pensionem a quolibet immunem onere, et an reintegran debeant quoad onera in pensionibus iam passa 396
Sacrarum functionum ; quaeritur an Ordinarius impedire possit campanarum pulsationem tempore Missae paroecialis, an Sacerdotes saeculares et regulares possint introducere functiones extraordinarias, etc 603

EX SACRA CONGREGATIONE DE PROPAGANDA FIDE.

PAG

Notiones historicae et rationes quibus freta Apostolica Sedes Hierarchiam Episcopalem in Scotia restituit 13

Instructio de scholis publicis ad Rmos Episcopos in Foederatis Statibus Americae Septemtrionalis 44

EX SACRA POENITENTIARIA APOSTOLICA.

Declarationes authenticae super indicto Iubilaeo 530

EX SACRA CONGREGATIONE RITUUM.

Lingonen. seu Parisien.; beatificationis et canonizationis ven. Servi Dei Fr. Honorati a Parisiis, Sacerdotis professi Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum 97

Dubium quoad obligationes quae Regularibus veniunt post festorum reductionem in Gallia anno 1802 peractam 207

Neapolitana; confirmationis cultus ab immemorabili tempore praestiti servo Dei Nostriano Episcopo sancto nuncupato 256

Neten. Patronatus principalis ; in qua late pertractantur quaestiones de aperitione oris et de patronatu principali sanctorum, in unaquaque Dioecesi vel civitate 290

Decretum, quoad usum petrolei 322

Decretum, quo praecipitur ut scripta quae sanctorum canonizationem respiciunt, solummodo imprimi debeant a typographus, qui ab officio et auctoritate Patris Magistri S. Palatii Apostolici rite dependent 369

Alionen.; resolvitur quod festum Patroni alicuius Ecclesiae consecratae aut solummodo benedictae, celebrari debet duplex primae classis cum octava quoad Missam et officium a Presbyteris dictae Ecclesiae addictis. . . . ». 370

Decretum, quoad sepulturam dandam in diebus S. Marci et Rogationum, vel in vigilia Pentecostes 419

Decretum (in nota relatum) quo innuitur benedictionem cum Indulgentia non esse dandam, nisi imaginibus SS. Numismatum, quae repraesentent sanctos in Martyrologio descriptos et canonizatos. 407

Lycien.; beatificationis et canonizationis Ven. servi Dei Pompilii Mariae Pirotti 463

Iaciensis; decretum quoad modum canendi invitatorium in officio Divino 467

Portus Aloisii; dubia et resolutiones quoad simulacra et apparitiones B. M. V. sub titulo de *Lourdes,* de la Salette et Immaculatae Conceptionis, etc 512

De iure consecrandi altaria et Ecclesias titulares; quaestio fit an ecclesiae et altaria Titulorum Emorum Cardinalium consecrari debeant ab Emo Titulari vel ab Emo Vicario Urbis Romae . . 514

Lucen. ; tria resolvuntur dubia quoad recitationem *Confiteor* in chorali officio 528

PAG

Divionen.; **beatificationis et canonizationis Venerabilis Servi Dei Benigni Joly Canonici ecclesiae S. Stephani Civitatis Divionensis.** 529

Decretum **quo reprobatur usus cuiusdam mechanici apparatus, cuius ope elevaretur ac deponeretur Ostensorium, dum salutaris Hostia populo adoranda exponitur** . . . .^ 581

EX SACRA CONGREGATIONE INDULGENTIARUM.

Decretum **super accessione et accumulatione Indulgentiarum** . . . 154

Decretum, **quo inolita consuetudo reiicitur adscribendi absentes piis sodalitiis** 160

Congregationis Pretiosissimi Sanguinis; **de facultate Vicarii Capitularis quoad confraternitatum erectionem** 355

Friburgen.; **super interpretatione verborum** *infra unam vel duas hebdomadas* 361

Decretum, **quo emere aut mercari prohibetur sacras reliquias et sanctorum exuvias tum in urbe, quam extra.** 368

Auranensis; **super statione Viae Crucis** 404

Tarantasien.; **super facultate impertiendi benedictionem cum indulgentia plenaria** *in articulo mortis.* 408

Bergomen.; **de indulgentia Portiunculae quoad distantiam** 415

Decretum, **quo conceditur Societati, quae ab adoratione etc. nomen habet, transferre Romam Archiconfraternitatem eidem adnexam, et uniri cum Archisodalitate Romae erecta in aedibus ad quatuor Fontes** 616

Decretum **quo conceditur ut Archisodalitas Bmae Virginis Mariae a 5.** *Corde Iesu,* **ab Ecclesia S. Andreae de Valle transferri possit in Ecclesia B. Mariae D. Nostrae in foro Agonali** 618

EX SACRA CONGREGATIONE INDICIS.

Decretum, **quo varii prohibentur libri** 204

Decretum, **quo varii prohibentur libri** 287

Decretum, **quo varii prohibentur libri** 461

EX S. CONGREGATIONE BREVIUM.

Breve SSmi D. N. Leonis Papae XIII, **quo editio gradualis Romani, iam confecta, nec non antiphonarii et psalterii iam aggressa, ab Equité F. Pustet Ratisbonensi probatur et authentica declaratur** 289

Breve, **quo indulgentia tercentum dierum conceditur illi qui iaculatoriae** *Sia benedetta* **etc. adiecerit** *Madre di Dio.* 594

APPENDICES.

Appendix **I. Disputatur an clericus in sacris constitutus, qui matrimonium civile attentaverit, tum ante, tum post promulgationem Constitutionis Apostolicae Sedis, excommunicationem incurrat et beneficium, si habeat, ipso iure amittat** 39

Appendix **II. Quoad doctrinam de domicilio et quasi-domicilio, pro matrimonii validitate** 573

INDEX GENERALIS

CONCLUSIONUM QUAE IN PLERISQUE ACTIS IN HOC VOLUMINE RELATIS ADNOTANDAE SUNT, QUARUM MATERIA IN RESPECTIVIS ACTIS AMPLE EXPOSITA VEL DECLARATA REPERITUR.

Eae autem conclusiones sub sequentibus verbis comprehenduntur :

Apertionis oris.
Appellatio.
Benedictio *in articulo mortis.*
Beneficium.
Bullae Pontificiae.
Censura.
Commutatio voluntatis.
Concursus..
Consuetudo.
Conventiones.
Distributiones chorales.
Episcopus quoad ius commune.
Expensae litis.
Fontis baptismalis.
Functiones sacrae.
Indulgentia Portiunculae.
Indulgentiae.
Irregularitas.
Iurium parochialium,.
Iuspatronatus.
Matrimonium quoad impedimenta.
Matrimonium quoad consensum et domicilium.
Mediae Annatae.
Missa pro populo.
Missae secundae applicatio.
Obreptio et subreptio.
Parochus quoad amovibilitatem.
Parochus quoad congruam.
Parochus quoad remotionem.
Patronus Civitatis.
Pensio ecclesiastica.
Reintegrado.
Renuntiatio beneficii.
Resolutiones.
Sepultura.
Sponsalia.
Stationes *Viae Crucis.*
Vicarius Capitularis.
Vicarius Generalis.

Aperitionis oris.

Conceditur oris aperitio adversus pontificium rescriptum quoties aliquid necessarium non est expressum, vel quid falsum allegatum fuerit in eius impetratione ; idque eo fortius si ius tertii quaesitum sublatum fuerit, p. 187.

Ad obtinendum arbitrium aperitionis oris necesse est, ut aliquae prodeant suspiciones in discrimen revocantes Pontificis voluntatem, ne iniustae atque futiles moveantur lites, ibid

Proinde oris aperitio est deneganda quoties exulent obreptio et subreptio: quia Pontificum decreta semper reverenda etiamsi *{ex motu proprio)* iuri tertii derogatum fuerit per rescriptum clausula *non obstantibus* munitum, ibid.

Pontificia rescripta veritatis habent praesumptionem pro se, ideoque nonnisi per oris aperitionem, a Papa ipso concessam, licet de Pontificio rescripto quaestionem instituere, pag. 320.

Oris aperitio eo tantum in casu adhiberi potest, quo vel falsum narrando vel verum reticendo, ideo obreptitie aut subreptitie, rescriptum postulatum fuisse ostendatur, ibid.

Appellatio.

Nulla ex iure conceditur facultas appellandi contra decreta Episcoporum; quatenus ipsi sunt executores S. Concilii Tridentini, ne executio huius S. Synodi suspendatur aut impediatur, pag. 33.

Etiam Benedictus XIV, sua Const. *Ad militantis Ecclesiae,* sustulit ecclesiasticis Tribunalibus facultatem recipiendi appellationem a denegatione SS. Ordinum vel ascensus ad alios maiores, pag. 33.

Attamen ne omnis praecluderetur via repulso a SS. Ordinibus, concessum est Apostolicam adire Sedem et suas exponere querelas, ut colligi possit an Episcopus legitimae innixus fuerit causae pro eiusmodi recusatione, ibid.

Benedictio in articulo mortis.

Tam a charitate erga fideles moribundos, quam a reverentia erga memoratam benedictionem motus, cupivit Benedictus XIV ne ullus remaneret angulus in orbe terrarum, in quo causa salutis Christifidelium in discrimen adduceretur ob defectum huius benedictionis cum plenaria indulgentia, luctantibus in extremo agone impertiendae, pag. 414.

Proinde dilatavit limitum angustiam, quibus olite, cohibebatur delegatio facultatis huiusmodi, tum quoad tempus, tum quoad personas, quibus indulta fuit, ibid.

Constituit quoque ut huiusmodi concessiones haud expirarent per concedentis decessum ; *cum iurisdictio delegata in iis quae non iustitiam sed gratiam concernunt, etiam post obitum delegantis manere debeat,* pag. 415.

Episcopi vero subdelegare possunt, iuxta Const. *Pia Mater,* ad hanc impertiendam benedictionem quotquot Sacerdotes saeculares aut regulares, pro numero animarum, expedire prudenter iudicaverint, absque ulla limitatione, ibid:

Neque stricte requiritur ut huiusmodi delegatio fiat singulis speciatim et in scriptis; verumtamen cum agatur de re magni ponderis, in qua dubii periculum prorsus abesse debet, ideo consultius esse si per scriptum et personae speciatim tribuatur facultas impertiendae benedictionis in *articulo mortis,* ibid.

Episcopus dum subdelegai Parochum ruri degentem, cum facultate eligendi alium confessarium, pro impertienda huiusmodi benedictione, non obstringitur casuum numerum exprimere, quo Parochus subdelegatus alium eligere possit; id enim esset in animarum detrimentum, et praelaudatae Constitutionis spiritum adversaretur, ibid.

Beneficium.

Ipso iure vacat primum beneficium ob alterius beneficii incompatibilis assecutionem, dum etiam Tridentina Synodus beneficiorum pluralitatem improbet, pag. 29.

Attamen requiritur plena et pacifica possessio beneficii secundi cum effectu: idest cum perceptione fructuum ut ipso iure inducatur vacatio prioris beneficii ob assecutionem alterius incompatibilis; eo quod sola collatio non inducit vacationem, sed opus est possessionis assecutione, pag. 30.

Quinimo concedunt SS. Canones bimestre, a capta secundi beneficii possessione, ad hoc, ut provisus, primum dimittat beneficium, et experiatur an superveniant molestiae sive de iure sive de facto; nam molestiis extantibus, primum non vacasse censetur, ne provisus utroque careat, ibid.

Quapropter nulla est impetratio secundi beneficii infra bimestre facta, etsi vacatio primi postea contigerit, quia beneficium alteri conferri nequit, nisi post secutam vacationem primi beneficii, pag. 30.

Non solum beneficia personalem residentiam exposcentia habentur uti incompatibilia, sed etiam beneficia simplicia dici debent incompatibilia, quorum unum sufficiens sit pro honesta vitae substentatione, ibid.

Beneficiatus nedum expresse sed etiam tacite renuntiare potest suo beneficio, ex. gr. aliud acceptando beneficium incompatibile, quo casu antea possessum ipso iure vacare intelligitur, pag. 38.

Beneficium ipso iure pariter vacat si beneficiatus matrimonium contrahat, ob incompatibilitatem status coniugalis et clericalis Hoc tamen intelligendum de beneficialis qui nondum SS. Ordines susceperunt, ibid.

Sacerdotes vel clerici in Sacris Ordinibus constituti matrimonium attentantes nulliter contrahunt, turpemque inchoant concubinatum, atque ob huiusmodi culpam possunt, servatis canonicis formis, removeri a beneficio, ibid.

Bullae Pontificiae.

Bullae pontificiae ut authenticae dici possint quatuor praesertim notas ab extrinseco praeferre debent: nempe I° Ut charta pergamena sint conscriptae ;[1] 2° ut charactere exantlatae sint theutonico ; 3° ut plumbeo sigillo ; filo rubro et croceo a pergamena pendente munitae reperiantur; 4° ut subscriptionem habeant tum Cardinalis Pro-Datarii, tum aliorum Datariae officialium, qui ad hoc sunt deputati, pag. 511.

Ab extrinseco vero suspectus ingeritur eas esse apocriphas, si concessio adeo late pateat, ut limites a S. Sede apponi solitos undequaque excedat, ibid.

Censura.

In iudicialibus sententiis trinae requiruntur monitiones, aut saltem una, quae loco trium stet, quatenus censura pro crimine irroganda sit; nulla vero requiritur monitio, quum simplex censura medicinalis alicui infligitur, non ad ulciscendum crimen, sed ad contumacis emendationem, pag. 154.

Commutatio voluntatis.

Defunctorum voluntates sancte servandas esse utrumque ius clamat; hinc ecclesiastica potestas, etiam remediis a iure concessis, semper ad earum executionem accurate invigilat, pag. 496.

Proinde nec Supremus Pontifex solet conditionibus adiectis in fundatione, utendo sua potestate suprema, contraire, nisi legitime adsint ac necessariae causae, praesertim si agatur de iure tertii, ibid.

[1] Charta pergamena haud abolita fuit in Bullis pontificiis; ideo corrigenda est nota 1, pag. 511; sed sublatus fuit usus characteris theutonici, et usus numismatis plumbei limitatus fuit ad beneficia maiora et ad acta S. Sedis solemniora.

Quapropter alia iuris remedia sunt exaurienda, antequam iura tertii destruantur et fundatorum voluntates infringuntur; quod facere non solet Pontifex sine utilitate, quae necessitati aequivaleat, pag. 496.

Concursus.

Consuetudines seu statuta Dioecesum, quae accidentaliter formam concursus modificent et substantiam non afficiant, sustineri possunt et nullitatem non inducunt, pag. 91.

Tempus utile inscriplioni concursui concessum expirat media nocte ultimi diei assignati ; quinimo non desunt qui doceant, paucis etiam momentis antequam inchoetur concursus, ob utilitatem Ecclesiae admitti posse concurrentes, dummodo res sit integra, ibid.

Episcopus ex^pprobatis eligere potest quem magis idoneum in Domino iudicaverit, quamvis ceteri concurrentes doctiores sint et melioribus polleant requisitis, ibid.

Cum electio devolvitur ad S. Sedem haec non tenetur concursum iterare, sed potest sibi benevisum eligere, quamvis hac facultate fere nusquam utatur, ibid.

In beneficiis per concursum conferendis, non obstante appellatione alicuius ex concurrentibus, Episcopus non tenetur ad suspendendam collationem, sed potest interim conferre praebendam ei quem digniorem iudicaverit, pag. 134.

Iuxta Concilium Tridentinum, *Sess. 24, cap. 18, de reformatione,* ac iuxta *citatam Constitutionem* Benedicti XIV, Examinatores considerare debent tum doctrinam, tum ceteras qualitates seu requisita concurrentium atque, omnibus coniunctis, iudicium ferre de eorum idoneitate vel inidoneitate, ibid.

Hoc coniunctivum et cumulativum iudicium pertinet ad substantialem formam concursus, ita ut huius formae spretus nullitatem concursus inducat, ibid.

Neque sustinetur consuetudo non expendendi concurrentium qualitates et requisita, nisi prius approbationem quoad scientiam et doctrinam retulerint, ibid.

Posita paritate scientiae in concurrentibus, vel si parva habeatur differentia, ille est praeferendus qui morum honestate et gravitate praefulgeat atque indignus iudicandus qui scandalo populo futurus esset, pag. 135.

Posita appellatione, a tribunali a quo appellatur transmitti debent vel acta ipsa originalia concursus clausa et obsignata, vel exemplum authenticum a Cancellario concursus et altero notario collatum et auscultatum coram Vicario vel alio in ecclesiastica dignitate constituto, quem eligat Ordinarius, nec non ab Examinatoribus qui concursui interfuerant subscriptum, ibid.

Iuxta Instructionem S. C. Concilii unumquodque responsum et unusquisque sermo, cum ab unoquoque concurrentium exhibetur, non solum ab eo qui scripsit, atque a Cancellario concursus, verum etiam ab Examinatoribus et ab Ordinario vel eius Vicario, qui concursui interfuerint, est subscribendum, ibid.

Iuxta Reclusium, *de Concursibus, p. 2, quaest. 1, tit. 2, de devoluta collatione*, haec omnia inducta fuerunt pro forma substantiali, adeo ut non sustineatur concursus si ea non fuerint praetermissa, pag. 135.

Consuetudo.

Consuetudo longissima temporis aut immemorabilis vim legis scriptae secumfert, ceu titulus melior de mundo censetur, et praesefert indulti pontificii praesumptionem, quin necesse sit illud probari: eoquod immemorabilis locum probationis teneat, pag. 188.

Immemorabilis videtur, modo indirecto, exerere vim suam etiam in Tridentinum, si ipsa non allegetur ceu purum beneficium temporis seu praescriptio, sed quatenus adducatur tamquam praesumptiva probatio alicuius concessionis apostolicae: quia tunc decretum Tridentini irritans non feritur directe, sed potius agi videtur de eius non comprehensione, ibid.

Conventiones.

Conventiones verbis tantum initae iure ecclesiastico sunt servandae, pag. 331.

Conventio verbis inita haud est revocanda, si coram Ordinario ad compositionem curandam delegato, ipso testante Ordinario locum habuerit, ibid.

Eo fortius huiusmodi conventione tenentur contrahentes, si aliunde constet quod conventum est, iuxtum et aequum esse, ibid.

Ut vis et efficacia conventionum intimius pertingatur haud aspernenda est conventionum earumdem causa finalis ; quae, uti iurisprudentia docet, unicuique contractui lucem praebere solet, pag. 457.

Conventiones amplissimis et effrenis conceptae verbis, ex ipsa iuris dispositione, taliter accipiendae sunt, ut nullo coarctentur limite; quia verba generalia generaliter intelligenda sunt: et quod generaliter exprimitur de specie et de individuo dictum intelligi debet, ibid.

Ex lege 6 Digestorum, *de contract. empt.*, eruitur, illud pro valido habendum esse, quod non solum expresse cautum fuerit, sed etiam id quod perspicue et necessario ab expressis prosequitur, ibid.

Distributiones chorales.

Distributiones ex iure communi debentur illis tantum qui divinis officiis celebrandis intersunt; ideoque minime debentur clerico respectu tituli, aut tamquam canonico sed tamquam divinis officiis inservienti, pag. 599.

Proinde Tridentinum, *Sess. 24, cap. 12*, in usum revocando decretum Bonifacii VIII, *Consuetudinem*, praecepit: *Distributiones vero qui statutis horis interfuerint recipiant; reliqui, quavis collusione aut remissione exclusa, his careant*, pag. 600.

Neque licet Capitulo, aliquo sub praetextu, distributiones quotidianas donare, relinquere aut quavis collusione remittere alicui, qui ab Ecclesiae servitio abfuerit, vel alio quovis modo distributiones legitimas debeat amittere, ibid.

Verumtamen ceu amantissima Mater Ecclesia humanitate et pietate morbo vexatos prosequitur, eisdem distributiones concedendo ceu choro praesentibus, sic agit cum illis qui ob legitimum corporis impedimentum divinis officiis interesse nequeunt, pag. 600

Ideo Canonicus, ob iustum inimicorum metum domo non egredientem aut loco suae residentiae iniuste exiliatutn, non privatur distributionibus, quum ius naturale dictet neminem sine culpa esse puniendum, ibid.

Huiusmodi Ecclesiae disciplinae spiritus est, ut negligentes aut residere contemnentes a distributionibus arceantur, non vero impotentes sive per morbum sive per involuntariam absentiam, ibid.

Episcopus quoad ius commune.

Numquam est Episcopis permissum aliquid inserere in suas Synodales Constitutiones, quod iuri communi deroget, etiamsi illud necessarium reputetur ad evellendas corruptelas et rerum sacrarum tuendam religionem, pag. 231.

Expensae litis.

Generatim in causis coram sacris Congregationibus et peculiariter coram S. C. Concilii, expensarum refectioni locum fit, nisi in casibus in *iure expressis,* pag. 332.

Fontis Baptismalis.

Primis Ecclesiae temporibus solummodo in Cathedralibus Ecclesiis extiterunt fontes Baptismales, et soli Episcopi fidelibus ad Cathedralem Ecclesiam confluentibus Baptisma contulerunt, pag. 240.

Tractu temporis, aucto populi christiani numero, baptisteria erecta fuerunt etiam in aliis Ecclesiis, praesertim oppidorum, quarum rectoribus facultas facta fuit administrandi baptisma, ibid.

Huiusmodi Ecclesiae, ut plurimum, *matrices* appellatae fuerunt vel *propriae,* quatenus ex earum territorii dismembratione aliae efformatae fuerint paroeciae, *quae filiales* vocatae sunt vel *impropriae* quoties una manente paroecia coeterae ecclesiae succursales vel adiutrices essent, ibid.

Adsunt Ecclesiae simpliciter baptismales, quae fontem baptismalem possident, et privative, etiam quoad parochiales, ius habent administrandi Baptisma, pag. 241.

Ideoque generale principium, quod cuilibet Ecclesiae parochiali ius sit erigendi baptisterium, limitationem patitur, scilicet quatenus non habeantur Ecclesiae vel matrices vel baptismales, quae iam privative fontem possideant, ibid.

Functiones sacrae.

Ordinarii curare debent quaecumque in Dioecesi ad Dei cultum spectant, atque his, ubi oportet, providere, servando, quoad Ecclesias saeculares, Ss. Congregationum resolutiones; et praecipue decretum *Urbis et Orbis* anno 1703 S. Rituum Congregationis, per quod quamplurimis pro-

visum fuit quaestionibus, quae exoriri possent in Ecclesiis saecularibus, pag. 612.

Episcopi possunt, quoad saeculares Ecclesias, iubere, in Synodo aut extra Synodum, ne Missae celebrentur in publicis Oratoriis ante Missam paroecialem, ne populus retrahatur a Missa parochiali et concione in ea per Parochum haberi solita ; et Episcopi praecepto obtemperandum est ex declarationibus ipsius S. C. Concilii, ibid.

Nequeunt tamen Episcopi praepedire, excepto Sabbato Sancto, ne Regulares in propriis Ecclesiis campanas puisent, ante vel tempore Missae paroecialis, dum S. Pius V, per Constit. *Etsi mendicantium,* Ordinariis prohibuerit *ne impediant ipsos fratres, quando eis placuerit, tam diebus dominicis seu festivis, aut aliis totius anni temporibus, campanas pulsare, et etiam tempore quo ipsi celebraverint celebrare,* ibid.

Locorum Ordinarii non possunt suis subditis praecipere, ut se sistant Missae Paroeciali, quia deleri nequit contraria consuetudo interessendi sacris mysteriis in qualibet publica Ecclesia, quae cum vigeat in toto Orbe, iam induit naturam iuris communis, ibid.

Ordines autem Regularium quascumque facere possunt functiones abque licentia Episcopi, in propriis ecclesiis, servatis Ss. Congregationum resolutionibus et exceptis processionibus extra Ecclesiae ambitum ; salvo Dominicanis speciali privilegio, quoad processiones Corporis Domini et Sanctissimi Rosarii, pag. 613.

Episcopi facultate pollent, etiam vi decreti Tridentini *Sess, 22,* iubendi Regulares exemptos, sub poena etiam suspensionis ipso facto incurrendae, ne quempiam exterum Sacerdotem celebrare permittant in propriis ecclesiis, absque praevia Episcopi licentia, ibid.

Indulgentia Portiunculae.

Omnes Ecclesiae, hoc privilegio iam ditatae tempore huius resolutionis, frui eodem possunt donec expiret; quamvis in eadem civitate et paroecia positae sint, nec inter se distent unius milliarii spatio; dummodo non adsit Ecclesia actu ad Patres Franciscales pertinens, pag. 419.

Indulgentia a Portiuncula nuncupata, ita perinsignis a S. Congregatione Indulgentiarum habita fuit, ut in futuris eiusdem Indulgentiae concessionibus, clausula de distantia apponenda etiam sit quoad omnes Ecclesias, hoc privilegio ditatas, quae ad Franciscales haud pertineant, ibid.

Indulgentiae.

Apostolicae Sedi, omnibus in adiunctis cordi est, ut praescriptiones Tridentini quoad sacras Indulgentias impleantur: ex quo fit ut Ecclesiae disciplina non enervetur per nimiam easdem concedendi facilitatem, p. 159.

Ea propter (nisi novae conditiones adimplendae praescribantur) haud permittitur ut eidem rei aut acto pietatis eidem, quibus iam Indulgentiae adnexae fuerint pontificio aut episcopali indulto, aut aliis Indulgentiis iam concessis, addantur etiam aliae ab eodem Episcopo aut ab Ordinariis et Praelatis diversis, ibid.

Episcopi nequeunt Indulgentias concedere nisi in propriis Dioecesibus (infra tamen iuris limites) eoquod Tridentinum iam constituerit Indulgentias indici per alios non posse, quam per Episcopos aut Ordinarios locorum, pag. 159.

Proinde neque Episcopus *in part. infid.,* quamvis auxiliarius Ordinarii alicuius, concedere potest Indulgentiis quadraginta dierum, eo quod non sit Ordinarius loci, pag. 160.

Gravissimumque Ordinariis locorum onus incumbit, ut scrutentur diligenter quoad Indulgentias in sua propria iurisdictione; ita ut quas dubiae fidei repererint, in relatione status suae Dioecesis recenseant, ne fidelis populus decipiatur, ibid.

Inolita consuetudo adscribendi piis Sodalitiis etiam absentes omnino a R. Pontifice reiecta fuit; ideoque nisi praesentes adscribi possunt ut rite indulgentiis atque privilegiis eisdem Sodalitiis, pontificio indulto concessis, perfrui valeant, pag. 162.

Attamen Ssmus Pater, ex benignitate, sanavit omnes adscriptiones anteacto tempore factas, dum aboleret consuetudinem, in vim revocando relatum decretum S. Congreg. Indulgentiarum; ita ut, ex gratia, etiam absentes iam adscripti, frui gratiis prosequantur et privilegiis quibus Sodalitium praeditum est, ibid.

Proinde ab huius decreti publicatione frustra adscribitur inter Sodales alicuius pii Sodalitii quilibet absens; utpote qui neque privilegiis neque gratiis aut bonis spiritualibus eiusdem Sodalitii ditari neque frui valeret, pag. 163.

In materia indulgentiarum adhaerendum est proprio ac litterali verborum sensui, quo fit ut verba *per singulas hebdomadas* nihil aliud sonent quam *infra septem dies,* pag. 367.

Conveniunt graves Theologi quod relate ad Indulgentiarum materiam, hebdomada accipienda sit ceu aliqua *unitas* ad tempus dimetiendum, ibid.

Proindeque si ad aliquam lucrandam indulgentiam praescripta sit confessio in *singulas* hebdomadas, fideles obligantur ad confessionem quolibet decurrente septem dierum spatio et non ultra, ibid.

Parique modo quoties imponitur ut confessio fiat pro indulgentiis lucrifaciendis *infra duas hebdomadas,* praescriptioni haud satis fit bina confessione in mense, sed requiritur ut Christifideles confessionem peragant quolibet decurrente quatuordecim dierum spatio, pag. 368.

Omnes Christifideles semel saltem in hebdomada confiteri soliti, lucrari possunt omnes indulgentias occurrentes et pro quibus lucrandis confessio actualis requiratur, ibid.

Irregularitas.

Omnes canonistae conveniunt, iudicio Episcopi determinandum esse, in particulari casu quae sit notabilis aut levis deformitas, et an hic et nunc ob talem deformitatem, periculum aut scandalum per Ordinis executionem sit timendum, pag. 429.

Iuxta modernam Ecclesiae disciplinam, defectus corporis non inducit irregularitatem, quoad Ordines suscipiendos, nisi talis fuerit, qui aut Ordinis

executionem impediat, aut talem secumferat deformitatem, quae sine periculo aut offensione populi functiones peragere non sinat, pag. 429.

Quamplures Canonistae censent, gibbosos inter corporis vitiatos esse cooptandos; praecipue si deformitas enascatur, per quam res sacrae exponantur irreverentiae periculo, pag. 430.

Iurium Parochialium.

Apud Capitula Cathedralium atque Collegiatarum reperiri potest, ex fundatione, cura animarum quae a Canonistis in curam habitualem et actualem dividitur; ita tamen ut apud singulos sit cura habitualis, apud unum vero sit cura actualis pro eius exercitio, pag. 248.

Contra ius haud agere videtur Capitulum, cui insit animarum cura, si ab initio aliquod ex iuribus parochialibus sibi reservavit dum unum deputavit ad exercendam curam actualem, ibid.

Proinde in functionibus atque iuribus quae sibi reservat, neque suo vicario confert, Capitulum habendum est ceu proprium Parochum; ita ut singuli praebendati rite valeant curam animarum exercere quoad illas functiones et iura parochialia sibi reservata, ibid.

Existentia Curiae habitualis penes Capitulum evincitur per institutionem vicariae perpetuae; praecipue si congrua pro Vicario statuta desumatur ex reditibus Capituli, ibid.

Associatio cadaveris usque ad sepulturae locum adnumeratur inter iura parochialia; ideoque regulariter associatio fieri debet a proprio Parocho, in cuius paroecia quis decessit, et in qua sacramenta recepit, pag. 355.

Omnes actus iurisdictionis, qui sive in domo defuncti sive per viam sive intra ecclesiam parochialem explentur, ad parochum pertinent, iuxta Ss. Canonum sanctionem ac quamplurimas S. Rituum Congregationis resolutiones, pag. 384.

Ideoque ius associandi cadavera ad Ecclesiam et sepulturam (etiam extra Dioecesim) pertinet ad proprium parochum; qui ad hunc effectum et ille dicitur proprius in cuius paroecia aliquis decessit, etiamsi per breve tempus in ea moratus sit aut perfunctorie, ibid.

Emolumenta funeralia debentur parochis, non ratione laboris in corporibus humandis adhibiti, sed quia Parochus populum praedicatione instruit, divina celebrat officia, nocte dieque sacramenta ministrat, precesque pro populo effundit, ibid.

Neque dici potest parochum, iuribus parochialibus tacito consensu nuncium dedisse, si ex quadam vi morali aliquando ferre debuit ut haec iura ab alio violarentur; nam *quae propter necessitatem recepta sunt. non debent in argumentum trahi,* Paulus, */. 162 de reg. iur.,* ibid.

Ratione spiritualis officii, praebendo nempe paroecianis spiritualia, parochi habent iuris adsistentiam in funeribus decedentium intra limites paroeciae, minime vero ratione obitus accidentalis in eadem Parochia, etiam cum administratione sacramentorum in extremo vitae, pag. 501.

Proinde funus competit Parocho proprio (qui talis fit per domicilium) personae defunctae; convenit enim post mortem ab eo recipere sepulturam, a quo viventes sacramenta recipimus, pag. 502.

Sacri canones, quoad sepulturam, haud attendunt locum, ubi quis in extremis reiicitur, sed ubi, dum in vivis ageret, coelesti pabulo refici consuevit, ibid.

Canonici, cum sint incorporati ipsi capitulari ecclesiae, atque eius sint membra, eiusdemque ecclesiae parochiani maneant ubicumque degant, sepeliendi sunt in ecclesia Capituli ; ceu Religiosi, qui sunt de familia Monasterii, sepeliendi sunt apud ecclesiam Monasterii, ibid.

In Capitulari enim ecclesia canonici divina et sacra peragunt et spiritualibus reiiciuntur; ideoque in eadem ecclesia illi habent sepulturam, ubicumque domicilium habeant, aut ubicumque e mortali hac exeant vita, ibid.

Iuspatronatus.

Iure canonico sub nomine *famuiae* et *domus* non veniunt descendentes ex foeminis; quia descendentes huiusmodi cognomen gerunt patris, non matris, et quia *domus* votum agnationis significat, et descendentium foeminarum exclusionem importat, pag. 483.

Hinc iuspatronatus familiare, praecipue cum adiectione cognominis, non competit descendentibus per medium foeminae, sive agatur de iuspatronatus activo, sive de passivo, ibid.

Praesumptiva masculorum ex foeminis vocatio haud sustinetur, ubi et foeminae perspicue a testatoribus excluduntur, vel u b i adsunt praesumptiones, quae votum agnatitium demonstrent, ibid.

Pro certo a DD. habetur, quod vocatio coercita ad certam familiam, adiecto cognomine, agnatos non egrediatur ; qui soli eodem utuntur cognomine, eamdemque familiam constituunt, pag. 484.

Ex Canonistis colligitur iuspatronatus passivum recipere interpretationem posse ab activo, quoties institutor, aut dubiam dixerit legem, aut similem in iure utroque; tunc enim una nuncupatio ab altera opem postulat, ibid.

Matrimonium quoad impedimenta

Ad processus matrimoniales rite conficiendos nedum Constitutio *Dei miseratione* et Instructio S. C. Concilii anni 1840 servandae sunt, sed etiam alia quae intrinsecam tangunt iudicii formam et solemnitates requisitas pro validitate sententiae, pag. 70.

Quoad intrinsecam iudicii formam primo requiritur iudicem esse competentem, seu certa praeditum esse iurisdictione; quoad extrínsecas iuris solemnitates requiritur, sententiam diffinitivam a iudice proferri publice non in secreto loco, utraque parte legitime citata et praesente, non in die ad quem citatio facta fuerit, pag. 71.

Hisce omnibus tum intrinsecis, tum extrinsecis deficientibus, nedum sententia adest sed neque sententiae nomen; a quo appellare non oportet, et quae nullum praeiudicium afferre potest, ibid.

Dubitari enim potest utrum iudex pro cognoscendis causis matrimonialibus delegari possit a Vicario Capitulari, dum ex Sententia nonnullorum DD. transeat in Vicarium Capitularem nudum iurisdictionis exercitium, iurisdictio vero maneat penes Capitulum, pag. 71.

Et re quidem vera Tridentinum Capitulo, in istorum sententia, non abstulisset nec immutavisset aut imminuisset devolutam ad Vicarium Capitularem iurisdictionem; sed solum praecepisset modum ea iurisdictione utendi, vel eam exercendi per Vicarium a se electum, ibid.

Matrimonium manet ratum, dicique non potest consummatum fuisse, non obstante penetratione claustri, sine tamen seminum commixtione, quae si adfuerit, etiam in tenui quantitate, matrimonium consummatum reddit, ibid.

Maiores requiruntur probationes pro nullitate matrimonii decernenda per viam *iustitiae,* quam pro dispensationis *gratia* obtinenda ; itaque probata difficilius est impedimentum impotentiae, ad nullum renunciandum ex iustitia matrimonium, quam evincere inconsummationem matrimonii ad gratiam dispensationis obtinendam, ibid.

Matrimonium haud consummatum fuisse evincitur ex coniugum et *septimae manus* iuramento, et ex experimento virginitatis; quae tamen probandi forma *taxative* sed demonstrative adhiberi solet ; ita ut alterutra omissa, ad dispensationem proceditur, quatenus tamen moraliter de inconsummatione constet, ibid.

Periculum apostasiae atque incontinentiae ex parte alicuius vel amborum coniugum, animorum dissociatio absque reconciliationis spe, validam exhibent causam ad matrimonii rati et non consummati dispensationem concedendam, pag. 118.

Apostolica Sedes solet aliquando visitationem et corporis inspectionem in processu canonico remittere si aliunde moralis certitudo de inconsummatione exurgat; ut puta,quando uterque coniux concorditer consummationem negat, una cum iuramento septimae manus consanguineorum, aliisque concurrentibus adminiculis, argumentis et suppletivis probationibus, ibid.

Ad excludendam matrimonii consummationem moralis sufficit certitudo; nec requiritur *taxative* integram probationis formam a iure praescriptam, sed *demonstrative* ; ita ut ad dispensationem procedatur etiamsi aliquid omissum fuerit, dummodo moraliter de inconsummatione constet, ibid.

Requiritur nempe illa moralis certitudo quae virum prudentem, attentis circumstantiis, certum redderet de inconsummatione; ad quam adstruendam sufficit etiam coniugum confessio, *septimae manus* iuramento firmata, pag. 119.

Nemo in dubium revocare potest R. Pontificem de ordinaria potestate a matrimonio rato et non consummato dispensare posse, quoties iusta atque rationabilis adfuerit causa dispensationem suadens; quia suprema lex in dispensationibus concedendis animorum salus semper censetur et est, idid.

Apostolica Sedes, ex plenitudine suae potestatis, solet aliquando nonnulla in conficiendo canonico processu remittere, quae tamen rei substantiam non attingant, sed tantum extrinsecam formam; ita ut liceat veritatem tuto investigare, atque reperire, pag. 145.

Siquidem omnis cautela atque diligentia adhibenda sit ad hoc ut veritas colligatur, fraus et error exulent, quantum humana fragilitas patitur, quum agatur de dissolutione matrimonii, quod coram Deo magnum est sacramentum, pag. 145.

Haud officit ad matrimoniii dissolutionem obtinendam, quod multos post annos reclamatum fuerit; nam constito per inspectionem de mulieris virginitate, semper reclamare et viri impotentiam alligare uxor valet, ibid.

Certum est viri impotentiam, quum evincta fuerit, dirimere matrimonium, si hoc praecesserit; quae si respectiva sit, matrimonium dirimit respectu illius vel illarum personarum, respectu quarum impotentia datur; si autem absoluta fuerit, matrimoniumque praecesserit, illud dirimit respectu omnium, ibid.

Inter impotentiae causas recensetur *atrophia* seu alicuius partis humani corporis consumptio et ariditas ; qua fit ut corpus, vel aliqua corporis pars amplius nutrimento'hon fruatur summaque afficiantur macie, ibid.

Ex ipso iure nullum est matrimonium vi et metu initum; quia si ex sese irritum non esset, amplius a iudice rescindi nequiret, utpote quod ex divino iure perpetuum inducat vinculum, pag. 348.

Non omnis tamen metus sufficit ad dirimendum matrimonium; sed talis esse debet, qui cadat in virum constantem, et per quem consensus ab actu contrahendi omnino remotus probetur, pag. 349.

Matrimonium nullum ex impedimento vis et metus occulto, iuxta Tridentinas solemnitates contractum, revalidan potest, purgato metu iteratoque coniugum consensu, quin oporteat illud denuo contrahi cum eisdem solemnitatibus, ibid.

Huius facti ratio in hoc posita est, quod matrimonium nullum ex occulto impedimento habeatur uti validum in foro Ecclesiae; proinde non requiritur, ad idem convalidandum, Parochi et testium praesentia; quae a Tridentino praescripta fuit ea solum de causa, ut gravia vitarentur peccata ex clandestinis nuptiis promanantia, ibid.

Vis et metus naturae legibus opponitur, quae volunt unumquemque libere agere, ut obligatio firma enascatur; divusque Thomas ipsis parentibus potestatem adimit obligandi filiam ad nubendum alicui determinatae personae, ibid.

Quum homo sit liberae conditionis, nequit a parentibus per vim obstringi ad tale ineundum matrimonium quod est quaedam perpetua servitus; ast iuxta regulam iuris *velle non creditur qui obsequitur imperio patris vel domini,* pag. 350.

Matrimonium nullitatis vitio infectum renunciandum est, quoties iuridice evinctum fuerit, impotentiam eiusdem matrimonii celebrationem praecessisse, pag. 438.

Nam quamvis actus carnalis copulae non sit de essentia matrimonii, attamen potentia ad hoc pertinet ad matrimonii essentiam, quia per matrimonium datur utrique coniugum potestas in corpore alterius, respectu carnalis copulae, ibid.

Neque sufficit ad evincendam viri potentiam, posse eumdem claustra invadere pudoris, eo quod ad matrimonii valorem, sive ad hoc ut vir et mulier in carnali copula fiant una caro, requiritur seminum commixtio, ibid.

Nihil officit quod manifèste viri impotentia evinci nequeat per genitalem abnormitatem ad impedimentum constituendum: eo quod saepe huiusmodi impotentiae causa delitescat in configuratione, quae sana externe prorsus appareat, pag. 438.

In dubio an praecesserit nec ne, rite a DD. censetur praecessisse matrimonium illam impotentiam, quae a natura procedit, eo quod naturalia semper inesse praesumuntur, ibid.,

Matrimonium quoad consensum et domicilium.

In loco ubi Tridentinum Concilium adhuc promulgatum non fuit, locum habet doctrina tradita a SSmo Pontifice Pio IX in allocutione diei 27 septembris 1852, nimirum *inter fideles matrimonium dari non posse, quin uno eodemque tempore sit sacramentum,* pag. 572.

Verum cum hac in lege praesumptio contineatur quae *ex facto* arguit *ad mentem* operantis, si factum praesumptionem removeat locum habere non potest lex, quia actus agentis ultra illius intentionem operari nequit, ibid.

Matrimonium non habetur propter defectum consensus, si contrahentes contractum a sacramento separare voluerint, idest contrahere, quin Sacramentum susciperent, ibid.

Id accidit si contrahentes in animo non habuerunt iacere quod Ecclesia requirit, et civiliter tantum, non religioso vinculo contrahere, ibid.

Iterum matrimonium est nullitate infectum, si conditio stipulation! adiecta fuerit de matrimonio quandoque dissolvendo. At sedulo esse cavendum, conditionem contrariam substantiae matrimonii tantummodo admitti, in qua actus voluntatis innititur, ibid.

Valent matrimonia contracta in loco ubi decretum *Tametsi* promulgar tum non fuerit, dummodo partes in èo loco domicilium vel quasi-domicilium contraxerint, ibid.

Accurate domicilium a quasi-domicilio habitationis est distinguendum. Illud habetur in loco ubi quis larem rerumque ac fortunarum suarum summam constituit, ad hoc sufficit habitatio cum voluntate ibi manendi longo tempore, vel maiore anni parte, ibid.

Iuxta Benedicti XIV Constitutionem *Paucis abhinc,* ad matrimonii validitatem requiritur saltem unius mensis habitatio, quae matrimonium praecedat, atque praesumptionem quasi-domicilii inducat, quatenus nihil de animo constet, ibid.

Probabilior videtur opinio, quae habet, ad quasi-domicilium acquirendum *mensis continui et non interrupti* habitationem requiri, pag. 573.

Gravissimum contra quasi-domicilii existentiam adminiculum praebet factum repentini discessus e loco ubi matrimonium celebratum est, ibid.

Vagi ii haberi possunt tantum, qui verum aut quasi-domicilium nuspiam habent; peregrini ii qui iter faciunt, et in itinere hic illic morantur, ibid..

Mediae Annatae.

Mediae annatae solutio favore Ecclesiarum Cathedralium et Collegiatarum a Benedicto XIII instituta fuit ad hunc finem, ne domos Dei, quarum decorem summopere diligendum esse sacra eloquia testantur, temporum iniuria collabi, in peius ruere, minusque decenter retineri contingeret, pag. 255.

Taliterque Ecclesiarum decori consuli concupivit Pontifex ille, ut nullum a solvendis mediis fructibus primi anni exemerit beneficium, praeter Ecclesias paroeciales, quae, una cum incertis, annuum reditum scut. 100 monetae romanae non excederent, ibid.

Huiusmodi mediae annatae solutio ita pure et simpliciter iussa fuit, ut nulla in eius detrimentum fieri liceat subtractio distributionum quotidianarum gratia ; sed super istas quoque solutio istaec sit facienda, sint a praebendis distinctae, vel cum ipsis coniunctae, ibid.

Neque licere in solutione .mediae annatae onera deducere personalia, seu quae directe personam attingant; sed tantum subtrahi possunt onera fixa et realia, quae beneficia innituntur, pag. 256.

Missa pro populo.

Pastoribus cunctis, quibus animarum cura commissa est, onus incumbit, ex divino praecepto, oves cognoscendi proprias, easdem pascendi praedicatione verbi divini et sacramentorum administratione, proque eisdem Missae sacrificium offerendi, pag. 339.

Nomine pastorum, qui ad Missae applicationem pro populo obligantur, omnes veniunt parochi, qui actu curam animarum exercent: sint illi perpetui aut temporanei et ad nutum amovibiles, sive saeculares, sive regulares, ibid.

Et nemo animarum curam habens, ab onere applicandi Missam eximitur, quamvis contraria atque immemorabili fulciatur consuetudine, aut congruis et praestitutis destituatur reditibus; eoquod parochi non ratione officii hoc gravantur onere, ibid.

Ex iure divino integrum officium pascendi gregem et pro eodem litandi Missam in Episcopis residet ; ex iure ecclesiastico autem huius officii pars parochis committitur; ex qua commissione sequitur quod parochus fiat proprius concrediti gregis pastor, statimque obligatione teneatur pro populo sibi commisso sacrum litandi, pag. 340.

Missae secundae applicatio.

Ratio constantis inhibitionis recipiendi eleemosynam pro secunda Missa, in hoc posita est, ut omnis avaritia omnisque etiam mercimonii suspicio a rebus sacris arceatur, pag. 286.

Intentio principalis disponentis (quam semper in applicatione legis attendere oportet) est ut prospiciatur potius disciplinae ecclesiasticae robori, quam sacerdotum utilitati, ibid.

Obreptio et subreptio.

Obreptio et subreptio concludenter ab actore demonstrandae sunt, cum ad eas excludendas sufficiat probationem aliquo modo dubiam reddere, pag. 320.

Actor de obreptione et subreptione certans, magnam causam ac iuris proprii laesionem probare debet; idque praesertim requiritur, si gratia iam fuerit exequutioni commissa, ibid..

Inutile est extra preces obreptionem et subreptionem quaerere, quia animus decipiendi in eo ostendendus est, qui gratiam obtinuit; et rescripta expressam vel tacitam continent clausulam *si preces veritati innitantur,* ibid.

Nec subreptioni prodest reticentia earum rerum quae iuris sunt, cum non sit narranda nisi quae de iure praestant impedimentum, ibid.

Parochus quoad amovibilitatem.

Parochi amovibiles ad beneplacitum Episcoporum in Gallia a Sancta Sede indirecte approbati fuerunt, mandante Summo Pontifice Gregorio XVI **f.** r. ne ulla innovatio fieret in regimine paroeciarum succursalium, donec aliter ab ipsa S. Sede statutum esset, pag. 395.

Eiusmodi parochi possunt aequiparari possessoribus beneficiorum manualium, vel etiam Vicariis amovibilibus ad nutum Episcopi, qui penes se habet; curam animarum, ibid.

Ideoque pro regula generali statui potest, ut prouti Episcopi has paroecias libere conferunt, libere etiam et absque ulla causa rectores removere vel transferre valeant, ibid.

Haec tamen regula limitationem patitur, nempe dummodo remotio non fiat: **1)** ex odio; 2) cum infamia vel notabili damno sacerdotis amoti vel translati; 3) cum damno tertii. Hae tamen limitationes, si graves causae adsint, locum minime habent, pag. 396.

Ideoque in praxi vix excogitan potest casus remotionis absque causa, ita ut de his parochiis dici possit, quae de beneficiis manualibus traduntur; scilicet quod quamvis theorice sint amovibiles ad nutum Ordinarii, tamen semper aliqua causa saltem levis, ut remotio legitime fiat, est. necessaria, ibid.

Parochus quoad congruam.

Decet Parochos tali uti congrua, qua commode vivere possint; ne dum spiritualia populo ministrant in vinea Domini, inopia cogantur aut huiusmodi sacrum negligere officium, sive talia peragere, quae populo sibi credito offensionis causam praebeant, pag. 457.

Parochus quoad remotionem.

Ex Tridentino removeri possunt aut suspendi ab officio parochiali, parochi *omnes qui sacris minus apti sunt officiis:* idest omnes qui inhá-

biles sunt ad exploranda ea quae incumbunt muneri atque oneri beneficii quod habent, pag. 153.

Et ideo ex DD. non solum scientia carentes speculativa, sed etiam qui scientiae practicae expertes sunt, removendi sunt; utpote qui nesciant onera adnexa implere iuxta dignitatem, statum atque officium ad quod assumuntur et spirituale bonum detrimentum patiatur, ibid.

Post Tridentinum, *Sess. 21, cap. 6,* Episcopi, etiam tamquam Apostolici delegati procedentes, removere possunt quomodocumque inhabiles a Paroecia, quando utilitas vel Ecclesiae necessitas id postulet, ibid.

Utilitas et Ecclesiae necessitas apprime expostulare videntur parochi remotionem, qui scandalum in populum causavit; ita ut eius verba nihil amplius fructificent, populusque divina contemnet, ibid.

Namque cum bono populorum spirituali sit imprimis prospiciendum, et quum plurimorum utilitas unius utilitati praeferenda sit, dubio locum non est, quin removeri possit parochus scandala praebens, et quem plebs odit, ne temporalis"anteponi videatur aeternae saluti, pag. 154.

Episcopus non ex odii fomite, sed ex caritatis affectu teneri ad inquirendum et puniendum excessus, quibus ex publico clamore, Parochus ita sit infatuatus, ut diutius sine scandalo dissimulari non possit, aut sine periculo tolerari, pag. 491.

Proinde gravi existente excessu, quamvis non sit ab Ordine degradandus, ab administratione tamen removendus est Parochus turpiter agens, iuxta evangelicam sententiam, quae innuit, villicum amoveri debere a villicatione, qui dignam suae vilicationis reddere rationem non valet, pag. 492.

Verumtamen in inquirendo et puniendo, illud adhibendum esse moderamen, ut iuxta formam iudicii dictetur quoque forma sententiae ; ideoque parochus canonice institutus, numquam amoveatur absque canonica procedendi forma, ibid.

Quapropter ut Episcopus a Paroecia removere queat Parochum in prava consuetudine insordescentem, nil aliud requiri quam, ut, praemissa forma canonica, crimen concludenter probatum sit, ibid.

Et rite utrumque requiri, nempe canonicam procedendi formam et concludentem criminis probationem; eoquod quum privationis poena sit maxima, et aequiparetur morti civili, nequit perperam infligi, ibid.

Hisce adhibitis cautelis Episcopos posse beneficiis privare scandalosos parochos clare innuit Trid., Sess. 21, cap. 6 *de ref.,* aiens: *postquam praemoniti fuerint* (huiusmodi parochi) *coerceant et castigent, et si adhuc incorregibiles in sua nequitia perseverent, eos beneficiis... privandi facultatem habeant,* ibid.

Poena graduatoria, de qua loquitur Tridentinum locum habet tantum ex DD. quoad alia beneficia non curata; nam quoad Parochos clare sese habuit eadem S. Synodus, cum constituerit ita esse procedendum, ut si postquam moniti et coerciti fuerint, pravam haud dereliquerint consuetudinem, parochiali privandi sint beneficio, ibid.

Patronus civitatis.

Iuxta Urbani VIII decretum diei 23 martii 1630, de patrono civitatis electio fieri debet per secreta suffragia a populo, mediante consilio gene-

rali illius Civitatis vel Loci, non autem ab officialibus solum; electioni vero accedere debet consensus Episcopi et Cleri illius Loci. pag. 320.

Verum huiusmodi dispositio electiones in futurum faciendas attingit, haud quaquam iam existentes ; et veteres patroni ante hoc decretum venerati, sunt servandi, ibid.

Patronus ille est colendus, qui sive perpetuo usu ac traditione a maioribus accepta, sive legitima facta electione, uti peculiaris apud Deum intercessor, propriusque suffragator ab universo illius loci clero et populo colitur, pag. 321.

Valde inter se differunt Patronus Loci et Titularis Ecclesiae. Hic enim unam tantum respicit Ecclesiam, ille autem plures ecclesias complectitur, ibid.

Locus accipitur pro multitudine Cleri vel populi, seu potius pro multis cleris et populis, ibid.

Nihilominus Titularis Ecclesiae etiam Loci patronus est, si Ecclesia matricitate polleat, et iurisdictione quasi episcopali super omnes alias eiusdem loci Ecclesias, ibid.

Sancti Matricis Titularis nomen frequentius civibus impositum, aediculae per vias eius imaginem exhibentes, ipsa Templi magnitudo ac ornamenta, Reliquiarum conservatio, cultus continuatio, die illi sacra a scholis vacatio, festi solemnitas, Patronum principalem eumdem ostendunt, ibid.

Praecipua habetur in huiusmodi quaestionibus facultas recitandi officium proprium cum octava pro utroque clero saeculari et regulari, quae nonnisi Loci seu Civitatis Patrono concedi solet, licet Regulares ad octavam observandam non teneantur, ibid.

Principalior Patronus in uno loco seu Civitate unus tantum esse debet, licet alii eodem in Loco seu Civitate adsint Patroni minus principales, ibid.

Duos vel plures inter Patronos ille est: praecipuus, qui antiquitate et hierarchico ordine praevalet, ibid.

Patronum principalem sequitur festum de praecepto cum obligatione adstandi Sacro et a servilibus abstinendi, ibid.

Pensio ecclesiastica.

Decretum *Cum nuperrimis* applicari debet etiam Romae, tum quia *ubi eadem iuris ratio, ibi eadem dispositio,* tum quia lex est quae exclusive respicit omnes *reditus beneficiorum in Italia existentium,* et iuxta quam legem, omnes dirimendae sunt lites quoad pensiones, pag. 403.

Pensiones ecclesiasticae omnes a R. Pontifice super Canonicatibus aliisque beneficiis impositae, suapte natura, immunes sunt a quolibet onere, *cum sit de natura pensionis quod sit sine onere,* ibid.

Huius immunitatis ratio in hoc posita est, quod pensionarius beneficium haud possidet, sed tantum actionem habet personalem in beneficii possessorem, ut percipiat ab eodem fructuum portionem, sibi a S. Sede constitutam, ibid.

Etenim cum *onera etiam necessaria spectant ad ipsum possessorem* et integrae solvendae sint pensiones, semper opus fuit expressa lege quando

S. Sedes aliquo onere gravare voluerit pensiones, ceu fecit per Decretum *Cum nuperrimis,* pag. 403.

Attamen per dictum Decretum constituit, quod *debeant imminui vel cessare pensiones,* hoc tantum in casu; si nempe per actualem Italiae cladem ritus beneficiorum imminuti vel in totum amissi fuerint, ibid.

Proinde ni titulares certis liquidisque argumentis probaverint, his in Italiae adiunctis, propria beneficia, talem passa esse imminutionem (non diminutionem quamlibet) ut haud amplius paria sint omnibus oneribus ferendis, pensiones integrae sunt praestandae, ibid.

Ad evincendam huiusmodi fructum imminutionem, haud est respiciendum ad onera tantum per Italiae gubernium imposita, sed complexive esse calculandos beneficiorum reditus, quales erant tempores pensionis impositae qualesque sint in actuali, rerum conditione, pag. 404.

Reintegratio.

Omnibus in quaestionibus quae internum alicuius moralis corporis gubernium respiciunt, peculiares constitutiones ab Ecclesiastica auctoritate approbatae *ius proprium* ipsius entis conficiunt, ad cuius tramites quaestiones sunt dirimendae, pag. 203.

Cum vero agitur de controversiis circa distributiones subsidiorum dotalium, succurrunt etiam provisiones S. Congregationis a Summo Pontifice Innocentio XI pro bono regimine et recta administratione locorum piorum Urbis Romae deputatae, ibid.

Licet eae provisiones tantum Urbis pia loca complexae sint, ad omnia sodalitia tuto aptari possunt eae leges, quae constitutiones peculiares piorum locorum et testatorum voluntates servari praescribunt, ibid.

Fortius tandem constitutionibus est inhaerendum si laesio iuris tertio quaesiti contigeret, ibid.

Admitti non possunt quaerelae pro violatione vel abusu constitutionum, si is contra quem quaerela proponitur, quae per se facere potuisset, voluit et aliis proponere, ut tutius procederet, pag. 204.

In quibusdam casibus, etiamsi de odiosis agatur, per aequipollentia probatio facti exhiberi potest, dummodo factum probandum nulli dubitationi locum praebeat, ibid.

Renuntiatio beneficii.

Renuntiatio ad iuris tramites emissa, atque a legitimo superiore acceptata non potest retractari, frustraque resignans beneficium facti poenitet, pag. 448.

Nullibi in iure canonico decretum fuit, beneficiatum interdictum nequire proprio beneficio nuncium mittere, spretis solemnitatibus iuris, ideoque cum non sit expresse prohibitum, licere censendum est, pag. 449.

Acta, propter solemnitatem spr etam irrita convalidatur, quatenus rehabilitatus tempus utile transcurrere sinit absque recursu ; ita ut amplius ei non liceat neque restitutionem petere, neque agere actione nullitatis, ibid.

Renuntiatio coram R. Pontifice emissa, ab eoque acceptata, valida quocumque modo renuntianda est; quia Pontifex praesumitur scire iura et regulas in scrinio pectoris habere, pag. 449.

Ipso iure primum vacat beneficium clerici illius, qui secundum beneficium ecclesiasticum incompatibile recipere aut simul retinere praesumpserit: quia id est contra SS. Canonum formam, et praecipue Constitutionis Innocentii III, *De multa,* nec non ipsius Tridentini, Sess. 7, cap. 4, *de ref.,* ibid.

Resolutiones.

Ad diem motae litis retrotrahuntur S. Congregationis Concilii résolu, tiones, quae veram sententiam continent ; veram autem sententiam continent, cum de re decernunt super qua lis contestata est, pag. 331.

Id locum obtinet praesertim cum resolutio per clausulam *et amplius* in rem iudicatam abierit, ibid.

Sepultura.

Vocabula successorum et parentum, praecipue quoad sepulturae iura, stricte sunt sumenda; ita ut sub his nominibus veniant tantum qui sanguinis vinculo coniuncti sunt tum agnatitio, tum cognatitio, non autem affines, pag. 354.

Defunctus, si maiorum suorum sepultura careat, aut nisi sacrum sibi constituerit sepulturae locum, sepeliri debet in Parochiae sepultura: praesumitur enim sese accomodasse ad iuris ordinationem, qui ante obitum aliter non constituerit, ibid.

Neque parentibus aut haeredibus defuncti ius esse eligendi proprio arbitrio sepulturam pro eodem defuncto, pag. 355.

Sponsalia.

Quaelibet quaestio, etiam quoad sponsalia, duplici conformi sententia in diverso iurisdictionis gradu definitur, et in rem iudicatam transit: ita ut exceptio litis finitae enascatur, et ad trutinam amplius revocari nequeat, nisi petita prius atque obtenta *in integrum* restitutio, pag. 230.

Stationes Viae Crucis.

In praesentiarum pro certo ab omnibus habetur, quod cruces, et quidem ligneae, adesse debeant in singulis Viae Crucis stationibus, quamvis olim nil definitum fuerit, an crux, et eadem lignea, vel alia imago erigenda esset, pag. 407.

Uti essentialis habenda et sub nullitatis poena servanda est unica appo, sita conditio pro erigendis Viae Crucis stationibus, quod nempe crux necessario esse debeat ex ligno, ibid.

Modus autem a novis artificibus excogitatus, pro nempe Viam Crucis ex ferro fuso construunt, est omnino reiiciendus, utpote qui fidelium oculis omnino subtrahat ligneae crucis aspectum, ibid.

Ac proinde solis imaginibus, sive pictis, sive sculptis haud rite erigi possunt Viae Crucis stationes, quia ex pluribus decretis in cruces solas cadit benedictio, sistitque itineris sacri essentia, si ex ligno fabrefactae sint, quia lignea fuit Christi Crux, pag. 407.

Vicarius Capitularis.

Dubitatur an Vicarius Capitularis facultate polleat rite erigendi pia Sodalitia, eadem aggregandi, eorumdemque statuta adprobandi; etsi nemo dubitet illum Vicario praestare Generali; dum iste ad nutum Episcopi iurisdictione utatur, ille autem a Capitulo revocari nequeat et ordinariam Episcopi consequatur potestatem, pag, 360.

Sacra Indulgentiarum Congr. in opinionum varietate, noluit per suum iudicium definire, an esset in potestate Vicarii Capitularis instar Episcopi, peragere quae confraternitatum erectionem, aggregationem et statutorum approbationem respiciunt, ibid.

Attamen prudenti consilio constituit, ut Vicarii Capitulares ab his peragendis sese abstinerent; quia, ut nobis videtur, Confraternitatum erectio maximi momenti res est in Dioecesium regimine, quae vero facili modo differri potest in tempore Episcopi futuri successoris, ibid.

Vicarius Generalis.

In Vicarium generalem ex Tridentino, Sess. 24, cap. 16, *de ref.,* eligi debet ille *qui saltem in iure canonico sit doctor vel licentiatus,* vel alias quantum fieri poterit idoneus, pag. 96.

Parochus curam animarum habens haud eligi potest in Vicarium Generalem; quia Vicarii Generalis et Parochi officia generaliter incompatibilia sunt in eadem persona collecta, ibid.

Neque originarius eiusdem civitatis aut dioecesis constitui potest in Vicarium Generalem propter consanguinitates, affinitates et familiaritates, quibus a recta iustitia deviare posset, seseque partibus suspectum reddere, ibid.